Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/repetitorium0000hvan

INSTITUTIONUM THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

REPETITORIUM

AD USUM PRIVATUM AUDITORUM

UNIVERSITATIS GREGORIANAE

AUCTORE

H. VAN LAAK S. I.

PARS PRIOR

pars 2 after pg 434.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

BIBL TH
P R

ALMA COLLEGE
210.2
LIBRARY
L 11
Alma, California

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

IN « VIA DEL SEMINARIO 120 »

1921

6054

TRACTATUS I.

DE THEOLOGIA GENERATIM.

Cl. H. van Laak, De Theol. gener., Romae 1910, ad usum priv., p. 1-37.

Praeambulum: DE SIGNIFICATIONE VOCIS THEOLOGIAE. — *p. 1-4.*

Etymologice theologiae nomen derivatur a ϑεός et λόγος. Significat proinde sermonem de Deo vel diis. Qui talem sermonem proferebant vocabantur ϑεολόγοι, actio eum proferendi ϑεολογεῖν, ea quae ad eum spectabant dicebantur ϑεολογικά.

Usu scriptorum ethnicorum atque haud raro etiam Sanctorum Patrum haec vox significabat *diversas species cognitionis de rebus divinis, prout inter ethnicos habebatur.* Vocabantur nempe theologi ii prisci poetae ethnici, qui de origine deorum et rerum canebant ea, quae fere quadam traditione vel inspiratione vel revelatione hausisse censebantur. Theologia etiam dicebatur cognitio philosophice exculta de entibus immaterialibus, praecipue de Deo. Tandem omnis qualiscumque doctrina de Deo vel diis rebusque ad eos spectantibus theologiae nomen obtinebat. Talis doctrina proponebatur vel a reipublicae legibus, quae fere cultum deorum determinabant (ϑεολογία νομική), vel a poetis, qui praecipue mythos, i. e. narrationes de deorum origine et rebus gestis referebant (ϑ. μυϑική), vel a philosophis, qui praecipue naturam deorum scrutabantur (ϑ. φυσική).

At *praecipue* nomen theologiae applicatum est ad *eam cognitionem Dei vel rerum divinarum, quae a Iudaeis et Christianis habetur, in quantum eam immediate vel mediate hauriunte Scriptura sacra et revelatione* per prophetas et Christum atque apostolos impertita. Opponitur omnis ea cognitio de Deo re-

busque divinis, quae a solis principiis rationis habetur, atque ideo hodie Theologia naturalis (Theodicea) dici solet.

Imo *quaedam quasi partes huius cognitionis praeternaturalis* speciali modo hoc theologiae nomen sortitae sunt. Ita olim theologia vocabatur *doctrina de ipsa Dei natura eiusque proprietatibus,* in quantum ea doctrinae de Dei operibus, praecipue de redemptione generis humani (οἰκονομία), opponitur. Vel *doctrina de Deo vel de rebus ad eum spectantibus, quae immediata inspiratione vel revelatione vel alia ratione praeternaturali habebatur aut nuntiabatur,* v. g. per prophetas. Θεολογεῖν quoque dicebatur disserere *de rebus, quae aliquo modo cum revelatis cohaerent atque rebus profanis opponuntur.* Tandem hodie theologum agere dicitur, qui scientifice res theologicas tractat, theologia vero nominatur *scientia rerum theologicarum,* i. e. systema demonstrationum de iis, quae de Deo rebusque divinis e fontibus revelationis erui possunt.

Id quod nomine theologiae significari docuimus, a Patribus aliquando *etiam vocabatur philosophia,* vel *sapientia,* vel si cognitio specialem quamdam perfectionem praeseferebat, γνῶσις; a doctis medii aevi vero v. g. sacra scriptura, sacra lectio, sacra doctrina, divinitas.

Pars I. — De essentia theologiae tum fundamentalis tum dogmaticae.

Caput I. — De theologia fundamentali. — *p. 6-14*

Propositio 1. — Pars I. — **Theologiae fundamentalis subiectum est impertitio revelationis publicae per prophetas, Christum, apostolos, eiusque infallibilis custodia per ecclesiam catholicam.**

Argumentum. — Subiectum alicuius disciplinae est « *illud, cuius praecipue intenditur cognitio tamquam finis totius scientiae* », ad quem proinde finem reliqua omnia quodam modo referuntur. Atqui finis unicus theologiae fundamentalis est perducere ad cognitionem facti, Deum locutum esse per prophetas,

Iesum, apostolos, atque ea, quae locutus sit, per ecclesiae catholicae infallibile magisterium infallibiliter custodiri. Ergo hoc factum est subiectum theologiae fundamentalis.

Prob. min. Finis theologiae fundamentalis est, ea probare, quae necessaria sunt, ut, philosophia absoluta, dogmati studeri possit. Atqui ad hunc finem necessarium est et sufficit, ea probare quae diximus. Nam dogmatici qua talis est, veritates singulas revelatas scientifica methodo ex verbo Dei deducere.

Pars II. — Obiectum formale eius partis theologiae fundamentalis qua factum locutionis divinae primo probatur, est cognoscibilitas huius facti e principiis creatis eaque historico-philosophica; eius vero partis, qua factum custodiae revelationis probatur, est aut cognoscibilitas huius facti e principiis naturalibus eaque historico-philosophica, aut, id quod perfectius est, revelatio divina.

Arg. — Obiectum formale alicuius scientiae est *ea cognoscibilitas, quae in eius subiecto invenitur.* Atqui **factum locutionis divinae** *non habet primam suam cognoscibilitatem ex principio increato. Non ex visione Dei,* quam non habemus; obiectum enim formale intellectus nostri est intelligibile in sensibilibus. *Non ex Deo auctoritative loquente,* cui respondet fides; nam fides supponit, saltem natura prius notum esse factum locutionis Dei. Ergo obiectum formale theologiae fundamentalis est cognoscibilitas e principio creato.

Porro in theol. fund. e principiis rationis probandum est *factum* impertitionis revelationis. Iamvero *historiae* est, *facta* e principiis rationis *demonstrare.* Denique hoc factum reducendum est ad *Deum ut causam.* Iamvero *philosophiae* est, res ad *ultimam* causam reducere. Ergo cognoscibilitas haec creata theologiae fundamentalis est historico-philosophica.

Factum conservationis religionis christianae revelatae habet duplicem cognoscibilitatem primam. Nam *a*) Deus ipse nobis revelavit modum, quo revelatio christiana conservanda est, scilicet per infallibile magisterium ecclesiae. Ergo hoc factum conservationis habet cognoscibilitatem primam ex principio increato. — At idem factum demonstrari quoque potest e motivis credibili-

tatis confirmantibus testimonium ecclesiae de sua infallibilitate. Quae est cognoscibilitas mediantibus factis, quae ad Deum reducenda sunt, i. e. cognoscibilitas historico-philosophica. Patet hanc esse imperfectiorem quam illam.

Scholion. — **Nomina theologiae fundamentalis diversissima** sunt. **Secundum finem** v. g. *prodromus, propaedeutica* ad theologiam; *doctrina de cognitione theologica, Logique surnaturelle,* in quantum intellectui possibilem reddit modum cognoscendi theologiae proprium; *theologia fundamentalis;* pistica, irenica, henotica, in quantum ad fidem eamque unam omnium disponere intendit. **Secundum subiectum huius disciplinae** v. g. *dogmatica generalis,* in quantum probat, Deum generatim revelasse atque revelata custodire; *de principiis theologiae,* in quantum demonstrat principium constitutivum theologiae, scilicet verbum Dei, et regulativum, scilicet infallibilem ecclesiam; *de vera religione* (scilicet revelata), *de religione revelata, demonstratio christiana,* quibus nominibus principium constitutivum determinatur, *de ecclesia, demonstratio catholica,* quibus expressionibus principium regulativum declaratur, *de locis theologicis,* quibus sedes argumentationis magis enucleantur. **Secundum functionem aliquam** v. g. *apologia* atque *apologetica, polemica.* Apologia sumi solet pro defensione singularum veritatum saltem principalium nostrae religionis, apologetica vero pro systemate defensionum idque non tam singularum veritatum vel collectionis earum, quam duplicis illius facti, Deum humano generi locutum esse atque hanc revelationem ab ecclesia infallibiliter custodiri. Polemica dicitur, in quantum doctrinas haereticas aggreditur.

Caput II. — De theologia dogmatica.

Propositio 2. — Pars I. Subiectum theologiae dogmaticae est Deus sub ratione deitatis.

Opponuntur « non solum creaturae, sed etiam attributa divina et relationes ». Salmanticenses.

Arg. — ***1)*** *Auctores* communissime: S. Thomas, Scotus, cum asseclis eorum.

2) *Ratio intrinseca:* « In theologia omnia tractantur sub

ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus vel quia ordinem habent ad Deum, ut ad principium et finem ». S. Th. 1 q. 1 a. 7. Porro ipsas perfectiones divinas et relationes reales in Deo theologia ad essentiam divinam, quantum potest, reducere studet.

Ob. 1. — *Plures propositiones* in Scriptura inveniuntur, *in theologia formantur de creaturis quam de Deo.* — Non ex numero rerum (v. g. creatarum, per accidens inspiratarum...) quae tractantur et propositionum, quae de iis formantur, subiectum disciplinae desumendum est, sed *ex eo quod ultimatim in iis et ex iis cognoscere volumus.*

Ob. 2. — Patres passim *theologiam* seu doctrinam de ipso Deo, *ab oeconomia* seu *doctrina de operibus Dei dividebant.* — At utramque habebant partem eius disciplinae quam hodie theologiam dicimus.

Ob. 3. — Hugo a S. Victore materiam theologiae dicit: « opera restaurationis humanae »; Lombardus: « res et signa (sacramenta) »; S. Bonaventura: « Christum prout comprehendit naturam divinam et humanam... et caput et membra (ecclesiam) »; Durandus: « opera meritoria »; saeculo 19 Hirscher: religionem christianam vel regnum Dei; Protestantes conceptus vagos et indeterminatos proponere solent, generatim subiectum theologiae dicunt: « religionem christianam ». — S. Bonaventura eo loco loquitur de subiecto integrali, alio loco idem subiectum simpliciter statuit atque nos. Caeteri aut minus accurate loquuntur, aut, ut generatim fere, oblivioni dant, omnia, ut in ipsa essentia divina rationem suam habent, ita ad eam manifestandam esse ordinata, et non viceversa.

Pars II. — Obiectum formale theologiae dogmaticae est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, uti ab ecclesia catholica infallibiliter proponitur et declaratur, sive directe in eo invenitur sive mediantibus conclusionibus ex eo deducitur.

Arg. — Theologia dogmatica omnibus consentientibus dividitur in positivam et speculativam. Illius est, singula quae Deus revelavit, ex fontibus revelationis deducere. Huius est ea, quae hac ratione in revelatione contenta esse inventa sunt, mediante sana philosophia explicare, inter se systemate coniungere, conclusiones ulteriores ex iis deducere. Ergo obiectum formale theologiae dogmaticae est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, sive directe sive indirecte.

At theologia dogmatica non considerat omnia, quae ex verbo Dei deduci possunt, sed ea sola, quae ex verbo Dei, in

quantum est ecclesiae traditum, i. e. ex revelatione publica deduci possunt. Etenim ea scientifice tractat quae a catholicis ut talibus credenda sunt. Haec autem sunt sola ea, quae in revelatione publica, ecclesiae concredita, continentur.

Scholion. — Quidam auctores quasi unice munus theologiae speculativae in sua definitione considerare solent.

Ob. 1. — Etiam *theodicea nonnisi de Deo* docet. — At ea non ex revelatione, sed e *principiis creatis* haurit.

Ob. 2. — Etiam *fides* omnia *ex verbo Dei haurit.* Ergo fides et theologia non distinguuntur. — N. as. Ad rationem additam: Primo, assensus fidei assentit veritatibus, quae ut revelatae a regula fidei proxima, ecclesia, proponuntur, ob auctoritatem Dei; assensus theologicus in quantum, supposita revelatione, demonstratur explicite ex regula fidei remota, Scriptura et traditione. Secundo, assensus fidei secundum quosdam fertur tantum in ea quae revelata sunt, assensus vero theologicus *in omnes etiam remotas conclusiones*, veritates tantum connexas cum revelatis.

Ob. 3. — *Nulla scientia principia sua probat.* Atqui theologia e verbo Dei probat veritates revelatas quae sunt principia theologiae. — Theologia speculativa sua principia proxima, singulas veritates revelatas, qua tales accipit a theologia positiva; theologia positiva vero principium suum ultimum e quo singulas veritates probat, scilicet factum locutionis divinae atque infallibilis custodiae eorum quae Deus locutus est, a theologia fundamentali accipit.

Scholion. — **Nomen theologiae dogmaticae** successit termino **theologiae** sine addito. Vocatur dogmatica theologia, seu dogma, ut significetur, eius esse singula dogmata stabilire. Dogmata autem sunt veritates revelatae atque ab ecclesia ut tales propositae. Nominantur ita, quia per modum decreti, placiti auctoritativi (δόγμα) a legitima auctoritate credendae imponuntur. Dogmata tum e theoreticis tum e practicis veritatibus consistunt. Nihilominus nomen dogmaticae hodie saepe peculiari modo ei parti theologiae dogmaticae applicatur, quae **dogmata** mere **theoretica**, non practica, tradit, quo sensu dogmatica et moralis uti partes duae integrantes theologiam (sine addito) constituunt.

Caput III. — Ulteriores determinationes doctrinae de essentia theologiae fundamentalis et dogmaticae, quae e proposita doctrina sequuntur — *p. 14-20.*

Assertio I. — Tum dogmati tum theologiae fundamentali ratio verae scientiae convenit.

1) *Si scientia sumitur obiective.* Etenim utraque disciplina suum unaquaeque completum habet systema demonstrationum. 2) *Si scientia subiective sumitur,* idem ei affirmandum est, qui cum recentioribus, v. g. Tilm. Pesch, Logica pars 2 v. I, n. 1095 coll. cum n. 1131, scientiam definit « cognitionem *certam.* quae ex principiis certis via et ratione, seu secundum regulas generales, ignota deducit ». Negandum vero id ei est, qui e mente Aristotelis et veterum scientiam definit « cognitionem certam *et evidentem* [i. e. intrinseca evidentia] per demonstrationes comparatam ». Etenim quaedam singulares veritates, quibus dogmatica ut principiis ad novas conclusiones ducendas utitur, *non sunt intrinsece evidentes,* imo fides docet eas esse mysteria sensu stricto. Unde scholastici generatim theologiae rationem scientiae aut simpliciter negabant aut nonnisi cum addito attribuere audebant. Cum vero ex elementis verae scientiae teneat discursum, regulas universales, methodice applicatas, veram imo maximam certitudinem, procul dubio scientiae etiam secundum veteres intellectae simillima atque hoc sensu analogice scientia dicenda est. S. Thomas, cuius locos diversos alii aliter explicant, in 3 dist. 33 qu. 1 a 2 quaestiunc. 4 sol. 4 docet, theologiam « non eiusdem speciei cum aliis scientiis nec univoce scientiam » esse.

Ob. — Loisy *negat* facta ad theologiam fundamentalem, aut singulas veritates ad dogma spectantes, uti divinitatem Christi, *aliter demonstrari posse, quam eo « quod quis vires conscientiae moralis intendat,* quae utique scientia et ratiocinatione iuvanda sit ». Unde obiectum theologiae « non pertinere ad ordinem scientiarum (recentiorum) ». — D. antec.: *necessaria* est generatim quaedam *dispositio voluntatis,* ut argumenta ea ab intellectu rite considerentur et admittantur, *c.;* necessaria est ad ea cognoscenda *facultas quaedam propria vel actus quidam proprius aliarum facultatum,* v. g. voluntatis, cuius actus

obiectum sint res divinae qua experimento vel intuitioni cuidam subiectae vel qua amatae, et hac de causa obiectum scientiae esse non possunt, *n.*

Assertio II. — Dogmatica est scientia perfecte una, id quod de theologia fundamentali dici nequit.

Etenim *dogmatica* unum habet subiectum, Deum sub ratione Deitatis; unum obiectum formale, demonstrabilitatem e verbo Dei, uti ab ecclesia proponitur et declaratur. *Theologiae vero fundamentalis* subiectum quidem unum est, communicatio veritatis revelatae cum genere humano; obiectum vero formale eius partis propaedeuticae, quae impertitionem revelationis probat, est demonstrabilitas veritatum historico-philosophica, eius autem partis, quae custodiam revelationis probat, potest sane esse idem, at e methodo perfectiore etiam haec ipsa custodia demonstratur e verbo Dei revelato.

Ob. — *Demonstrare* aliquid, v. g. custodiam revelationis, *e verbo Dei revelato, methodum dogmaticam arguit.* Ergo dogmaticam intra fines theologiae fundamentalis admittimus. — D. ant. : si quid demonstratur e verbo Dei *completo sumpto,* scilicet et inspirato et simpliciter revelato, simulque hoc verbum Dei sumitur *uti propositum et declaratum ab infallibili magisterio ecclesiae,* c.; *si simpliciter e verbo Dei revelato,* n. Iamvero in propaedeutica custodiam revelationis neque e verbo Dei qua inspirato neque qua proposito per infallibile ecclesiae magisterium probamus.

Assertio III. — Dogmatica et theologia fundamentalis principaliter speculativa est, secundario practica.

Principaliter speculativa. — Scientia *practica* Scholasticis ea esse solet *quae habet materiam operabilem* ab eo qui doctrinam acquirit, quamque ut talem respicit; speculativa vero est, quae circa talem materiam tali modo non versatur. Atqui dogmaticae subiectum et proinde materia principalis est Deus in ratione deitatis, theologiae vero fundamentalis subiectum est revelationis divinae impertitio atque custodia. Iamvero sane *neque Deus neque revelatio divina ullo modo ab hominibus efficienda sunt,* ad custodiam vero revelationis, quae principaliter

a Deo secundario ab ecclesia fit, ii qui theologiae fundamentali student, tantum aliquid conferre possunt.

Secundario practica. — Pars quaedam dogmaticae agit de *virtutibus* et *vitiis*; item pars quaedam theologiae fundamentalis agit *de quibusdam conclusionibus practicis* e revelatione impertita et custodita, v. g. de formando iudicio credentitatis; eaeque partes sunt minus principales quam eae, quae circa ipsum Deum vel revelationis impertitionem atque custodiam versantur. Iamvero haec sunt *operabilia* ab iis, qui his disciplinis operam dant atque ab iis etiam ut talia respici videntur.

Ob. 1. — Theologia est principalius de caritate quam de fide, ergo principalius practica quam speculativa. — D. ant.: *principalius* de caritate quam de virtute fidei, *c.*; quam *de iis quae sunt amanda et credenda,* v. g. Trinitas, *n.*

Ob. 2. — Ea cognitio est practica, quae natura sua apta est, cui voluntas recta conformetur, et naturaliter illa prior. Atqui omnis veritas theologica v. g. Deum creasse mundum, eiusmodi est. Cf. Scotus. Oxon. q. 4 n. 31; q. 3 n. 6. — D. ma.: *remote practica, i. e. ex qua veritas operabilis sequitur,* c.; proxime, seu in se operabilis, n. Scholastici tantum hoc ultimum genus veritatum nominabant practicum. Hodie utique saepissime veritates speculativae, e quibus practicae sequuntur, dicuntur practicae.

Assertio IV. — Dogmatica est scientia omnium suprema, theologia fundamentalis prima post eam.

Dogmatica est scientia suprema ratione 1) principii cognitionis, quod est veritas increata; 2) materiae, quae est principaliter Deus, imo mysteria divina; 3) certitudinis, cum ipsa principia fide divina, conclusiones quoque certitudine plus quam mere naturali teneantur, atque praeterea multae demonstrationes et conclusiones infallibili ecclesiae magisterio decidantur; 4) finis, cum omnes actus vitae nostrae tum privatae tum socialis ad finem supernaturalem dirigat. — Sequitur dogmaticam esse dicendam sapientiam, cum ultimam omnium rerum causam, scilicet Deum, praecipue uti auctorem ordinis supernaturalis, scrutetur.

Theologia fundamentalis est scientia prima post dogmaticam. Nam in secunda sua parte obiectum formale essentialiter idem habere potest atque dogmatica; subiectum eius sunt ipsa

principia theologiae demonstranda; finis vero iudicium credibilitatis atque fides, quae est radix quaedam visionis beatificae.

Assertio V. — Habitus dogmaticae et theologiae fundamentalis entitative supernaturalis est, supponit tamen actus fidei supernaturalis.

Primum inde patet, quia habitus isti acquisiti sunt, nulla autem ratio est, cur ad istos acquisitos infusi seu supernaturales adiungantur. Si autem acquisiti sunt, entitative naturales sunt. Nam 1) posito assensu praemissarum theologicarum entitative supernaturali (i. e. fide), potest intellectus *solis naturae viribus elicere assensum* conclusionis, adhaesive firmissimum ac proportionatum certitudini praemissarum, *in substantia naturalem* (Platel). 2) Etsi actus, quibus theologus discurrit et concludit, *entitative supernaturales* essent, tamen e probabiliori doctrina de generatione habituum tum naturalium tum superuaturalium, *habitum naturalem gignerent.*

Secundum inde patet, quia ipsa principia, e quibus in dogmatica conclusiones deducuntur, nonnisi aut ob evidentiam attestationis divinae aut *fide* ob auctoritatem Dei revalantis teneri possunt, prior autem casus inter homines vix possibilis est. Actus fidei porro *in hoc ordine entitative supernaturales* sunt.

Sequitur, neque in incredulo neque in eo, qui haeretico spiritu in neganda aliqua veritate ducitur, habitum theologiae inveniri posse.

Quod ab habitu dogmaticae supponi exposuimus, etiam ad eam partem theologiae fundamentalis applicandum est, quae (et in quantum ea) e verbo Dei revelato procedit.

Pars II. — De theologiae divisionis, scientiis auxiliariis *p. 21-31.*

Art. I. — De subdivisionibus theologiae theoreticae et practicae.

Theologia practica a theoretica secundum materiam distinguitur. Practica actiones ab hominibus e lege Dei vel ecclesiae ponendas considerat, theoretica vero omnia caetera.

Theologia theoretica dividitur in theologiam simplicitur talem et oeconomiam: quarum illa Deum eiusque perfectiones considerat, haec opera, quae Deus praecipue in ordine supernaturali « disponit ». Theologia *simpliciter talis* e mente Ps.-Dionysii *in affirmativam et negativam*, secundum quod quaedam de Deo affirmat aut negat; in *unitam* et *distinctam*, secundum quod ea statuit, quae aut omnibus personis divinis communia sunt, aut in una vel duabus solis inveniuntur.

Divisiones theologiae practicae (seu moralis sensu magis generali) sunt: *theologia moralis* (presse dicta) seu « illa theologiae pars, quae, innixa iuri divino, per revelationem manifestato, inquirit, quid in actionibus humanis liciti, quid illiciti sit (quid debiti, quid consilii), ut has dirigat in ordine ad vitam aeternam » (Bucceroni). *Ius canonicum* est « scientia legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latarum, quibus constitutio atque regimen et disciplina Ecclesiae catholicae ordinantur » (Wernz). *Theologia pastoralis* ex scientiis practicis nominatis vel nominandis ea colligit, quae ad curam animarum fructuose agendam proxime spectant: ad quam etiam pertinent *homiletica, catechetica, liturgica, ars dirigendi animas*. *Ascetica* est systema institutionum, quae e revelatione, mediante quoque ratione atque praecipue experientia, profectae sunt, quibus docemur, qua via a vitiis nos purgare atque virtutes sive ordinario sive heroico gradu assequi possimus. *Mystica* est scientia de unione mystica et de ratione qua animae circa eam se habere debeant; in quantum in illam indagat est theoretica, in quantum hanc tradit est practica.

In omni scientia practica principia ultima et conclusiones ex iis deductae applicari possunt ad proxime operabilia, ad actiones in concretis circumstantiis, ad « casus ». Quae pars scientiae in morali presse dicta vocari solet « casuistica ». Systematicam collectionem solutionem eiusmodi *librum moralis casuisticae* dicere solent.

Art. 2. — De divisione theologiae in positivam, speculativam.

Definitio utriusque. — Haec divisio est *secundum duo diversa munera vel functiones,* quibus una eademque theologia circa eadem dogmata versatur. *Prior singulas veritates in Scri-*

ptura vel Traditione formaliter sive explicite sive implicite contentas, in his revelationis fontibus vere contineri probat. Secunda *veritatum, quae ita probatae sunt, aliquam intelligentiam aperit,* eo quod ostendit, quomodo una ex alia sequatur, ex iis novas conclusiones deducit, in genere ope philosophiae eas explicat. — Utraque functio ex consequenti etiam obiectiones praecipue haereticorum solvit; prior obiectiones contra probationes suas, secunda praecipue eas quae contra ipsas veritates fidei in se consideratas atque praeprimis ex ipsis conceptibus hauriuntur. Utraque scientia omnes disciplinas humanas utiles ad finem suum assumit.

Nomina harum duarum functionum. — Tempore Patrum nulla nomina distincta eas designabant. *Qui priori functioni* insistebant, in quadam parte medii aevi vocabantur doctores *biblici* (a potiore parte fontis tractati) vel *sententiari;* inde fere a saeculo 16 haec functio dicta est *theologia positiva,* quo nomine etiam hodie designari solet; inde a s. 17 non raro vocabatur *dogmatica,* quo sensu tamen hoc nomen in desuetudinem abiit. Positiva vocabatur, quia dogmata probando quasi *ponit atque statuit*; dogmatica, quia dogmata, eaque sola, demonstrabat, non vero conclusiones etc. — *Secundam functionem* qui sive unice sive praecipue colebant, inde a *Petro Lombardo* theologiam *scholasticam* tradere dicebantur; inde a saeculo fere 16 haec functio praeterea nomen theologiae *speculativae* obtinuit. Hoc nomen quod intimam essentiam huius functionis exhibet, auctores hodie prae illo fere praeferunt.

Necessitas utriusque ad studium theologiae atque relatio unius ad aliam.

Ratione primum est illud *speculationis quasi initium,* praecipue ope philosophiae obtinendum, ut in rebus etiam theologicis, unus conceptus ab alio clare distinguatur, v. g. incarnatio, creatio; persona, natura etc. Alias ne id quidem intelligi potest, quid in theologia probandum sit.

Deinde tantum *e theologia positiva* proponi necesse est, *quantum requiritur, ut* secundum perfectam scientificam methodum hermeneuticae *sensus sacrae Scripturae et traditionis* catholicae invicte *stabiliatur* atque contra difficultates praecipuas, praeprimis recentiores, *defendatur.*

Postquam ita in singulis tractatibus atque partibus tractatuum ea quae in fontibus revelationis formaliter continentur « sobrie quidem sed solide firmata » (Decr. 25 Congr. Gen. S. I. (1906) Decr. 14 n. 3) fuerint, *denuo accedat speculatio*, cuius duplex munus sit: primo veritatum, quae a Scriptura vel traditione haustae fuerint, quantum fas est intimam essentiam penetrare, v. g. modum incarnationis; deinde ulterius consequentias saltem proximiores ex iis deducere.

Cum hac ratione veritates in revelatione formaliter contentae speculatione penetratae atque quadam ratione evolutae fuerint, *iterum studia scripturistica atque patristica* accedunt utilissime. Quorum finis is est, ut et plurima vel omnia testimonia quae de aliquo dogmate vel de pluribus eorum in fontibus revelationis continentur, largissime monographico quodam modo colligantur, et quaecumque, sive e natura materiae sive ob circumstantias v. g. finem scribentium, adversarios, difficiliora in iis inveniuntur, ampliore et accuratiore modo explicentur. Quae nonnisi cum magno periculo errandi fierent, antequam mens universo theologiae tum positivae tum speculativae quodam systemate imbuta fuerit.

Simili modo nonnisi hac formatione iam praesupposita illi *etiam perfectiori speculationi* opera dari apte potest, qua singula quaedam dogmata monographice omni ex parte speculative explicantur atque ad consequentias etiam remotiores descenditur.

Ex iis, quae diximus intelligitur, cur v. g. Suarez, de relig. S. I. l. 5 c. 3 n. 2, alii, recte tum theologiam positivam, debita scilicet quadam mensura excultam, ut necessariam partem theologiae ipsius scholasticae consideraverint, tum ipsam theologiam scholasticam ut praeparationem pro theologia positiva, scilicet ampliori, requisierint; cur praeterea generatim iisdem aetatibus theologiae et positivae et speculativae tum progressus tum regressus ascribendus sit.

Art. 3. — De theologiae positivae partibus et scientiis subsidiariis.

Uti diximus theologiae positivae est, veritates revelatas de fide et moribus, i. e. de iis veritatibus, quae aut finem nostrum aut media ad eum constituunt, e fontibus revelationis deducere.

Continentur vero hae doctrinae quae de fide et moribus dicuntur, aut in Scriptura divinitus inspirata idque simul cum veritatibus per se profanis, aut in doctrinis, quae a Deo per hagiographos conscriptae non sunt, sed a Christo eiusque apostolis ore tantum prolatae, quasi per manus traditae ad nos pervenerunt. Consequitur, duas esse partes theologiae positivae, secundum quod scilicet res fidei et morum *aut e Scriptura aut e doctrinis tantum per manus traditis seu e traditione* (obiective sumpta) deducuntur.

Quoad S. Scripturam. — Patet, *e S. Scriptura* saltem principales locos de rebus fidei et morum esse explicandos. Quodsi omnes eiusmodi loci in unum colliguntur atque systemate quodam comprehenduntur, habetur *Theologia biblica.* — *Exegesis* simpliciter et sensu pleno dicta non tantum locos singulos vel selectos v. g. de fide et moribus, explicat, verum sensum omnem librorum integrorum exponit, iis quoque plurimis partibus comprehensis, quae non agunt de rebus fidei et morum. — Scientiae exegeticae praecipua scientia auxiliaris est *Introductio in S. Scripturam.* Quae complectitur « quaestiones de librorum sacrorum origine (qua hominem habent auctorem instrumentalem), conservatione, propagatione, interpretatione, ut hac ratione legentes edoceantur, quodnam sit singulorum librorum argumentum, quaenam eorum indoles, quae puritas textus eorum, quae genuina eorum interpretandorum ratio » Cornely. Doctrina vero de auctore principali sacrorum librorum, scilicet Deo, uti quaedam quae inde pro explicatione catholica eorum sequuntur, in ipso dogmate tradi solent. — Ipsi Introductioni inserviunt quantum ad doctrinam de *conservatione textus : palaeographia, critica textualis ;* quantum ad *interpretationem literariam: historia literaria, hermeneuticae generalis praecepta ;* directe quantum ad explicationem *rerum de fide et moribus et indirecte quantum ad explicationem omnium sententiarum* scripturae : *magisterium ecclesiae* sive *ordinarium* illud sit, sive *extraordinarium ;* quantum ad interpretationem *linguisticam: philologia sacra*, quae considerat linguas in sacris libris adhibitas easque quae iis affines sunt ; quantum ad explicationem quae uti dicunt *realia* respicit : *historia sacra,* quae sortes tradit populi electi, cum *archaeologia sacra,* quam hodie accipiunt ut scientiam, quae de institutis populi hebraici agit,

in quantum a factis eius et fatis distinguuntur; historia *Veteris Orientis,* qua res gestae earum gentium traduntur, quae specialiori modo in sacris libris referuntur. Habentur etiam *geographia sacra* et *Veteris Orientis,* similes scientiae auxiliares.

Quoad traditionem divinam. — Pro *traditione divina* demonstranda omnes eae scientiae necessariae vel utiles sunt, quae necessariae vel utiles sunt ad cognoscendum sensum eorum, per quos ipsa traditio transmittitur. Qui sunt Patres, theologi, consensus fidelium, magisterium ordinarium episcoporum simul cum Romano Pontifice, decreta Conciliorum praecipue universalium, locutiones ex cathedra Romani Pontificis. Unde facile scientiae speciales necessariae intelliguntur. E quibus quasdam nominabimus.

Patristica ea est « disciplina theologica, quae ex scriptis SS. Patrum eruit, quae ad fidem moresque et disciplinam spectant, eaque in iustum redigit ordinem ». Patristicae inservit *historia litteraria* operum, quae a Patribus caeterisque scriptoribus ecclesiasticis composita sunt. *Patrologia* vero exhibet ea, quae sunt necessaria ad stabiliendum rectum usum Patrum in re theologica: docet nempe, quae sint scripta genuina, quae non, quae fuerint operis finis, circumstantiae ut vita auctoris, alia quae intelligentiam eorum promovent. Sunt vero, qui unam Patrologiam statuant, quae Patristicam et caetera complectatur.

Similes scientiae de caeteris locis theologicis formari possunt, v. g. *historia conciliorum, theologiae* v. g. aetatis aureae Scholasticorum, etc. — In historia *liturgiae*, i. e. cultus publici, fides tum docentis tum discentis ecclesiae resplendet; *archaelogia christiana* persuasionem populi christiani atque pastorum eius praecipue monumentis exhibet, simili modo *historia artis christianae.*

Ad melius intelligendam doctrinam in traditione contentam etiam confert *historia haerescon,* contra quas ea doctrina saepe directe proponebatur.

Omnia quae diximus in *historiam ecclesiasticam* ingrediuntur, si latissimo sensu intelligitur. Tali enim modo intellecta est historia originis, conservationis, propagationis, evolutionis ecclesiae, atque proinde omnium quae ad ecclesiam pertinent. Pertinet vero ad eam etiam ipsa doctrina revelata atque tradita.

Scientia quae ex historia ecclesiastica ea omnia colligit, quae ad doctrinae revelatae conservationem et explicationem spectant, *historia dogmatum* vocatur. Est autem dogma sensu stricto veritas quae a Deo revelata et ab ecclesia catholica ut talis formaliter fidelibus proposita est. Si ergo dogma hoc stricto sensu sumitur, historia dogmatum dici potest historia conservationis et propositionis veritatum revelatarum per ecclesiam atque intellectionis earundem in ecclesia. At generatim, si de historia dogmatum sermo est, subintelligitur etiam historia eius evolutionis, qua e veritatibus revelatis aliae non revelatae deducuntur, sive ut tales iam propositae sunt ab ecclesia sive non.

Art. 4. — Theologiae speculativae scientiae auxiliares.

Principalis scientia auxiliaris est ipsa *philosophia* universa: logica quidem magis remote, ad eum finem ut conclusiones recte ducantur; caeterae partes, metaphysica, cosmologia, psychologia, theodicea, moralis ad eum finem ut et conceptus quos revelatio supponit atque consequenter ea ipsa rite capiantur, et conclusiones, mediantibus veris propositionibus naturaliter notis recte deductae, etiam ipsae verae sint.

Patet ergo, progressum philosophiae etiam ad progressum theologiae praecipue speculativae conferre. Praeterea cum errores theologici saepissime ex erroribus philosophicis ortum habuerint, et hi errores, quos theologia speculativa impugnat et ea ipsa melius intelliguntur, si falsa systemata philosophica data opera exposita sunt Quare, etiam *historia philosophiae* theologo utilis est.

Art. 5. — De theologia scholastica.

Nomen theologiae scholasticae. — Qualem *etymologiam* nomen habeat patet. *Ortum* autem est s. 12. *Supponebat* vero in mente hominum eius aetatis non pro omni theologia, quae sive antea sive eo tempore in scholis tradebatur, sed pro *nova quadam ratione theologiam docendi,* quam quidam theologi, qui « Scholastici » vocabantur, ea aetate introduxerant. Nomine autem honorifico « scholastici » tum vocabantur ii docti, qui in aliqua scientia optime versati erant, sive eam in scholis tradebant, sive non.

Hodie aliquando « scholasticae » nomen non adhibetur pro ea ratione theologiam docendi, quae tum temporis nova erat atque adhuc perseverat, sed *ea philosophiae et theologiae capita* designat, *quae inde a s. 12 usque ad 20, in scholis catholicis communia erant.* Opponitur doctrinis contrariis multorum recentiorum praecipue acatholicorum. — Imo quidam « critici » vel « sceptici » recentiores, qui nullam rerum obiectivam realitatem affirmant, « scholasticos » vel « dogmaticos » vocant omnes, qui talem admittunt, etsi caeteroquin v. g. Materialistae sunt.

Elementa singula theologiae scholasticae. — Elementa, quibus theologia scholastica ab ea distinguebatur, quam immediate ante communius tradebant, atque ob quae nomen novum « scholasticae » ei imponebantur, haec complecti videntur: 1.) Doctores sententiarii potius partes theologiae quam eam universam atque integram tractare solebant; scholastici *integram eamque in unum corpus doctrinae compositam.* 2.) Sententiarii dogmata sive praecipue sive unice e fontibus revelationis probabant; scholastici partim praecipue, partim quasi unice *unam veritatem fidei ex alia, quantum fas est, logice deducebant, ex singulis novas conclusiones eruere studebant.* 3.) Sententiarii ipsi quoque sane res demonstrandas, quantum necessarium erat, definiebant; scholastici vero has *explicationes philosophicas quasi ad omnes res theologicas applicabant easque largas reddebant atque profundas.* 4.) Etiam sententiarii ea quae statuebant aliquo modo contra haereticos defendebant; scholastici vero *praecipue eas difficultates refutabant, idque amplissime, quae e visceribus rei, e conceptibus fluere videbantur.* 5.) Sententiarii non solebant eas veritates, quae theologiae et philosophiae communes sunt, data opera ex ipsa ratione naturali probare; scholastici *in ipsis operibus theologicis ea quae de rebus divinis ratione impervia non sunt* ex ipsa ratione naturali demonstrant. 6.) Sententiarii *modo scribendi* liberiore utebantur; scholastici formam simplicem, fere syllogisticam (« scholasticam » inde dictam) adhibebant, atque eam tractatuum multiplices divisiones, eam rerum singularum distinctionem in argumenta, difficultates, etc., quae faciliori scholarum intellectioni accomodata esse solet.

Quae omnia elementa, excepto forte ultimo quam maxime accidentali, quippe quod ad formam solam pertinet, *iam multis*

sacculis ante sive magis sive minus perfecte *in ecclesiastica theologia inveniebantur.*

Essentia theologiae scholasticae. — Unde illud quo « scholastica » theologia ab ea quam Patres, quam posteriores quidam excolebant, distinguebatur, non est in usu speculationis simpliciter, non in solvendis difficultatibus, non in ponendis definitionibus etc., sed est *in maiore quadam perfectione speculationis, quae simul et totum qua totum et singula qua singula quasi informabat.*

Habitudo theologiae scholasticae ad positivam. — Ea, quae e theologia positiva necessaria sunt ad dogmata solide firmanda et defendenda, aut simul cum theologia scholastica in iisdem praelectionibus atque iisdem libris tradenda sunt, aut antea tradita sint necesse est.

Art. 6. — Qui ordo in tractatibus theologiae fundamentalis et dogmaticae sequendus sit.

Ordo tractatuum in theologia fundamentali. — *Praemittitur* tractatio *de essentia theologiae tum fundamentalis tum dogmaticae.* — *Ipsa* theologia fundamentalis initium sumit a probando *facto revelationis,* praecipue christianae. Qua probata ipsa *ecclesia* demonstratur, in *quantum est infallibilis revelationis* custos, quam in consensu Patrum, theologorum etc. aliisque locis theologicis quasi ut totidem canalibus conservat. Praecipue ab ipsa ecclesia discitur, ipsam revelationem contineri tum in *libris a Deo conscriptis* tum in *traditionibus a Deo non scriptis.* (Tractatus de Christo legato Dei, de ecclesia ut magistra veritatis, de Traditione et Scriptura).

Ordo tractatuum theologiae dogmaticae. — Tractatio *dogmatica* incipit a doctrina de *Deo ut est in se,* et primo quidem in quantum est unus in natura, deinde in quantum est trinus in personis. (Tractatus de Deo uno, de Deo trino). A Deo ut est in se convertimur ad considerandum *ordinem* qui *inter creaturas et Deum* intercedit. In quo considerando prius consideratur Deus ut est causa efficiens. Atque id quidem primo loco in quantum perfectionibus naturae eorum debitis instruxit mundum in genere, angelos, homines; secundo loco in quantum naturam i. e. angelos et humanum genus ad finem supernaturalem, sci-

licet ad visionem beatificam elevavit. (Tractatus de Deo creante et elevante). Ita habetur transitus ad tractationem de Deo ut est finis creaturae rationalis. Ad quem creatura rationalis tendit actibus suis liberis, qui tamen ad ordinem visionem beatificae, seu ad ordinem gratiae elevati sunt. Unde hi actus considerantur primo in quantum iis libere faciunt bonum, abstinent a malo, deinde in quantum a gratia procedunt. (Tractatus de fine, de actibus humanis, de virtutibus et vitiis, de peccatis, de legibus, de gratia). Qui ordo ad visionem beatificam ab initio in Adam stabilitus, eius peccato amissus, per redemptorem nostrum Iesum Christum restabilitus est. Hic ergo redemptor consideratur prius in se ipso, in quantum est persona divina in duabus naturis, divina atque humana subsistens, adiunctis iis, quae ex hac unione necessario sequuntur (Tractatus de Verbo incarnato); deinde munus eius redimendi (soteriologia), quod ad singulos applicatur per ecclesiam (Tractatus de ecclesia dogmaticus), atque speciatim per sacramenta huic ecclesiae concredita (Tractatus de sacramentis), quod consummatur per resurrectionem carnis, renovationem mundi, caetera quae de fine hominis nondum proposita sunt (Tractatus de novissimis). — Ordo quem diximus, in plurimis est is quem S. Thomas in Summa theologica stabilivit. (De quo plura cum obiectionibus, responsis v. *Kleutgen,* Theologie der Vorzeit, V² n. 317-326 p. 55-70).

Pars III. — Methodologia theologica.

Methodologiam sensu latiore breviter proponimus. Quae complectitur tum *dispositiones et voluntatis et intellectus,* quibus ad theologiae studium accedendum est, tum *ipsam rationem, qua theologiae studendum est.* Methodologia sensu strictiori, seu methodus argumentandi e Scriptura, Patribus, caeteris locis theologicis, rite intelligi nequit, nisi tractatus de natura et auctoritate horum locorum praecesserit.

Art. 1. — De dispositionibus voluntatis.

1) *Magnus sit amor veritatum coelestium,* quibus candidatus theologiae studet. Quas amabit considerans, veritates theologiae fundamentalis eas esse, quibus humanum genus ad fidem gignen-

dam et retinendam disponitur, veritates vero principales dogmaticae eas, quarum visione in aeternum beati reddimur. Utraque porro disciplina hodie praecipue in quibusdam regionibus atque coram quibusdam hominum classibus eo magis scientifica quadam ratione proponenda est, quo magis in caeteris fere disciplinis humanis scientifica methodus hodie adamatur.

2) *Virilis animi fortitudo in applicatione eius non minus seria quam constanti.* Etenim plurimae veritates tum secundum hermeneuticae regulas e Scriptura et Patribus eruendae sunt, tum secundum internas suas rationes et connexiones penetrandae.

3) *Humilis animi docilitas.* Nam mysteria stricte dicta multaeque aliae veritates haud faciles proponuntur.

4) *Magna morum integritas.* Haec enim si deesset, deesset illa « compassio sive connaturalitas ad res divinas », quae ad eas intelligendas multum iuvat. S. Th. 2. 2. q. 45 a. 2.

5) *Humilis oratio,* ut lux divina animis uberrime infundatur.

6) *Imitatio eorum exemplorum,* quae tot Sancti Patres, doctores, magni nominis theologi sanctitate vitae, orationis studio constanti diligentia, animi docilitate, amore veritatis caelestis nobis reliquerunt.

Art. 2. — De dispositionibus intellectus.

Ea generalis formatio intellectus supponitur, quae ope litterarum humaniorum et aliqua philosophica cultura obtinetur. *E scientiis auxiliaribus theologiae* ob functionem et positivam et speciatim speculativam theologiae necesse est antea absolvisse *integram, philosophiam scholasticam:* logicam, metaphysicam, cosmologiam, theodiceam, ethicam. Ob functionem positivam e *linguis latina* necessaria est ob Vulgatam, multorum Patrum scripta originalia vel versiones, opera scholasticorum, libros textus. Decet quoque, apprime in lingua *graeca,* praecipue graeco biblico, atque lingua *hebraica* peritum esse; in illa, quia tot Scripturae originalis partes, LXX atque tot Patrum scripta in ea composita sunt; in hac propter maiorem partem V. T. Cf. Encycl. « Providentissimus » n. 25 « Est primum ».

Art. 3. — De methodo, quam tempore curriculi ordinari tenere decet.

Inter praelectiones maxima pars iis danda est, quae *de ipsa theologia tum dogmatica tum fundamentali* habentur, caeteris vero tantum, quantum ad theologiam rite excolendam necessarium fuerit.

Methodus vero studii universi his verbis contineri videtur, quae Maldonato attribuuntur: « *audire professorem, repetere, disputare, legere, scribere* ».

1) Ipsa *praelectio* immediate eo *praeparatur*, quod materia in libro textus attente legitur. Ita audiens omnia facilius capit, ad difficiliora accuratim attendit, scribenda securius eligit. Ea vero ratione ad praelectionem *attendat*, ut cogitando continuo cum professore collaboret. Qui labor generatim impediretur, si aut omnia ad verbum scribere, aut nihil annotare vellet.

2) *Repetitio* accurata eo tempore sequatur, quo adhuc viva est praelectionis recordatio. In qua ipsam thesim, singula argumenta, singulas difficultates earumque solutiones ita crisi subiciat discipulus, ut quae sit earum vis quasi experiatur. Ipse etiam sibi obiciat obiectaque solvat.

3) *Disputatio* sequatur duce eo qui rem iam callet. In qua primo brevi tempore thesis integra compendioso modo exponatur, deinde difficultates in forma syllogistica proponantur atque solvantur. Accedat, si fieri potest, aliqua liberior discussio.

4) *Lectio* aliqua, si annus scholasticus non sufficit, saltem tempore maiorum vacationum, praelectiones comitetur. Multa manualia percurrere multum temporis dispendium secum ferret; unum legere utile esse potest, sunt enim, qui eandem rem hoc modo expositam facilius capiant, alio modo difficilius. Generatim maioris utilitatis erit, unum librum quasi sibi proprium habere, qui, si opus erit, praelectiones quoad partem sive positivam sive speculativam compleat; legere eos locos selectos auctorum, ad quos a libro textus vel praelectionibus vel aliis viris prudentibus remittitur; tractatum, de quo agitur, in aliquo auctore classico videre; de veritate una vel alia iam proposita aliquam maioris momenti monographiam studere.

5) E re erit *scripto* notare, quae per studium interroganda

occurrunt, ne memoria excidant; item scripto sibi brevissime exhibere theses principales iam tractatas, servata forma stricte scholastica et habita praecipua ratione interni nexus inter tractatus eorumque partes; inter integrum theologiae curriculum aliquam scientificam elucubrationem, duce homine perito, componere, cui labori forte aliqua pars complurium vacationum maiorum dedicari potest.

Art. IV. — De studio theologico post ordinarium theologiae curriculum completum.

1) Deligantur viri « vere spirituales, humiles, in Philosophia et Theologia egregie exculti ac bono ingenio praediti, *iique studio earum praecipue scientiarum applicentur, quibus nunc maxime Ecclesiae hostes ad fidem labefactandam abutuntur* ». Decr. XXV Congr. gen. S. I. decr. III, 16, n. 5.

2) Omnes qui in scientiis theologicis, etsi forte in institutis minoribus *docent,* decet eos esse, qui continuo studio ad perfectiora semper tendant, quibus etiam « moderni tum errores tum in scientiis progressus bene perspecti sint, ita ut discipulorum plenam fiduciam sibi concilient eosque erudite simul ac solide instituant ». ib.

3) *Multis etiam aliis* haud impossibile erit, aut ad profundiorem indagationem alicuius rei theologicae conferre, aut quae alii praeclara scientia scripserunt, nobili quadam ratione populari omnibus usui facere.

4) *Omnibus* denique cordi sit, ut quam sibi acquisiverunt scientiam retineant, atque in iis eius partibus profectum faciant, quae magis ad illud ministerium apostolicum conferunt, cui vires suas dedicant.

TRACTATUS II.

DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA.

Cf. H. van Laak, De religionis revelatione in abstracto considerata, ad usum priv., Romae 1908 p. I-187.

Liber I. — De revelatione religionis in se sumpta.

Caput I. — De revelationis possibilitate.

Art. 1. — De revelatione immediata.

Revelationis definitio verbalis: remotio veli; realis: *locutio Dei attestans.* Locutio est actus quo quis directe (non per medium obiectivum ex quo, scilicet per effectus) sua iudicia alteri communicat: attestans est ea locutio qua quis auctoritatem suam interponit. — Revelatio *immediata* est ea, in qua tum Dei miraculosus influxus, veritates credendas proponens, tum praeceptum divinum eas credendi ad easdem personas dirigitur; revelatio *mediata* ea est, in qua influxus miraculosus ad unum vel pauciores, praeceptum vero credendi ad plures extenditur, quibus eae veritates qua credendae per homines communicantur. — *p. 2-4; 6-7.*

Possibilitas adaequata alicuius rei in eo consistit, ut eius existentia cum omnibus perfectionibus divinis conveniat, quae in existentiam alicuius rei influere possunt; *physica* est mera non-repugnantia notarum *intrinsecarum.* In hac sectione prima proxime de non-repugnantia notarum agimus. — *p. 9-10.*

Propositio 1. — Revelatio immediata possibilis est *p. 10-5.*

[***Qualificatio theologica.*** — De fide divina catholica definita. Vat. D. 1807; 1787 de mediata].

Adversarii. — Materialistae, Pantheistae, Deistae, Naturalistae, Rationalistae.

Arg. — 1) E ratione intrinseca. — Non repugnat *forma efficienda:* similitudo alicuius enuntiabilis recepta in mente humana; neque *modus eam efficiendi,* sive per linguam iam notam aut tunc infusam, sive sine lingua, per solum conceptum mentis; neque *dispositio recipientis,* cum homo tales formas ab alio, ergo a fortiori a Deo, recipere possit; neque *finis:* notitia rei, fides.

2) Auctoritas generis humani. — Indi Veda, Graeci oracula, Mohamedani Coran, Christiani alia qua *revelata credunt,* ergo possibilitatem revelationis supponunt. — In hac persuasione vero exprimenda *aberant motiva mentiendi;* in ea habenda aberant *causae erroris:* illusio sensuum, incapacitas iudicandi, inadvertentia, influxus indebitus voluntatis.

Ob. 1. — Deus revelando *contradiceret suo consilio,* ut homines e rebus mundanis cognitiones suas acquirant. — N. Hoc consilium valet *ordinarie; admittit tamen exceptionem* per actionem miraculosam pro fine speciali. Cf. possibilitas miraculi.

Ob. 2. — Deus loquendo cum hominibus sibi subditis se vilem redderet. — Si *deberet* loqui, vel pericula depravationis incurreret, c.; quia haec absunt, n.

Ob. 3. — Deus revelando *assensum hominis e claro,* ob evidentiam habito, *mutaret in obscurum,* ob auctoritatem elicitum, ergo deprimeret intellectum hominis. — N. antec. Aut (secundum quosdam) uterque assensus habetur; aut (secundum alios), si habetur assensus ex evidentia, fides non oritur; *nunquam* vero *scientia amittitur.* Porro Deus plurima *revelare potest quae* aut moraliter, aut physice *scire non possumus.*

Ob. 4. — Deus eo quod revelat, *suo dominio* in intellectum humanum *derogaret.* — Dist.: si loqueretur tantum magisterialiter, c.; *si auctoritatem interponens,* n.

Ob. 5. — Deus revelat *iudicia* sua. Atqui homo *divina* sibi *repraesentare nequit.* — Dist. min.: conceptibus propriis, c., analogis, n.

Ob. 6. — Deus protoparentibus, utpote *linguam non callentibus, revelare non poterat.* — Poterat *sine lingua;* poterat *eam antea infundere.*

Ob. 7. — Repugnat hominis *dignitati,* alterius auctoritati se submittere. — Ei auctoritati quae fallere et falli potest, tr.; *divinae,* n. Imo fide multis modis perficimur.

Ob. 8. — In revelatione haberetur *cognitio sine animae activitate.* Atqui talis repugnat. — Dist. min.: sine ea activitate, quae consistit

in perspicienda *intrinseca convenientia* inter subiectum et praedicatum, c.; sine *multiplici alia* activitate, n.

Ob. 9. — Revelatio cognosci nequit. Ergo inutile est ut detur. — Prob. ma.: Obiectum *scientiae historicae* est *nexus causalis inter facta humana*. Atqui revelatio neque est factum humanum, neque nexu causali cum iis iungitur. — N. ass. et rationem allatam. Obiectum scientiae historicae sunt etiam ea, *quae homines in se, ab alio facta, experiuntur*. Cf. miracula.

Ob. 10. — Prophetae, Christus sibi non ascribebant cognitiones praeternaturales, sed tantum *revelationem sensu lato talem*. — N. Cf. thesim 1 de revel. christ.; de revel. iudaica. — Tales *assertiones apriorismo*, non vero studio textuum *debentur*.

Ob. 11. — Tot hominum classes *possibilitatem revelationis negarunt*. Ergo argumentum ex auctoritate generis humani fieri nequit. — Tantum *ob rationes falsis systematibus* vel pantheisticis vel aliis *intrinsecas*. Ergo vox naturae humanae per eos adversarios non debilitatur.

Ob. 12. — Ethnici diis *qua organizatis* loquelam attribuebant. Ergo ea persuasione, nulla confirmatio possibilitatis revelationis ex parte Dei habetur. — Dist. antec.: qua organizatis n.; qui organizatis, subdist.; tantum eiusmodi diis n.; etiam aliis, c.

Propositio 2. — Revelatio religionis possibilis est. *p. 15-8.*

Con. mat. — Hanc thesim praecipue ideo distinctim ab ea proponimus, qua possibilitas revelationis generice sumptae probatur, quia ii qui possibilitatem revelationis in genere negant, *speciales rationes contra possibilitatem revelationis religionis afferre solent.*

Expl. term. — *Veritas religiosa* est enuntiabile seu propositio, qua *aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur*. Veritas *profana* est eiusmodi enuntiabile seu propositio, qua aliquid de rebus creatis affirmatur, *quin earum relatio ad Deum spectetur.* — *Religio* (obiective sumpta) est *eiusmodi complexus veritatum religiosarum, quo praecipuae veritates de Deo atque de relationibus creaturarum ad Deum exhibentur.* Qui complexus non necessario in forma systematis scientifici proponitur.

Pars I. — Non habetur repugnantia notarum.

Modus argumentandi. — Sufficit probare possibilitatem *physicam alicuius* veritatis religiosae, ut eo ipso constet de

physica possibilitate revelationis complexus. — Differentia inter aliquam propositionem generice sumptàm et religiosam tantum se tenet ex parte obiecti credendi. Unde sufficit *argumentis in thesi de possibilitate revelationis in genere sumptae ea addere, quae ad obiectum religiosum spectant.* — Consideramus hac thesi *tantum eiusmodi veritates religiosas, quae non sunt mysteria sensu stricto.*

Arg. — 1) E ratione intrinseca. — *Quoad formam efficiendam:* Etiam res religiosae omnes *conceptibus analogis* repraesentari possunt. Ergo nulla ratio est, cur profanae revelabiles dicantur, religiosae non. — *Quoad intelligentiam eius qui revelationem recipit: Sensus* multarum propositionum religiosarum *non est difficilior quam profanarum.* Si in quibusdam propositionibus intelligendis quaedam specialis difficultas est, ea indagatione atque instructione humana, speciali providentia divina, infusione scientiae, nova revelatione tolli potest. — *Quoad eum finem revelationis, qui fide continetur:* Theologi maiore ex parte admittunt, habitum scientiae alicuius rei etiam evidenter cognitae cum actu fidei in eandem rem stare posse. Unde nulla difficultate pressi admittunt, omnes res religiosas, etiam eas, quae cum evidentia sciuntur, omnibus revelari posse. Thomistae vero, quamvis hoc negent, tamen ipsi quoque statuunt, plurimas veritates religiosas exsistere, quae non ita evidenter ab omnibus sciuntur, atque consequenter saltem a quibusdam credi et consequenter saltem pro iis revelari possunt. Eiusmodi veritates sunt multa facta providentiae divinae, speciatim prophetiae, multae propositiones theodiceae et ethicae.

2) Auctoritate generis humani. — Quae, uti in thesi antecedente diximus, ab humano generi universim revelata putantur, fere omnia religiosa erant. Cf. praeterea propositiones creditas a Christianis, Iudaeis.

Ob. 1. — Veritates divinae revelatae, si nostris conceptibus exprimerentur, *ad ordinem sensibilem deprimerentur.* — Dist.: *Secundum ea, quae* conceptus nostri de rebus divinis repraesentant, *n.;* secundum modum, quo ea repraesentant, *scilicet analogice, c.*

Ob. 2. — Veritas divina seu absoluta, in hominis mente repraesentata, *necessario fit relativa.* Atqui veritas *relativa ex elementis veris et falsis consistit.* Ergo nulla veritas divina homini revelari potest. — Dist. ma.: Fit relativa, *in quantum modus quo veritas divina repraesentatur, scilicet analogice, non est absolute perfectus* sed perfectionis

tantum finitae, *c.*; in quantum *id quod repraesentatur, necessario aliquid falsi continet*, *n.* Contradist. min. — Caeterum difficultas tantum contra veritates quasdam religiosas dirigitur.

Ob. 3. — Si Deus, uti saepe in revelatione fit, nobis clarius exhibetur, *libertas in eius praeceptis implendis iam hic in terris destruitur.* — Dist.: Libertas ea perit, si *veritates quaedam religiosae* nobis sub divina quidem auctoritate atque etiam, uti saltem saepe fit, clarius, at *semper analogice, proponuntur*, *n.*; periret, *si essentia divina a nobis intuitive videretur*, scilicet nulla mediante eius similitudine in mente humana, cognitione quam theologi facialem dicunt, *c.*

Ob. 4. — *Omnes res religiosae sciri*, ergo credi non possunt, *ergo sapienter revelari non possunt.* — Cf. arg.

Ob. 5. — Ex eo, quod *ethnici diis ascribebant potestatem revelandi eiusmodi res religiosas, quae falsae sunt*, uti mythologicas, sane *non sequitur eorum auctoritatem posse adduci pro thesi de possibilitate revelatione religionis verae.* — *a*) Etiam quaedam vera e revelatione deorum deducebant. *b*) Potestatem revelandi religiosa ex superioritate deorum, non vero ex eorum imperfectione derivabant. Ergo *principia tenebant, unde thesis nostra fluit.*

Propositio 3. — Demonstrari nequit, mysteriorum exsistentiam aut revelationem repugnare. (*p. 18-25.*)

Expl. term. — *Etymologice* vox mysterii (μύω ?) significare videtur veritatem coram quibusdam *occludendam*. *Usu* adhibebatur pro omni veritate, quae saltem *aliqua ratione* quibusdam *occulta* erat.

Divisio mysteriorum. — Secundum *modum quo* aliqua res cognoscitur: Omnis res quae non per se ipsam sed *tantum secundum analogiam* quam cum aliis rebus habet, cognoscitur, ob id ipsum cum quadam obscuritate *cognoscitur*, atque ideo mysterium (naturale) saepe dicitur.

Secundum *id quod* in aliqua re absconditum est: Veritates, quarum possibilitas et exsistentia per se sine revelatione cognosci potest, quarum *exsistentia* tamen *a maiore parte hominum, ob difficultatem inquisitionis, ignoratur. Mysteria naturae*, v. g. quaedam species plantarum in mari.

Res, quarum possibilitas quidem indipendenter a ratione sciri potest, *exsistentia tamen sine humana vel divina locutione ex ipsa rerum natura occulta manet.* Mysteria sensu lato, v. g. liberae hominum volitiones non expressae, libera decreta Dei.

Res, quarum *neque exsistentia neque possibilitas indipendenter a revelatione divina ab ulla mente creata cognosci potest.* Mysteria sensu stricto, seu sine addito (sensu technico) v. g. Trinitas. In propositione quae mysterium continet, *et subiectum et praedicatum naturaliter notum esse potest; neque conceptus subiecti et praedicati quoad modum repraesentandi naturam intellectus humani vel angelici superet necesse est.* Id unum ad essentiam mysterii sensu stricto pertinet, ut *sociabilitas vel insociabilitas notarum nonnisi e revelatione divina constare possit.* Sequitur, eam sociabilitatem neque post revelationem e natura rei vel ex experientia ullo modo deduci posse.

Exsistentia mysteriorum in eo est, ut in Dei essentia vel inter obiecta ab eo factibilia mysteria inveniantur. — *Revelabilitas* eorum in eo est, ut si existant, revelari possint.

Abstrahimus a quaestione controversa, num positive probari possit, mysteria exsistere, atque si exsistunt, revelari posse. Tantum dicimus, *nullam creaturam unquam demonstrare posse, mysteriorum aut exsistentiam aut revelationem repugnare.*

Primo, *hoc saltem in theologia fundamentali demonstrandum est.* Alias, si inter propositiones revelatas aliqua inveniretur, cuius neque exsistentia neque possibilitas demonstrari potest, conclamaretur, cum in obiecto revelato absurdi quid contineatur, motiva credibilitatis necessario omni vi probativa carere. Secundo, *sufficit* quoque hoc probare, cum, hac re probata, intellectus nihil habeat, quod valori motivi credibilitatis opponat.

Adv. — Praeter Rationalistas, i. e. eos qui omnem revelationem impossibilem habent, adversarii theseos sunt *etiam Semirationalistae,* i. e. ii qui revelationem quidem aliam possibilem habent, revelationem mysteriorum vero e specialibus rationibus impossibilem dicunt. Erant v. g. medio aevo inter Iudaeos Caraitae, inter Catholicos Abaelardus. Recentiore tempore v. g. inter Protestantes Sociniani, Latitudinarii, inter Catholicos v. gr. Günther; inter Modernistas Loisy.

Pars. I. — Nequit demonstrari, mysteria exsistere non posse.

Arg.* — *Ex defectu medii demonstrationis. — Eiusmodi medium esset *aut conceptus Dei sive proprius sive analogus aut*

experientia. Iamvero conceptum proprium Dei non habemus. Nequit porro demonstrari, conceptum Dei *analogum,* i. e. haustum *ex effectibus aequivocis Dei, causae infinitae,* atque experientiam, quae item nonnisi effectus aequivocos Dei, causae infinitae, considerare potest, *omnia exhibere posse, quae in causa illa infinita insunt.*

Pars. II. — Nequit demonstrari, mysteria, si exsistunt, revelari non posse.

Arg. — E ratione intrinseca. — Ad argumentum pro possibilitate revelationis in genere sumptae, adiungimus ea elementa, quae ad rem nostram spectant.

Quoad formam efficiendam, quae scilicet est *subiectum et praedicatum, quod ex una parte aliunde notum* vel ex ideis aliunde notis compositum sit, in quo *ex alia parte sociabilitas notarum a mente creata detegi nequeat.* — Repugnantia talis propositionis demonstrari nequit. Nam *α*) *non est formalis oppositio* inter ea duo. Sunt enim rationes diversae. β) *Neque demonstrari potest, ex eo quod sociabilitas notarum naturaliter cognosci nequit, sequi, neque terminos coniungendos naturaliter notos esse posse.* Demonstrari enim nequit, rationem, *cur quaedam perfectiones ut singulae quidem in creaturis inveniri possint, non vero ut coniunctae, non in eo esse posse, quod in creaturis secundum modum imperfectum inveniantur, in Deo secundum modum perfectum.* Conceptum vero, qui ea quae sunt in Deo secundum eum modum exhibet, quo in eo inveniuntur, habere non possumus.

Ex parte subiecti suscipientis revelationem. — Intelligi possunt res omnes conceptibus analogis repraesentatae, intelligi potest copula affirmans.

Ex parte fidei in propositionem revelatam. — Cum sociabilitas notarum nullo modo cognosci possit, certe *scientia evidens de ea exclusa est.* Unde certe nullum impedimentum exsistere potest, quominus eiusmodi propositio credi possit.

Utraque pars confirmatur ex auctoritate humana ecclesiae catholicae. — In ecclesia inde a primis temporibus plurimi et scientia et sanctitate mirabili praestantes mysteria

crediderunt atque credunt. *Si in ipsa notione mysterii repugnantia esset, eam naturaliter invenissent.* Saltem *Deus providentia sua* id egisset, ut optimi sui amici, qui praeterea veritatis religiosae percupidi erant, eam repugnantiam invenirent.

Ob. 1. — Ex Dei infinitate omnes eius perfectiones colligi possunt. Atqui *conceptus analogus Dei nobis exhibet eius infinitatem.* Ergo nobis exhibet omnes Dei perfectiones, etiam mysteria. — Dist. ma.: *Ex Dei infinitate cognita uti est in se, c.: cognita per conceptum analogum,* subdist: cognosci potest, Deum habere omnes perfectiones tales, quae revera simplices sunt, c.; etiam *cognosci potest, quae perfectiones sint simplices* ideoque Deo tribuendae, v. g. esse unum et trinum, quae non, *n.*

Ob. 2. — *Obiectum adaequatum intellectus humani est Ens:* Atqui *sociabilitas notarum in quacumque propositione est Ens.* Ergo cognosci potest. — Dist. ma.: *Dummodo illud Ens debite propositum fuerit,* sive per conceptum proprium sive per conceptum analoguum sive per auctoritatem divinam vel humanam, c.; etsi non debite propositum fuerit, n.

Ob. 3. — *Quod non habet cognoscibilitatem, non habet entitatem.* Atqui mysterium non habet cognoscibilitatem. Ergo non habet entitatem. — Dist, ma: *Quod non habet cognoscibilitatem pro ullo intellectu, hoc non habet entitatem c.;* quod, si a revelatione abstrahitur, non habet cognoscibilitatem pro intellectu creato, *n.* Ea impossibilitas cognitionis pro intellectu creato oritur e debilitate intellectus relate ad tantam plenitudinem Entis.

Ob. 4. — *Illas perfectiones divinas, quas creaturae ne analogice quidem imitari possunt, nulla mens creata ne analogice quidem repraesentare potest.* Atqui mysteria sunt eiusmodi perfectiones, quas creaturae ne analogice quidem imitari possunt. — Si creatura sociabilitatem ne analogice quidem imitari potest, sequitur, intellectum, in quantum e creatura sua conceptus suos haurit, non posse sociabilitatem eam affirmare. Non vero sequitur eum hanc sociabilitatem ob revelationem divinam, quae eam affirmat, asserere non posse.

Ob. 5. — *Ea propositio sapienter revelari nequit, quae absolute intelligi nequit.* Atqui mysterium absolute intelligi nequit. Ergo sapienter revelari nequit. — Dist.: *Si neque sensus subiecti, praedicati, copulae intelligitur, neque cognoscitur, sociabilitatem notarum a Deo affirmari, c.;* si haec cognoscuntur, ignota vero manet tantum *intrinseca ratio sociabilitatis notarum, n.*

Ob. 6. — *In antiquitate christiana mysteria ignota erant.* Etenim *Scriptura* V. et N. T. ea non novit; *apologetae saeculi 2 et 3* docent, religionem christianam non esse nisi philosophiam; *Patres utique inde a saeculo 4* mysteria tradiderunt, at haud ignorabant ea nonnisi « complexionem oppositorum » esse. — N. assertum. Quoad primam ratio-

nem additam cf. dogma. Quoad secundam: Apologetae mysteria data opera tradunt, religionem christianam vero ideo nominant philosophiam, quia est digna «sapientiam amantibus». Tertia ratio contradicit tum probitati Patrum tum disertae eorum doctrinae de altissima sapientia in mysteriis abscondita.

Art. 2. — De revelatione mediata.

Propositio 4. — Revelatio mediata possibilis est — *p. 25.*

Adv. — *Quidam e Pseudomysticis, Deistis*; omnes *recentes Evolutionistae* in re dogmatica speciales rationes contra revelationem qua mediatam afferunt.

Arg. — ***1) E ratione intrinseca.*** — Inter obiecta per revelationem immediatam proposita etiam hoc contineri potest; Deum velle, ut veritates caeteris suo nomine credendae proponantur. Quod mandatum homo exsequi potest. Quo completo caeteri illas veritates Deo credere possunt.

2) Ex auctoritate humani generis. — Ordinarie revelationi mediatae credidit.

Ob. 1. — Revelata *necessario, antequam transmittantur, cum non revelatis confunduntur.* — N. Alias nunquam, quae unus homo dixit, ab alio sine erroribus tertio referri possent. Intrinseca ratio: cognoscuntur ut revelata, et ita a non revelatis distinguuntur.

Ob. 2. — Imo revelatio *sic dicta mediata diversa erit secundum diversitatem subiectorum,* qui eam recipiunt, imo ex parte falsa. Nam primo quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, et consequenter ut diversum communicabitur. Secundo omnes homines quasdam ideas religiosas falsas innatas habent. — N. ass. Ad rationem primam additam dist.: Modus quo diversa genera entium intelligentium, angeli, homines cognoscunt, diversus est, c.; *ea quae a diversis intelligentibus indicantur, necessario diversa sunt, n.* Caeterum difficultas potius probaret, ne revelationem quidem immediatam ullam immutatam recipi posse. — Ad rationem secundam: n. Porro, etsi omnes quosdam errores haberent, nihil sequeretur. Cf. ob. 1.

Ob. 3. — Quod *ob homine pronuntiatur,* non potest habere *auctoritatem nisi humanam.* — Dist.: si ut humanitus dictum pronuntiatur, c.; *si ut a Deo dictum, n.*

Corol. — *Impossibilitati morali in transmittenda religione revelata providentia divina mederi potest* iuvando memoriam, intellectum, voluntatem, tum in singulis tum in societatibus, tum naturali tum miracoloso modo.

Caput. II. — De religionis revelatae maxima convenientia et utilitate.

Conveniens de Deo dicitur, utile de homine. Non dicimus, revelationem ita Deo convenire, ut eo indignum sit revelationem omittere, sed ita ut revelatio specialibus motis perfectiones divinas glorificet.

Propositio 5. — Exsistunt fines Deo dignissimi atque bona hominibus maxime appetenda, quibus revelatio quaedam prae cognitione naturali commendetur, haud raro mediata prae sola immediata, praecipue religionis eiusque mysteria continentis.

Pars. I. — De revelatione simpliciter dicta — *p. 29.*

Arg. — 1) E natura rei. — Revelatio qua *actio miraculosa* exsistentiam atque potentiam, qua *locutio* sapientiam, qua locutio Dei *attestans* speciatim veracitatem Dei manifestat, nobis vero assensum e motivo infinito possibilem reddit. Obiecto quovis, quod continet, ad laudem Dei disponit.

2) Confirmatio ex auctoritate generis humani. — Actum fidei libere amplexum est, ergo eum qua sibi bonum agnovit; honorem prophetis etc. detulit.

Ob. 1. — Veritatis *inquisitio est perfectior* quam eius *possessio*, cum sola inquisitione facultates perficiantur. — N. ass. et rationem additam. Perficiuntur facultates *maxime actione perfecta, qua veritas possidetur.*

Ob. 2. — Si revelatio conceditur, *scientiae* morali quadam necessitate *decrescunt.* Nam nemo in ea inquirit quae iam cognita sunt. — *a*) *N. sup.* asserti et rationis additae, necessario *omnia revelari. b*) Ad rationem additam: Scientia est *cognitio e causis intrinsecis.* Ergo *revelatione attestante, non suppletur,* sed tantum aliquando ob novam normam externam infallibilem securior redditur.

Ob. 3. — Dedecet scientiam, pati *influxum a norma sibi extrinseca.* — Dist.: — si mediante *ipsa scientia* demonstrari potest, *eam* normam extrinsecam *assumendam esse,* n.

Pars. II. — De revelatione religionis. — *p. 32-5.*

***Arg.* — 1) E ratione intrinseca.** — Ea religiosa, quae sine revelatione *facile* cognoscuntur, per eam *certius et vividius* tenentur; ea vero, quae ex natura rerum et teste historia sine revelatione difficilius cognoscuntur, si tamen cognoscuntur, per eam *expedite,* inde ab initio *vitae, ab omnibus* etiam incultis, *sine foedo errore, magna cum certitudine et amplitudine* tenentur. — Porro maior perfectio vitae religiosae per se veram *felicitatem terrenam* promovet. Nominatim *scientiae,* imprimis philosophia, perficiuntur eo, quod in tot veritatibus, quae sive revelatae sunt, sive cum revelatis connexae, infallibilem *normam* habent.

2) Auctoritate generis humani, quod revelationem religionis multis modis extollit. Cf. thesim priorem.

Ob. 1. — Revelatio religionis *supponit, ea quae revelari possunt* iam antea sciri. Ergo non valde utilis est. — Dist. ma.: omnia vel quoad maiorem partem, n.; quaedam, scilicet ea quae ad iudicium credibilitatis necessaria sunt, subdist.: eadem claritate atque certitudine qua per revelationem tenentur, n.; minore, c.

Ob. 2. — Revelatio *fanatismum vel intolerantiam producit.* — Quoad *fanatismum,* n.; religio vera eum damnat, cum sit fervor, qui media illegitima vel legitima valde imprudenter adhibet. Quoad *intolerantiam,* dist: *dogmaticam* c. et nego eam esse malam; *civilem* debitis cum conditionibus adhibendam, n.

Ob. 3. — Revelatione multarum veritatum *libertas scientiae nimium restringitur.* — N. Inquisitio in causas intrinsecas rerum revelatarum nullo modo impeditur. Tantum habetur norma uberior, *errores efficacius impediens.*

Ob. 4. — Saltem *silentium* regnabit ex *timore, ne indirecte aliquid contra revelationem dicatur.* — *a)* Multae scientiae nullam vel vix ullam relationem cum revelatione habent. *b)* Historia teste tantus timor locum non habuit. *c)* Aliquod damnum a timidis mentibus forte procedens maioribus bonis compensatur.

Ob. 5. — Ethnici tantum revelationes de bonis terrenis ad deos reducebant — N.: Reducebant ipsos ritus religiosos, aliquando regulas morum.

Pars III. — De revelatione mysteriorum. — *p. 35-6.*

Loquimur hypothetice, si quae sunt mysteria atque revelari possunt.

***Arg.** E bonis quae revelatio mysteriorum confert.*

1) *Revelatio mysteriorum perfectionem religionis auget.* Nam mysteria cum intelligi nequeant, id quod est proprium fidei i. l. *ipse modus adhaesionis* ob solam auctoritatem, in iis credendis magis splendet. Unde iis credendis specialis defertur honor Dei, speciale acquiritur meritum humilitatis. Id quod etiam eo confirmatur, quod incredulorum superbia quam maxime repugnat mysteriis, credentium vero humilitas ob eorum fidem saepe maioribus tentationibus impugnatur. *Ipsae vero veritates revelatae* rectam augent de Deo atque nobis ipsis aestimationem: de Dei infinita essentia, potentia, sapientia, quippe qui mysteriosa in se habeat, cognoscat, perficiat; de singulis perfectionibus divinis, ad quas singula mysteria specialem ordinem dicunt. V. g. de Dei infinita communicabilitate, qua cum humana natura in unitatem personae coniungi possit; de Dei bonitate, si constat, eum de facto mysteriosa in nostram salutem esse operatum. — Cum qua aestimatione connaturaliter crescit amor et Dei et hominum, pro quibus talia Deus efficere dignatus est. Aucto autem hoc amore omnes caeterae virtutes augentur.

2) *Revelatio mysteriorum in naturalem perfectionem humani generis generatim sumptam redundat. a*) A perfectiore religionis statu etiam in genere maior perfectio verae felicitatis terrenae dependet. Iamvero, ut vidimus, mysteriorum revelatione religio multum perficitur. *b*) Speciatim intellectus mysteriorum revelatione valde perficitur. Nam ea credendo veritates sublimiores quas potest cognoscit.

3) *Speciatim scientifica procedendi ratio* multa emolumenta habet. Discit rerum indagator *circumspectionem,* quia edocetur, existere quae capi non possint; quia monetur ne facilius concludat, res ita esse in Deo, uti sunt in creaturis, atque proinde facilius statuat, ea ex essentia conceptuum obiectivorum fluere, quae nonnisi ex eorum modo imperfecto se habendi ortum ducunt. *Normam* habet eo perfectiorem, quo perfectius mysteria prae caeteris veritatibus intimam rerum creatarum atque ipsam divinam essentiam conceptibus analogis exhibere possunt. Unde mediantibus mysteriis ut principiis cognitionum, conclusiones de divina essentia atque intima rerum creatarum natura deducere possumus, quae sine revelatione mysteriorum nobis absolute

imperviae mansissent. Id quod theologiae speculativae est. Denique *quaedam ipsorum mysteriorum scientifica intelligentia* acquiri potest, si analogiis e rebus naturaliter notis illustrantur, si eorum nexus inter se et cum fine hominis exhibetur, si in unum systema scientificum colliguntur, si eorum ad veritates naturales relatio consideratur.

Confirmatio. *Ex auctoritate sapientum.* Revelationis mysteriorum convenientiam atque utilitatem Scriptura, Patres, doctores scholastici partim summa eloquentia celebrant, partim rationibus fere a nobis adductis declarant. Qui cum rerum divinarum cognitione excellant, sine dubio aequi aestimatores huius utilitatis dicendi sunt.

Ob. 1. — Quod non intelligitur neque scientiam promovet neque voluntatem movet. Atqui mysteria intelligi non possunt. — R. D. ma.: Eiusmodi enuntiabile, cuius neque sensus capi neque existentia ullo motivo affirmari potest, c.; in quo haec obtinent, etsi eius veritas ex intrinsecis rationibus deduci nequeat, n. — Voluntatem porro veritas ipsa movet, non vero eius intima explicatio.

Ob. 2 — Qui fidei in mysteria assueti sunt, si forte ad quaedam difficillima intellectu pervenerint, ea mysteria esse proclamabunt atque proinde *ab ulteriore inquisitione abstinebunt!* — R. N. as. Generatim, historia teste, theologi catholici non ita egerunt; obstat quoque a priori sciendi cupiditas, qua impulsi multi vel ipsa mysteria plene explicare studuerunt,

Ob. 3. — Qui mysteriorum revelationem laudant, generatim culturae humanae, speciatim scientiae naturalis hostes erant. Iamvero eiusmodi tenebrarum homines diiudicare nequeunt, quid scientiae utile sit. — R. N. ma. Nempe ii sunt, qui ex ethnicismi ignorantia ad religionis naturalis certam, amplam, e rationibus intrinsecis petitam cognitionem et doctos et secundum capacitatem eorum ipsos rudes perduxerunt atque perducunt; ii, qui inferioris culturae humanae thesauros eos, quos Graeci atque Romani comparaverant, quantum e temporum iniquitate licuit, posteris servarunt; ii, qui quando opibus et auctoritate plurimum valebant, et mediis materialibus et adiumentis spiritualibus omnem homine dignam rerum humanarum evolutionem promovebant.

Pars IV. — De revelatione mediata. — *p. 37-8.*

Agitur de revelatione praecipue revelationis per unum vel quosdam *integro populo vel humano generi* communicata.

Arg. — E ratione intrinseca. — Ita *manifestatur Dei potentia,* cum una actione miraculosa, qua uni revelationem dat,

idem obtinet, ac si singulis immediate revelet; *bonitas,* cum homini etiam id communicet, ut sit quadam ratione causa cognitionis veritatis divinae in aliis; *sapientia,* cum Deus utatur viribus creatis, quantum potest, cum praeterea ordinem naturae imitetur, in quo vita materialis et saepe etiam intellectualis ab uno in omnes vel multos derivatur. — Ita *homines vario modo perficiuntur.* Crescit certitudo de facto revelationis ob argumentum ex auctoritate humana; crescit humilitas, cum unus ab alio revelationem recipere obligetur, unio animorum, cum omnes eodem homine magistro utantur.

Ex auctoritate generis humani. — Omnes populi revelationem ab uno vel alio in caeteros derivare solebant.

Ob. 1. — Secundum dogma catholicum *Deus in omni actu credendi immediate atque sublimissimo modo in mentem hominis agit.* — D.: *Proponendo* per se ipsum unicuique *obiectum credendum, n.;* elevando intellectum et voluntatem ad ordinem visionis beatificae, c.

Ob. 2. — Si Deus homini *immediate* eandem summam veritatum revelasset, ea *cognitio certe magis vivida* fuisset. — Deessent tamen caetera a nobis in thesi proposita, quae ad gloriam Dei et hominum utilitatem faciunt.

Caput III. — De revelationis necessitate.

Propositio 6. — Si Deus voluit, ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti generis humani conditione, ab omnibus sufficienti amplitudine, expedite, firma certitudine, nullo admixto errore, cognosci posse; si porro nullum aliud extraordinariae suae providentiae auxilium concedere voluit, ipsa revelatio ad eum effectum moraliter necessaria esse dicenda est. — *p. 38-43.*

[***Qual.*** — Veritas definita a Conc. Vat. D. 1786].

St. qu. — Intelligitur necessitas *moralis,* i. e. quae remedium affert impotentiae morali seu ei difficultati operandi id, ad quod facultates et media adsunt (quod proinde physice fieri potest), quae impedit quominus ad actum perveniatur; *disiunctiva,* i. e. Deus aut revelationem concedere debebat, aut aliud adiutorium quo eundem effectum obtineret; *hypothetica,* scilicet

si Deus efficaciter volebat, humanum genus certam quandam perfectiorem cognitionem assequi. Intelligitur eiusmodi cognitio, qua ea quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt, in praesenti generis humani conditione ab omnibus etiam incultis, expedite inde ab initio vitae moralis, firma certitudine, debita amplitudine, quae vitam homine dignam deceat, nullo admixto foedo errore cognoscantur. — In suppositione elevationis ad ordinem visionis beatificae necessitas physica alicuius revelationis statuenda esset.

***Arg.* — 1) E ratione intrinseca.** — *Difficultas illa* cognitionis, quam parte prima in humano genere adesse demonstravimus, *sine revelatione (aut alio adiutorio extraordinario) ablata non esset.*

Non per singulos qua singulos, cum difficultates oriantur ex natura rerum et intellectus atque ex ea voluntatis mala dispositione, quae decursu saeculorum non minuta est. — *Non per media socialia.* Nam *philosophi* cognitiones habebant nimis imperfectas, eas vero quas habebant propagandi neque zelum habebant neque aptum modum, cum magisterium auctoritativum iis praesto non esset, magisterium vero simpliciter docens neque uniforme neque humano generi conveniens esset. — Religiones novae errores foedos continebant. *Societates religiosae* ritus eosque superstitiosos docebant. *Status civilis* Polytheismum fovebat. « *Lex* » *progressus* universalis saltem in rebus religionis non existit.

2) Auctoritas sapientum thesim confirmat: Plato, Iamblichus; Conc. Vat.

Ob. 1. — Si revelatio esset necessaria, *esset debita.* — Si revelatio *hypothetice et disiunctive* dicitur necessaria esse ad eam ampliorem cognitionem quam diximus, tunc revelatio hominis naturae debita est, n.; *si sine illa hypothesi et in se ipsa* diceretur necessaria ad cognitionem absolute necessariam finis naturalis et mediorum ad eum, tunc esset debita, c.

Ob. 2. — *Impotentia* generis humani ad cognoscendam religionem naturalem *repugnat sapientiae Dei.* — Si esset circa veritates *absolute necessarias ad finem naturalem cognoscendum,* si porro Deus in tali statu *nullum medium saltem naturale* ad eas veritates cognoscendas providentia sua *suppeteret,* c.; si utraque haec conditio deest, n.

Ob. 3. — *Eaedem sunt vires naturae intrinsecae nunc atque erant in statu naturae purae.* Atqui in eo statu impotentia moralis, de qua

in thesi, non adfuisset. — Et simul erant *eadem impedimenta* pro usu virium ad finem de quo agitur, p. pr. *Transeat minor,* de qua diversae sententiae sunt.

Ob. 4. — Impotentia illa *neque per revelationem aufertur.* Adhuc enim maior pars generis humani versatur in ea ignorantia quam descripsimus. — Dist. ass.: *Si audientes eam non credunt,* c.; si credunt, n.

Ob. 5. — Religiones e statu *Fetichismi per se ipsas ad perfectum statum populorum christianorum se evolverunt* mediante lege progressus. — *a*) Nego, probari posse, *eum statum fuisse primaevum. b*) Hodiernus status quorundam populorum habetur *per revelationem* susceptam et retentam. *c*) Habetur in genere progressus iste: *in rebus mundanis,* c.; religiosis, n.

Liber II. — De motivis credibilitatis revelationis.

Agitur de *motivis credibilitatis,* i. e. de rationibus, ob quas intellectus rationabiliter iudicare potest, locutionem, quae ut divina proponitur, de facto a Deo profectam esse. — *p. 44.*

Pars. I. — Vera motiva credibilitatis astruuntur.

Sectio I. — De motivis credibilitatis primariis seu de effectibus miraculosis.

Motiva credibilitatis dividuntur in *primaria et secundaria. Primaria* ea dicuntur, *quae existere atque in hominis mentem agere possunt, quin ulla alia motiva obiective praecessisse necessarium sit. Secundaria* ea sunt, *quae supponunt aliud obiective praecessisse atque iamiam in quemdam saltem hominem egisse. Illa* etiam, idque ut videtur aptius, vocari possent *per se stantia, haec non per se stantia.* — Alio sensu primaria ea appellantur, quae praecipua, i. e. omnibus, etiam rudibus, magis accomodata sunt; secundaria ea, quae generatim difficilius applicari posse videntur. Quem modum loquendi non sequimur. — Videbimus, motiva credibilitatis *primaria nonnisi in effectibus miraculosis consistere* posse. Unde iam de his agendum est.

Caput I. — De effectibus miraculosis generatim sumptis. — *E p. 48-50.*

Brevius per modum lemmatum ea proponimus, quae de nostra re in philosophia data opera fere tractari solent, praecipue ipsum conceptum exceptionis a lege physica eiusque possibilitatem. *Omittimus* ea, quae ad argumentum ex actionibus miraculosis formandum non necessaria sunt atque inter ipsos theologos disputari solent, uti sunt certae quaedam quaestiones de potentia physica angelorum. Pro ratione tractatus *insistimus* in iis, quae in miraculosis actionibus *ad rationem signi* pro revelatione divina requiruntur et sufficiunt.

Definitio. — *Effectus miraculosi seu miracula generalissimo sensu accepta sunt eiusmodi effectus praeter naturae cursum divinitus patrati, qui aliquo modo sive in rerum natura sive in mentibus hominum, in intellectu vel voluntate, manifestantur.* Intelligitur manifestatio, quae independenter a revelatione, per ipsam experientiam cognosci possit, sive immediata ea sit sive mediata.

Divisiones. — Praecipue ad nos spectant hae: *a)* Dividuntur *ratione eminentiae qua opus aliquod naturae cursum superat.* Aut superat tantum vires mundi visibilis aut etiam vires physicas angelorum sive naturales sive etiam elevatas. Illud aliquando dicitur v. g. miraculum absolutum vel sensu stricto, hoc relativum sensu lato.

b) Ratione modi quo opus praeter naturae cursum ad Deum ut causam reducitur. Aut Deus est eius causa tantum moralis, aut causa physica sive principalis sive unica.

c) Ratione rei, in qua effectus miraculosi suscipiuntur. Si fiunt in potentiis humanis, in quantum formaliter in bonum morale tendunt vel hanc tendentiam aliqua ratione participant, vocantur miracula moralia. Si in iis potentiis suscipiuntur, in quantum in alia obiecta tendunt, vel si in aliis subiectis inveniuntur, miracula physica vocari possent. Miraculum physicum dividitur, in illud, quod in externo mundo visibili patratur, aut in potententiis humanis, praecipue in intellectu et voluntate recipitur.

d) Ratione *cognoscibilitatis.* *α)* Quidam effectus miraculosi sunt *sensibiles per se,* utpote in natura sensibili patrati. Tales

ex usu termino technico vocantur miracula sine addito. β) Quidam effectus non sunt *sensibiles in se et per se, sed per aliud, quod tamen effectus miraculosos ut tales externo modo refert et consequenter ratione sui in eam cognoscendam inducit.* Huiusmodi sunt quaedam miracula in ordine morali et quaedam physica in intellectu patrata. Exemplo sint virtutes miraculosae christiana religione effectae et prophetiae. Illae quamvis per se sint in actionibus voluntatis, tamen connaturaliter externam quasi formam accipiunt actionibus externis; hae vero utpote cognitiones obiectorum eorum, quae naturaliter cognosci nequeunt, propositionibus haec obiecta enuntiantibus connaturaliter manifestantur. γ) Quidam effectus *neque per se neque per aliud rationem miraculi connaturaliter manifestans visibiles sunt.* Tales sunt e. g. cognitiones eiusmodi, quae ut miraculosae cognoscuntur non ex obiecto suo, quod nonnisi miraculoso modo cognosci posse iam aliunde constaret, sed ipso modo in animis abdito, quo habentur. Qui modus per verba directe repraesentari nequit, sed tantum aliis viis detegi potest. Verba enim humana exhibent quidem rem qua cognitam, at non omnia quae de modo cognitionis dicenda sunt. V. g. verba quibus aliqua res naturalis describitur eadem sunt, sive eius cognitio naturaliter acquisita est sive per accidens infusa. — Cum in theologia fundamentali miraculum tantum ut signum consideremus, signum autem ad cognoscibilitatem referatur, tractationem nostram secundum hanc cognoscibilitatis rationem dividimus.

Praecipue inquirimus, quid requiratur et sufficiat ut *diversae effectuum miraculosorum quasi species pro nobis sint signum revelationis,* i. e. **num et qua ratione constare possit earum veritas historica, philosophica, theologica, relativa.**

Veritas historica dicit, illum effectum, qui miraculosus vocatur, vere locum habuisse; *philosophica,* illum neque viribus naturae sibi relictis neque humano influxui deberi; *theologica,* illum ad Deum ut causam sive moralem sive physicam reducendum esse; *relativa,* illum ad id esse actu relatum, ut revelationis divinae factum (vel aliud, v. g. sanctitatem servi Dei mortui) probet.

Brevitatis gratia in tractandis singulis speciebus actionum miraculosarum prius *rationes internas* singularum assertionum

exhibebimus. Deinde pro omnibus assertionibus simul sumptis argumentum *ex auctoritate* addemus.

Lemma e philosophia: Actiones miraculosae fieri possunt. — *E p. 50-3.*

Pars I. — Nulla est interna repugnantia in actionibus miraculosis.

Arg. — *E conceptu ipso. a) Quoad effectus, qui tantum vires naturae sensibilis (et hominum) superant.* Ex una parte ipsae res materiales indifferentes sunt, ut ab hoc vel illo localiter moveantur; ad naturae vero ordinem pertinet, ut nullo modo (vel ad summum e sententia non recta veterum modo eodem semper sibi constanti) a causis creatis extra mundum visibilem positis moveantur. Ex alia parte existere possunt spiritus, qui et rerum vires, quae mediante motu locali in actum perduci possunt, perfectius quam homines norunt, et potestate movendi localiter praedicti sunt. Porro fieri potest, ut eorum actio moraliter ad Deum reducenda sit. — Certe exsistit causa omniscia et omnipotens Deus, qui talia efficere potest.

b) Quoad effectus, qui superant vires mundi visibilis, quae a spiritibus per naturales suas vires applicatae sunt. Cursus naturae in eo est, ut 1) res secundum id quod in iis est, agant vel patiantur, et 2) nullae res sive annihilentur sive creentur, quarum annihilatio vel creatio ab harum rerum exigentiis non requiritur. Iamvero quoad primum: Deus impedimenta externa actionibus vel passionibus ponere vel eas concursu denegato impossibiles reddere potest; potentia rerum oboedientiali (sive activa sive passiva) usus, in iis (vel per eas) perficere id potest, ad quod non sunt in potentia naturali. Porro quidquid res cum divino concursu agere possunt, id omne — exceptis actionibus vel passionibus vitalibus — etiam sine rebus creatis ipse solus Deus facere potest. Quoad secundum: Aliqua annihilare, creare potest, quae secundum ordinarium naturae cursum neque annihilanda neque creanda erant.

Si vero accidit, quosdam ex his effectibus per vires physicas angelorum miraculose elevatas patrari, fieri potest ut ad Deum qua causam moralem reducendi sint.

Pars II. — Etiam abstrahendo a revelatione testificanda existere possunt fines sapientes, ad quos Deus tales effectus dirigere possit.

Eum finem, qui in testificatione revelationis consistit ob speciale eius momentum pro nostro tractatu sequenti propria thesi stabiliemus. At neque caeteri fines omittendi erant, tum propter Naturalistas, qui omnem finem miraculorum negant, tum propter quosdam catholicos, qui finem testificationis revelationis in ipsam definitionem miraculi inferre velle forte videri possunt.

Arg. I. — *E finis enumeratis.* 1) *Manifestantur perfectiones divinae: Existentia* Dei clarius, perfectius quam aliis effectibus manifestatur. *Potentia* Dei, praecipue iis effectibus quos solus producere potest, at etiam iis quos spiritus creati naturaliter quidem efficere possunt, ad quos perficiendos vero specialem licentiam Deus iis concedere debet. *Scientia* Dei perfectissima. *Providentia,* qua omnes hos effectus ad bona consequenda apte dirigit. — 2) *Homines extraordinaria ratione miraculis iuvari possunt,* ut sive corporis sive animae quaedam bona consequantur vel mala evitent. Etiam poenae praeternaturali modo iis infligi possunt. Ita fit, ut quaedam virtutes connaturaliter perfectius exerceantur, uti sunt: Dei fiducia, fervor orationis precibus etiam miraculosa ratione exauditis, amor, timor, etc.

Arg. II. — *Ex auctoritate sapientum, aliorum.* Etiam abstrahendo a fine revelationis communicandae alium finem sufficientem miraculis assignant v. g. S. Aug., S. Ioh. Damasc., Alexandr. Hal., S. Thomas, Suarez, Salmanticences, Benedictus XIV, etc. — Homines autem boni passim etiam ob fines a testificanda revelatione diversos v. g. ad morbum depellendum miracula petunt.

Principia ad solvendas difficultates. *a*) **ex parte ipsarum rerum creatarum**: 1) *Si miracula in iis fiunt, ordo rerum ad Deum* non tantum non tollitur, sed perficitur. Ita enim magis directe ei subiiciuntur ut causae efficienti, sublimius ad fines eius altiores conferunt, perfectius eius activitatem vel entitatem imitari solent.

2) Etiam quando miraculum fit, *ipsae leges physicae, ipsae rerum vires, ipsae rerum naturae inviolatae permanent.* Tantum aliquid sive

mutatur sive impeditur ex iis quae etiam ex ipsa natura eiusque viribus existentibus nonnisi hypothetice fluunt, i. e. in actionibus. Saltem per se non requiritur ut plus mutetur. Quod cum dicimus, non negamus, Deum ipsas rerum vires in ordine ad miracula patranda elevare posse.

3) *Ordo naturae* ad illa, quae ex ea emanare solent, *ordo unius rei ad aliam*, se habet ut *particularis* relate ad universalem, qui est ordo rerum ad Deum. Quare exceptio ab ordine particulari ob fines ordinis universalis non est deordinatio simpliciter sed secundum quid, est vero simpliciter ordo isque perfectus.

4) *Neque* hic vel ille effectus, praeter ordinem particularem productus, *ordinem particularem plurimarum vel omnium rerum mundanarum necessario perturbat vel infringit*, v. g. mutata energiae quantitate in aliquo corpore non necessario omnes energiae in toto mundo extra ordinem debitum extrahuntur. Si vero talis effectus aliquando per se sequeretur, a Deo impediretur.

5) *Leges morales* generatim ideo mutari nequeunt, quia ordinem hominis ad Deum constituunt. Hic autem, eadem manente essentia Dei et hominis, necessario idem semper sit necesse est. Quaedam autem iura hominum inter se non ita ex hominis essentia fluunt, ut necessaria sint ad eius Esse simpliciter, sed ad Esse conveniens. Talia Deus, omnium iurium Dominus, etiam stante hominis essentia, e sententia multorum philosophorum et theologorum auferre potest. Ita polygamiam aliquando licitam fuisse putant.

b) **Ex parte Dei**: 1) Miraculum *non est contra immutabilitatem Dei;* etenim ab aeterno statuit et generatim ordinem naturae servare et aliquando ob fines sapientes exceptionem facere.

2) Neque obest *sapientiae* Dei. Quamvis enim naturae ordo sapientissimus sit, tamen non totam sapientiam Dei exhaurit sed profundiores thesauros aliis viis manifestandos relinquit. Porro nunquam miraculum ad eum finem patratur, ut id provideatur, quod ad perseverantiam ordinis universi necessarium sit. Nihil enim tale mundo deest. Omnes miraculi fines altioris ordinis sunt.

3) *Neque providentiam Dei destruit*. Etenim miracula non ita frequentia sint necesse est, ut in periculum vocent certitudinem de legibus physicis ad fines vitae humanae necessariam, aut in singulis vel in multitudine desidiam in adhibendis legibus physicis producant. Imo ita a Deo disponentur, ut hi effectus impossibiles sint.

Propositio 7. — Effectus miraculosi non tantum sunt argumentum aptum pro revelatione, verum etiam unicum primarium. — *E p. 53-6.*

St. qu. — *Expl. term.* Non dicimus, actionem miraculosam de qua est sermo, in revelatione immediata debere esse

realiter distinctam ab ipsa actione revelatrice Dei. Imo *certum est eamdem actionem Dei revelatricem in mentem hominis posse esse tum argumentum revelationis,* in quantum est miraculosa et ut talis cognita, *tum revelationem ipsam,* in quantum enuntiabilia a Deo dicta continet.

Adv. — *Quicumque veram revelationem negant,* non tantum necessitatem verum etiam possibilitatem argumenti ex actione miraculosa infitiantur. Cuius rei intima ratio haec est: qui revelationem divinam non in aliquo facto extraordinario divino, sed, uti adversarii possibilitatis revelationis solent, in perspicientia veritatis ex rationibus intrinsecis vel in experientia circa veritatem constituit, stulte ad aliquod factum ab ipsa evidentia intrinseca vel effectu veritatis diversum uti ad argumentum sic dictae revelationis recurreret.

Argum. — *E natura rei.* Hominem hunc vel illum esse auctorem alicuius enuntiabilis duplici via constare potest. Aut enuntiabile ab eius ore progredi videmus, aut enuntiabile quidem ipsum sensu aliquo percipimus, illud autem ab hoc vel illo procedere non videmus sed ex aliquo effectu, eius hominis proprio, concludimus, quem enuntiabili uti signum originis a se ipso apposuit.

Deum vero esse auctorem huius vel illius enuntiabilis non ex eo scire possumus, quod illud videmus prout ex Deo procedit; invisibilis enim nobis est Deus. Unde non remanet nisi modus secundus, seu aliquod quasi sigillum, aliquis effectus Deo proprius, locutionis probativus. Atqui talis non est nisi actio miraculosa.

Cuius rei ratio intrinseca haec est. Cum Dei essentiam non videamus, ad aliquem eius effectum recurrendum est. Iamvero hic non potest esse aliquod aliud enuntiabile in quantum est tale; etenim iterum eius ipsius origo divina probanda esset, et ita in infinitum. Ergo *debet esse aliquis effectus, qui primo utpote Deo proprius, quasi locum teneat essentiae Dei, qui secundo ita cum enuntiabili coniunctus est, ut inde pateat Dei consilium, hoc effectu sibi proprio enuntiabile ut suum exhibere.* Iamvero talis effectus non potest esse nisi actio miraculosa. Etenim si esset effectus aliquis Deo proprius, at secundum cursum naturae patratus, ut v. g. creatio animae in materia per

generationem disposita, ex eo nequit patere aliquod speciale consilium mentis divinae, sed nemo aliquod aliud consilium ex ea deducere potest, quam ut fines naturae promoveantur. Speciale consilium Dei tantum indicari potest aliqua actione Dei propria, quae simul est praeter cursum naturae ordinarium. Posse vero tali actione miraculosa etiam significari consilium Dei demonstrandi aliquod enuntiabile ut divinitus dictum, iam ex eo patet, quod homines effectibus sibi propriis suam locutionem probare valent. Non est autem minor Dei potentia quam hominum. Singulos autem modos, quibus haec coniunctio probativa fiat, videbimus, cum de veritate relativa singulorum generum actionum miraculosarum agetur.

Confirmatur. — *Ex auctoritate generis humani.* Et docti et indocti inter fideles, cum ad signa locutionis divinae primaria enumeranda convertuntur, solent talia afferre, in quibus apparet ratio actionis miraculosae sive in mente absconditae, sive voce prolatae, ut est prophetia, sive in ordine physico conspectae. Quae per decursum tractationis videbimus.

Ob. 1. — Revelatio est actio miraculosa. Iamvero ut medium probandi revelationem statuitur hic etiam ipsa actio miraculosa. Ergo *probatur idem per idem*, ergo circulus vitiosus incurritur. — R. N. as.: Ad prob.: circulus vitiosus habetur, quando id quod probandum est et id quod probat ad idem genus rerum pertinet, n.; si ea ipsa veritas, quae probanda est, ut medium probationis assumitur, c. Illud hic habetur, hoc non.

Ob. 2. — *Veritas historica et contingens nequit probare veritatem metaphysicam et necessariam.* Atqui actio miraculosa est veritas historica et contingens, quod est probandum sunt veritates metaphysicae et necessariae, puta veritates religionis naturalis, mysteria in Deo necessaria. — R. D. ma.: Veritas contingens nequit probare eam veritatem metaphysicam et necessariam, quae in veritatem historicam miraculi ut causa influit, v. g. exsistentiam Dei, n.; alias sd.: non directe, c.; non indirecte n. — Scilicet unum factum contingens, actio miraculosa, probat directe aliud factum contingens, i. e. locutionem Dei; locutio autem Dei, mediante veritate metaphysica, Deum neque falli neque fallere posse, credibilitatem veritatum revelatarum manifestat.

Ob. 3. — Actio miraculosa est signum revelationis divinae, in quantum est signum naturale omnipotentiae Dei. Atqui *omne ens, quippe quod ut causam exsistentiae suae infinitam virtutem requirat,* est signum naturale omnipotentiae Dei. Ergo aut omne ens aut nullum est

signum revelationis divinae. — R. D. ma.: si simul accedit ratio excedentis cursum naturalem rerum, c.; si haec ratio deest, n.

Ob. 4. — Actio miraculosa generatim non est nisi accidens physicum minimi cuiusdam momenti, v. g. sanitas in aliquo brachio homuncionis cuiusdam producta. Atqui *religio revelata cum omnibus suis beneficiis et perfectionibus tam misero accidenti inniti nequit.* — R. C. ma., d. min.: religio obiective sumpta i. e. complexus veritatum et obligationum circa Deum, item subiective sumpta v. g. charitas, fides, tale accidens neque ut totalem neque ut partialem sui causam habent, c.; ipsum iudicium credibilitatis talis religionis obiective sumptae, sd.: non ut causam aliarum suarum perfectionum c., non ut causam seu motivum certitudinis suae, iterum sd.; non in quantum est accidens c., non in quantum est signum locutionis Dei, n. — Cf. v. g. effectum physicum externum in subscriptione instrumenti pacis inter duo regna, qui non est nisi dispositio alia particularum atramenti.

Ob. 5. — Actio miraculosa assumitur ut argumentum locutionis Dei. Atqui *etiam ipsa actio miraculosa est locutio,* secundum celebre illud effatum, Deum miraculis loqui. Ergo etiam actio miraculosa iterum aliud signum locutionis divinae requirit, et ita in infinitum. — R. C. ma., d. min.: actio miraculosa est locutio sensu stricto, n.; sensu lato, c. Pariter d. cons. — Etenim sicuti effectus secundum naturae leges, ita etiam effectus praeter naturae leges est eiusmodi, e quo prius cognito ad iudicia in mente divina vi syllogismi concluditur, quo proinde non directe sed tantum indirecte Deus iudicia sua nobis manifestat.

Ob. 6. — *Finis miraculi extrinsecus v. g. sanationis filii aegroti est is, ut sit signum exauditionis precum, realis et activae praesentiae Dei, libertatis spei,* etc. Ergo non est signum locutionis divinae. — R. 1) N. sup., miraculum non posse esse simul naturale signum v. g. bonitatis Dei, si est v. g. sanatio, et signum ex institutione locutionis Dei, si ad talem extrinsece refertur. 2) Etiam precum exauditio est finis extrinsecus miraculi; potest enim fieri, quin preces praecesserint.

Ob. 7. — *Actio angeli non est Deo propria.* Atqui actio miraculosa potest esse actio angeli. — R. D. ma.: physice, c., moraliter sd.: non ea, cuius causa moralis Deus esse demonstratur, n. Cd. min.

Ob. 8. — Secundum Concil. Vaticanum sess. 3. cap. 3 *miraculum,* utpote signum a Deo assumptum, *divinam omnipotentiam luculenter commonstrare debet.* Atqui opus per naturales angelorum vires praeter naturae cursum factum omnipotentiam divinam non commonstrat. — R. Auctores solent distinguere ma. ita: aut directe aut indirecte c., tantum directe, n. — Directe omnipotentiam Dei demonstrat opus, quod physice a solo Deo fieri potest; indirecte tale, quod probatur ab eo ut causa morali profectum esse.

Caput II. — De effectibus miraculosis in specie.

Sectio I. — De effectibus per se sensibilibus seu miraculis.

§ 1. — De natura miraculorum.

Lemma ex philosophia: Miracula fieri possunt.

Pars. I. — Non habetur repugnantia notarum.

Arg. — *Quoad miracula late dicta.* Spiritus si existunt, certe motu locali activa passivis in mundo corporeo applicare possunt, idque eo modo, quo vires naturae sibi relictae non potuissent, unde effectus producere possunt, quos vires naturae sibi relictae non produxissent, sive magnitudinem effectus respicis sive celeritatem sive modum operationis. Iamvero tali ratione habentur effectus praeter cursum naturae. Etenim ad cursum naturae non pertinet, ut spiritus activa passivis applicent, praecipue non eo modo quem diximus. — Porro fieri potest ut Deus sit causa moralis talium actionum spirituum. Ergo miracula late dicta fieri possunt.

Quoad miracula stricte dicta. Deus per se ipsum idque subito eas omnes actiones in mundo corporeo efficere potest, ad quas corpora alias inter se determinare debent, quaeque proinde suo tempore indigent. Insuper utendo potentia eorum obedientiali effectus alios atque eos producere potest, ad quos corpora in potentia naturali sunt. Praeterea omnibus ad agendum requisitis concursum denegare potest. Denique, creare, annihilare valet ea in mundo corporeo, quae secundum cursum providentiae ordinariae et fixae creanda vel annihilanda non erant.

Pars. II. — Existunt fines Deo digni, ob quos miracula patrare possit, etiam abstrahendo a revelatione confirmanda.

Cf. Rep. p. 42. Cogita speciatim liberationem a malis physicis, quae generatim mediante natura corporea hominem ex anima et corpore constantem tantopere premunt.

Assertio. — Miracula in signum revelationis elevari possunt; imo, spectata natura hominis, convenientissime id fieri dicendum est. — *E p. 60.*

I. Miracula in signum revelationis elevari posse iam inde eruitur, quia ad effectus miraculosos pertinent. Cf. Rep. p. 43-6.

II. Idque convenientissime fieri ex his patet: — 1) *Si respicitur natura hominis in se sumpta. a*) Homo ad divina per sensibilia assurgit. Miraculum autem est effectus sensibilis. *b*) Conveniens est, signum ex natura sua facile attendi et diiudicari. Iamvero miraculum facile attenditur, quia ex natura sua est insolitum, praecipue si eiusmodi exceptio eligitur quae sensus non ferire non possit; facile ut exceptio diiudicatur, quia potest esse exceptio ab eiusmodi legibus, quae inter innumeras nobis magis notae sunt. — Caeterum Deus certe potest dare media, quibus hominem iuvet, ut illud medium facile adhibeat, quod ex natura rei aptissimum est. — 2) *Si respicitur natura revelationis. a*) Etenim sicut revelatio ipsa quae probanda est, ita miraculum ex natura sua omni tempore et loco pro omni homine patrari potest. Ubique enim praesto est natura corporalis. *b*) Speciatim vero revelationi tum publicae tum mediatae convenit. Plurimis enim hominibus eodem miraculo, ab omnibus viso et diiudicato, eodem tempore, eadem revelatio probari potest.

§ II. — De cognoscibilitate miraculorum.

Propositio 8. — Certo cognosci potest veritas historica miraculi. — *p. 61-5.*

Arg. — ***1)*** Si agitur **de cognitione immediata.** — Effectus eo quod extraordinario modo producitur, nihil sui esse sensibilis amittit. Imo generatim facilius quam in multis aliis factis excluduntur causae erroris: inadvertentia, quia est factum extraordinarium; difficultas rei, quia saepe est factum quam maxime palpabile; praecipitantia, si agitur de motivo credibilitatis pro revelatione officia gravissima imponente; illusio daemonis, saltem si agitur de facto quod externe relatum est ad revelationem probandam, dummodo diligentia moraliter possibilis adhibita

fuerit: quae illusio in hac suppositione saltem ideo exclusa est, quia Dei providentia specialem curam habere debet ut revelatio hominibus prouti exsistunt, probari possit.

2) Quae diximus suo modo **ad cognitionem mediatam,** per testes, applicentur.

Ob. 1. — Qui affirmat miraculum, *dicit leges naturae fuisse et non applicatas et applicatas:* nam nisi implicite affirmaret, in suis facultatibus cognoscitivis omnia secundum leges naturales facta esse, neque effectum externum sensibilem affirmare posset. — Dist.: *easdem in eodem subiecto et eodem tempore,* n.

Ob. 2. — *Falli in observationibus cotidianum est.* — In difficilioribus, vel in facilioribus si sunt parvi momenti, praecipue ob parvum earum momentum et consequentem parvam attentionem, c.; in facilioribus magni momenti, n.

Ob. 3. — Probabilitas ut miraculum fiat ad eam *ut non fiat,* se habet *ut unum ad infinitum.* — Ergo raro observabitur eiusmodi actio, quia raro fit, c.; si fit, cognosci nequit, n.

Ob. 4. — Supernaturale *sola fide* cognosci potest. — Dist.: Mysterium, c.; exceptio a lege physica, n.

Ob. 5. — *Certitudo* debet esse *tanto* maior, quanto *maius* est *momentum miraculi.* — N. Maius vel minus momentum miraculi pendet ab utilitate maiore vel minore miraculi, dummodo vere certum sit.

Ob. 6. — *Saepius* hominum *scientia seu veracitas deficit quam leges physicae.* — Sequitur plura mendacia vel errores in mundo exsistere, quam miracula, c.; non posse cognosci miracula, n.

Ob. 7. — *Maior certitudo,* scilicet physica de legibus servandis, *vincit* minorem, scilicet moralem de facto recte observato. — Si sunt de eadem re, tr.: si *de diversa re,* n.

Ob. 8. — Testes *mediati* connaturaliter, per decursum temporis, *semper plus et obiecti narrati et certitudinis amittunt.* — Si agitur de re scripta, vel de orali traditione rei publicae magni momenti, n. — Imo per se certitudo augetur numero testantium, qui narrationem sibi traditam examini subiecerunt.

Ob. 9. — *Conditiones ad argumenti vim essentialiter requisitae omissae sunt,* v. g. formae iuridicae, quales ecclesia pro miraculis in beatificatione requirit —. N. *a)* Unica conditio est: scientia et veracitas testium de *tali re. b)* Ecclesia pro miraculis in beatificationibus tales formas iuridicas hodie utique requirit, at non ut necessarias ad veram certitudinem, sed ut utiles ad alios fines.

Ob. 10. — *Contra scientiam* est, in argumentis ad *providentiam* divinam provocare. — Ad eam, quam adesse debere antea demonstratum est, n.

Propositio 9. — Certe cognosci potest veritas philosophica miraculi. — *p. 65-7.*

Arg. — *1)* Cognosci potest, *quas vires thaumaturgus sciens et volens adhibuerit.* Si *omnibus notae* sunt, testium vigilantia, legati prudentia etc. Si *soli legato notae* dicuntur, eas aut *naturaliter scit,* aut *praeternaturaliter.* Primum excludi potest legati veracitate, impossibilitate acquirendi eam scientiam quae requireretur; secundum confessione sive explicita sive implicita legati et eo modo patrandi miracula, qui applicationem diversarum virium excludit.

2) Cognosci potest, *eas vires, quas legatus forte adhibuisse diceretur* v. g. impositionem manuum, *effectum non produxisse;* ex eo quod, sub iisdem circumstantiis eodem modo applicatae, eundem effectum non producunt; ex eo quod quidam effectus et causae in diverso genere inveniri possunt, v. g. organico, inorganico.

3) Cognosci potest, *vires ipsi thaumaturgo incognitas effectum non produxisse.* Si *magna series miraculorum consideratur,* eo quod coincidentia non posset explicari nisi libertate virium; *si singula,* eo quod aliquid in iis invenitur, quod contradicit conditioni omnis modi agendi naturae sibi relictae, v. g. si effectus habetur in materia non disposita.

Ob. 1. — Non cognoscimus leges omnes. — Ergo non possumus scire exceptiones ab *iis legibus quas scimus*, n.

Ob. 2. — *Nescimus, quid eae vires quas cognoscimus, perficere valeant.* — Dist.: quid *sub iisdem conditionibus* valeant, n.; quid sub diversis, subdist.: *intra genus causalitatis suae,* tr., extra illud, n.

Ob. 3. — *Veteres recenter inventa miracula habuissent.* — Si scivissent, ea *applicationi humanae virium naturae deberi,* n.

Ob. 4. — Potius dicendum est, usque nunc *legem physicam recte cognitam non fuisse.* — Probatae sunt leges physicae in cosmologia.

Ob. — 5. *Modestiae est,* suspendere assensum. — Si constat de exceptione, n.

Propositio 9. bis **— Certo cognosci potest veritas theologica miraculi.** — *p. 67-73.*

Arg. — Quaerimus criteria, quae ab omnibus, non tantum a maximis philosophis, applicari possint. — Spectat ad provi-

dentiam Dei, criteria *hominibus prouti sunt* suppeditare, quibus opera spirituum suo ipsorum nomine in probanda revelatione agentium, ab operibus a Deo profectis distingui possunt. Iamvero eiusmodi *criteria,* quae *e sola natura physica* operis haurirentur, quae scilicet manifestarent, opus ad solum Deum ut causam immediatam physicam reducendam esse, e natura rei atque ex auctoritate sapientium *difficiliora* sunt, quam ut ab hominibus, quales esse solent, morali facilitate applicari possint. Ergo sufficere debet, ut sint criteria physico-moralia. I. e. si agitur de operibus externe ad probandam revelationem relatis, ea ad Deum ut causam sive physicam sive saltem moralem reducenda sunt, *si primo praeter naturae* sensibilis *cursum patrata sunt; si secundo nullam oppositionem ad Deum qua agentem ad extra cognoscibili modo continent,* i. e. nullam oppositionem ad Dei sive potentiam sive sapientiam sive bonitatem.

Oppositio habetur *ad potentiam:* si potestas thaumaturgi invenit contrariam fortiorem; si a creatura cogitur (magia); si ad certas operationes ligatur; si opus imperfectius producit quam promissum erat. — Ad *sapientiam:* si opus est inordinatum: si finis intrinsecus sine vera corporis aut animae utilitate; si finis operantis irrationabilis est, v. g. confirmatio doctrinae, quae aliunde ut falsa nota est; si modus patrandi Deo indignus: si thaumaturgi solent esse caeteris magis insipientes. — Ad *sanctitatem:* si opus in se est contrarium legi Dei; si doctrina ad quam probandam miraculum refertur, aliunde nota est ut mala; si modus patrandi mala continet; si personae solent esse caeteris deteriores; si effectus ad minus bonum vel ad malum tendunt; etc. — Quo magis contraria horum omnium obtinent, eo evidentior est veritas theologica.

Ob. 1. — *Criterium* ob essentiam suam *e sola natura physica* operis desumendum est. — N. Hoc *non* includitur *in conceptu;* contra auctoritatem doctorum est.

Ob. 2. — Si criteria moralia, v. g. effectus boni adhibentur ad miraculum divinum a praestigio diabolico distinguendum, *non* habetur argumentum *e miraculis,* sed *ex effectibus* bonis. — N. Cf. ~~sigillum indicatum~~ genuinum ex materia laccae.

Ob. 3. — Deus spiritui concedere potest *generalem et potentiam et licentiam patrandi* opera praeter naturae cursum. — Dist.: *subduc-*

tam iis providentiae legibus, quas in hac parte theseos *ut necessarias* probavimus, *n.*

Ob. 4. — Etiam criteria *physico-moralia* nonnisi *difficillime* applicari possunt, saltem *ab ethnicis.* — Dist. : omnia idque scientifica methodo, c. ; *unum vel aliud,* modo non scientifico, subdist. : nulla omnino diligentia praemissa, c. vel tr. ; *ea diligentia praemissa cuius etiam ethnici capaces sunt,* n. — *Ethnici* non sunt sine *cognitione naturali Dei* atque rerum divinarum ; si humana natura in quibusdam ethnicis extraordinario modo depravata est, saltem mediante ipsa *praedicatione missionarii* ante illud tempus, quo iudicium credibilitatis formandum est, ad eum gradum talis cognitionis elevari possunt, qui necessarius est ad vim miraculi capiendam.

Ob. 5. — *Diabolus diabolum expellere* potest. — Dist. : ad finem bonum vel ad malum qui prudenter iudicari possit bonus, n. ; *ad malum, qui ut talis cognoscibilis est,* c.

Propositio 10. — Certe constare potest de veritate relativa miraculi. — *p. 73-7.*

Arg. — ***1)*** Cum **de revelatione immediata** agitur : si ipse loquens affirmat se, Deum, loqui et ad hanc affirmationem probandam se miraculum patrare ; si porro miraculum reapse sequitur, idque ita, ut de eius veritate historica, philosophica, theologica constet.

Etenim *arctior connexio* inter revelationem et miraculum ab ea realiter distinctum *exsistere nequit.* Ergo Deus *aut nunquam* per miraculum revelationem immediatam probare potest, *aut* miraculum *sub conditionibus dictis* probat. Iamvero *prius falsum est.*

Nam neque e ratione neque e revelatione constat, Deum aut tantum per revelationem ipsam, in quantum est actio miraculosa, probare velle revelationem, in quantum iudicia divina continet ; aut eum tantum aliis actionibus miraculosis, non vero effectibus sensibilibus praeternaturalibus seu miraculis qua argumentis uti velle. Imo effectus sensibilis naturae *hominis,* ut vidimus, valde convenit. (Cf. Mosis brachium sanum, mox leprosum, et viceversa).

2) Cum **de revelatione mediata** agitur : *a*) si sub iisdem caeteris conditionibus iam nominatis, *legatus ex sua parte affirmat,* Deum haec eloqui et ad hanc suam affirmationem probandam miraculum explicite vel implicite refert, Deus vero non revelavit, se tantum ad alios fines actiones miraculosas patrare ; aut

se alias quidem actiones miraculosas, non vero miraculum ad probandam legationem patrare. *Alias Deus se privaret potestate probandi revelationem mediatam per miracula,* i. e. per effectus sensibiles extraordinarios. *Hac autem potestate privari nequit.*

Nam ad supremum eius dominium spectat, Deum ad hunc finem debere uti posse *omni medio e natura sua apto,* a fortiori eo medio, quo nullum ad revelationem *mediatam hominibus* probandam aptius est.

b) Modi, qui a verbi legati abstrahunt: si iis miraculis fides in futurum legatum commendatur vel si auctoritate legati fiunt; si legatus prae caeteris dono miraculorum insignitus est; si ea studium hominum in eum qua talem promovent; si gloriam animae vel corporis legati manifestant vel efficiunt vel praemium legati constituunt; si fides in eum habet rationem causae efficientis vel finalis in iis patrandis; si iis puniuntur legati adversarii qua tales.

Ob. 1. — In thesi de veritate theologica miraculorum *e doctrina* etiam qua revelata concludebatur *ad miraculum;* hic, in thesi de veritate relativa miraculorum, *e miraculo ad doctrinam* revelatam concluditur. — Dist. : *e doctrina,* quae iam *independenter* ab *hoc* miraculo diiudicando nota est, concluditur, illud *miraculum posse esse* a Deo; *postea* e miraculo, quod aliunde constat habere veritatem historicam, philosophicam, omnia quae ad theol. requiruntur, relativam, demonstratur *alia doctrina,* ad quam probandam actu refertur.

Ob. 2. — Miraculis *per ethnicos* patratis *ethnicismus non commendatur.* Ergo a pari. — Ad ma. : Quia ea miracula carent veritate aut hist., aut phil., aut theol., aut relat. aut pluribus simul, c.

Ob. 3. — *Praedicatores,* qui falsa quaedam, etsi bona fide, veris admiscere solent, tamen miracula *in confirmationem doctrinae praedicatae* patrasse videntur. — Dist. : Miracula ad probanda ea omnia et singula, quae in praedicatione dicunt, referre solent, n. ; *ad doctrinam ecclesiae confirmandam,* c.

Ob. 4. — Argumenta supponunt, Deum non posse mentiri. Atqui *Deus potentia absoluta mentiri potest.* — *a*) N. ma. Supponunt, Deum non se posse privare medio absolute vel moraliter necessario, ut se hominibus revelare possit. — *b*) *N. Min.*

Ob. 5. — Deus *permittere potest*, ut legatus miracula *mendaciter referat* ad legationem probandam, uti permittere potest, ut iis *ad alios fines pravos* abutatur. — N. paritatem. Deus potest permittere multa mala, non vero huiusmodi malum, e quo sequeretur, finem aliquem *necessarium* suae providentiae impossibilem reddi. Qualis finis necessarius est, miraculis *revelationem suam probare posse.*

Ob. 6. — Etiam sapiens princeps, *non obstante possibilitate abusus, sigillum* suum ministro *tràdit.* Ergo a pari Deus ita agere potest. — Dist. : Nego paritatem. Princeps abusum absolute impedire non potest, Deus vero eum *impedire potest* eo quod concursum denegat.

Ob. 7. — Theologi optimi concedunt, Deum, *etiam stante tali mendacio legati, miraculum patrare posse.* — Dist. : Hoc affirmant in ea suppositione, quod Deus antea revelaverit, se *in omni casu ad alios fines* quam revelationem probandam, miraculum patraturum esse.

Propositio 11. — Quae de miraculis hucusque probavimus, humani generis atque praecipue sapientum auctoritate comprobantur. — *p. 77-83.*

St. qu. — Ex auctoritate humani generis confirmatur, veritatem miraculi tum historicam tum philosophicam tum theologicam tum relativam cognosci posse, si probatur, ex persuasione generis humani constare posse, miraculum *aptum esse ad revelationem probandam.* Nam in hac aptitudine agnita *quadruplex illa veritas ut agnita includitur.*

Arg.* — *1) Ita *Christus* docuit, ut probatur in tract. de revel. christ. — *Eccl. cath.* Conc. Vat. D. 1813 : « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, nec iis divinam religionis originem rite probari, a. s. ». — Eadem erat persuasio in *Vetere Testamento.*

2) *Ethnici* nonnisi ob *miracula putativa* a diis facta censebant, eos sibi locutos esse. Apologetae pro iis e miraculis divinis religionem christianam probant.

Ob. 1. — Notio *legis naturae,* ergo miraculi, *recentior* est. — Dist. : notio falsa de lege, a qua exceptio fieri non possit, c. ; de lege, a qua exceptio fieri possit, n.

Ob. 2. — *Post Copernicum* universa *ratio considerandi naturam mutata* est. — Dist. : mutatum est iudicium *de relativitate motus* stellarum, quem tamen secundum leges fixas fieri semper tenebatur, c. ; mutata sunt quaedam in iudicio de legibus universim sumptis, n.

Ob. 3. — Leges *universales* non sunt cognitae *nisi post Newton* ; v. g. leges particulares quod lapis cadit, terra circa solem movetur, non esse nisi applicationes speciales unius legis universalis, scilicet attractionis — N. suppositum, hanc cognitionem esse necessariam, ut cognoscatur exceptio a lege particulari vel applicatione legis universalis.

Ob. 4. — *Hodie plures leges* cognoscimus. — Ergo plura miracula cognoscere poterimus.

Ob. 5. — *Scholastici angelis,* ergo entibus liberis, regimen rerum mundi ascribebant. — Dist.: Ita ut negarent, eos *secundum rerum naturam* influxum suum exercere debere, n.

Ob. 6. — Commune erat Hebraeis et Christianis *piis, in omni re immediatam actionem Dei videre.* — Dist. : *factam sive secundum leges naturae, sive praeter eas,* at semper procedentem e cura quam ipse Deus immediate de singulis habet, c.

Ob. 7. — Saltem *nulla positiva probatio adest, Hebraeos notionem legis naturae habuisse.* — *a*) Ea probatio necessaria non est, cum sit notio omnibus hominibus *evidens.* *b*) Constantiam agendi, eamque necessariam efferunt. *Sap.* 19, 19 « *aqua extinguentis naturae* (δυνάμεως) » ; Talmud : « *pactum* cum aquis ». *c*) Tantum opera Dei extraordinaria ut *motiva credibilitatis* habebant. *d*) *Nomina* directe vel indirecte rationem extraordinariam in tali opere efferunt.

Ob. 8. — Saltem pro *Patribus* non habetur eiusmodi probatio. — N. as. *a*) Notio *legis naturae :* Cyr. Alex. : « *ineluctabile voluntatis suae iugum* ; Euseb. : « Lex naturae ». *b*) Notio *miraculi*. Iustinus : « *et sua natura et hominibus sunt impossibilia* ». Ambr. : « non secundum elementorum naturas ». Aug. : « *tota ratio facti est potentia facientis* ».

Ob. 9. — *S. Augustinus* habebat miraculum ut *effectum virium naturalium* sibi relictarum. Adducuntur loci tres. — N. as. *a*) Cf. textum allatum. *b*) *Locus prior :* « fit non contra naturam sed contra quam est nota natura » i. e. fit *non contra potentiam eius obedientialem,* sed naturalem, quae sola nobis nota est. *Locus alter :* « Supra spem et facultatem mirantis », quippe qui *rationabiliter non speret, nisi ea quae in natura rei sunt* et quae ipse ex ea facere potest. *Locus tertius :* Fit, quia « occulta quaedam semina in istis corporei mundi huius elementis latent », scilicet *occulta nobis hominibus, non occulta spiritibus,* qui certa miracula applicatione virium naturae facere possunt.

Ob. 10. — *Scholastici diversa sentiebant de potentia angelorum.* Ergo veritatem theologicam miraculorum cognoscere non poterant. — Dist. ma. : de potentia angelorum *ut subdita providentiae Dei volentis per signa probare revelationem, n.* ; ut in se considerata, subdist ; in omnibus n., in multis, c. Pariter dist. consequens.

Ob. 11. — *Deut.* 13, 1-3 edicitur *miraculum nullum valorem probativum* habere ; imo *Mt.* 24, 23-5, illo homines in *errorem induci.* — De miro *diabolico* sermo est, quod e doctrina opposita Monotheismo et doctrinae de Iesu ut vero Messia, ut diabolicum cognosci potuit.

Ob. 12. — Mt. l. c., 2 Thes. 2, 8-11 facultas *distinguendi* inter miraculum divinum et mirum diabolicum ad *favorem divinum* reducitur. — Qui est in retinenda firma fide, requisita ad illam normam negativam adhibendam, de qua mox diximus.

Ob. 13. — S. Augustinus ait, *non* esse dicendum : « *Verum* (hoc vel illud) *est, quia* illa et illa *miracula fecit Donatus* ». « . . . *Non ideo* ipsa (ecclesia) *manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt* ». Ergo ne-

gat veritatem relativam miraculorum. — In primo loco docet, in miraculis *haereticorum* aliquando veritatem historicam, (aliquando philosophicam), aliquando theologicam, sed *certo saltem relativam ad probandam haeresim deesse*. — Secundo loco *per modum transmittentis* loquitur, ut Donatistas e Scriptura refutet. Ad summum putasset, in *talibus* miraculis ad memorias martyrum non clare contineri veritatem relativam ad demonstrandam veritatem ecclesiae catholicae. De qua re hic non quaeritur.

Ob. 14. — Patres miracula non proponebant ut motiva credibilitatis sed *tantum ut opera misericordiae,* imagines veritatum etc. — In operibus conscriptis ad *fidem gignendam vel promovendom, n.;* ad pietatem Catholicorum fovendam, subdist.: tantum ita ea proponunt n., saepe, c.

Ob. 15. — Patres argumentum e miraculis *negligunt prae argumento e prophetiis,* imo aliquando argumentum *e prophetiis quasi in adiutorium vocant.* Ergo argumentum e miraculis *tantum probabile* habent. — *a*) *N. consequentiam.* Sequitur tantum, in certis circumstantiis argumentum e prophetiis magis utile fuisse; aliquod ex elementis ad miraculum requisitis aliquando etiam facilius demonstrari per aliquam prophetiam de eo, quam sine ea. *b*) Argumentum *e prophetiis prophetarum de Christo, pro Iudaeis et paganis speciali modo aptum erat:* pro illis, quia prophetarum erant; pro his, quia prophetiae hae simul continent expositionem religionis christianae.

Ob. 16. — Si miracula haberent vim probandi, *homines credidissent.* — *a*) *Plurimi crediderunt. Plurimi nondum ea audierunt,* ergo propter ea nondum credere poterant. *b*) *Libertas* est et *in motivis* credibilitatis *considerandis,* et in *ipsa fide.* *c*) Eadem difficultas *contra omnia argumenta* simul fieri posset.

Sectio 2. — De effectibus miraculosis per se spiritualibus, qui tamen in ipsa ratione miraculi connaturaliter sensibiles fiunt.

Praenotandum circa modum, quo omnes eos effectus miraculosos tractabimus, qui non sunt per se ipsos sensibiles. — Quia omnes eiusmodi effectus miraculosi probant non qua effectus, sed qua effectus miraculosi, etiam eorum veritas historica, philosophica, theologica, relativa exponenda est. Quia vero mens huic argumentationi e tractatione de miraculis iam assueta est, hic nonnisi brevissime innuemus, quae his effectibus in ratione argumenti propria sunt. Accuratius quasdam difficultates tractabimus, quae contra argumenta ex his effectibus afferuntur. Cum de possibilitate eiusmodi effectuum in philosophia aliquando non agitur, etiam de ea pauca verba addemus.

Art. 1. — De effectibus miraculosis in intellectu.

Propositio 12. — Effectus miraculosi in intellectu: sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia revelationem probare possunt. — *p. 83-102.*

Enumerantur atque definiuntur hi effectus miraculosi.

1) Ea cognitio quae termino generaliore dicitur **sapientia mirabilis.** Consistit in hoc: Res (praecipue) ad ordinem speculativum et ad mores spectantes cognitae sunt tot, tam sublimes, tam bene inter se ordinatae, tanta cum certitudine, tanta cum facilitate, ut haec cognitio (vel cognitio simul cum apta expositione) applicationem eam virium superet, quae hominibus moraliter possibilis est. Ratio miraculi aut est in ea applicatione virium cognoscitivarum, quae hominis facultatem superet, aut in communicatione quadam praeternaturali ipsarum veritatum aut in utraque ne simul.

2) **Cognitio rerum absentium** (Telepathia). Intelligitur cognitio rerum sensibilium, quae iam factae sunt vel nunc fiunt, at quibus vires sensitivae hominis ea cognoscentis applicatae non erant.

3) **Scrutatio cordium.** Est in eo ut eiusmodi cognitiones in animo hominis latentes cognitae sînt, quae solis verbis eius vel signis naturalibus manifestari possint, quin tamen talia verba aut signa naturalia praecesserint.

4) **Prophetia.** *Etymologice vox prophetia* derivatur a πρό et φημί. Significat locutionem nomine alterius factam. — *Usus* etymologiae limites multum excedit. Prophetia sensu generalissimo dici solebat omnis occupatio cum re scientifica, praecipue religiosa; sensu minus generali elocutio eorum, quae aliqua ratione lumini praeternaturali debebantur, sensu etiam magis determinato praedictio rei futurae. Haec nunc magis communiter prophetia audit. — Si res futura iam existit in suis causis creatis necessario agentibus, eius praedictio dicitur prophetia sensu proprio at minus stricto; si non, prophetia sensu proprio et stricto. Hoc sensu stricto in apologetica et theologia vocem adhibere solemus.

Definitur prophetia sensu stricto : Rei futurae liberae praedictio univoca et certa. Res futura *libera* intelligitur ea, quae in actum producitur aut a libertate solius Dei, aut a libertate humana. — *Praedictio* intelligitur quidem elocutio rei, at eiusmodi quae praecognitionem rei supponat. — *Univoca,* i. e. quae non habeat sensum verborum aequivocum. — *Certa* dicitur in oppositione ad probabilitatem. Intelligitur certitudo et subiectiva et obiectiva.

Ratio effectus miraculosi in prophetia, si hoc modo sumitur, *non est in elocutione* rei liberae futurae, haec enim elocutio, postquam res futura cognita est, modo plane naturali procedere potest ; *est vero in ipsa cognitione,* in quantum miraculoso modo habetur. Unde fit, ut prophetia, etiam non secuta elocutione, possit esse motivum credibilitatis pro revelatione immediata, ei scilicet, qui prophetiam in mente sua cognoscit. Ad hoc vero, ut prophetia possit esse motivum credibilitatis pro revelatione mediata, debet accedere eius elocutio, qua caeteris cogniscibilis fit.

Pars I. — Hi effectus miraculosi in intellectu fieri possunt — *p. 87-8.*

Arg. — Deus haec omnia natura sua et scit et cum hominibus communicare potest ; angeli partem naturaliter, partem praeternaturaliter ea scire, scita hominibus referre possunt. Causa finalis potest esse manifestatio sapientiae Dei, admonitio de malis praecipue animae vitandis etc.

Ob. — Si Deus hominis *actiones liberas praediceret,* eius libertatem destrueret. — R. 1) Ad summum sequitur, Deum ei ipsi homini a quo actio libera ponenda est, eam revelare non posse. 2) At de facto, etsi homo quando agere vult, scit hanc vel illam actionem a Deo praevisam esse, tamen in ea ponenda liber manet. Etenim, ut in philosophia docetur, hac praevisione nulla radix libertatis tollitur. 3) A fortiori si, id quod Deus facere potest, homo quando actio ponenda est, divinae praevisionis non recordatur.

Pars II. — Hi effectus miraculosi in intellectu in signum revelationis etiam mediatae elevari possunt — *p. 88.*

Arg. — Sunt actiones miraculosae ; qua tales externae redditae sunt per verba, quae ipsa obiecta naturaliter impervia referunt ; omnium animos in se convertunt.

Ob. — Habetur *circulus vitiosus,* nam unus effectus miraculosus in intellectu alium probare deberet, imo una locutio auctoritativa aliam. — R. N. min. Factum divinum unum, revelatio attestans, probatur facto divino alio v. g. scrutatione cordium. Hoc autem secundum factum divinum ut divinum demonstratur non ex admisso illo facto priore, sed ex aliqua quasi qualitate, quae ipsi facto secundo inhaerere perspicitur. Quae qualitas est ipsa ratio miraculosi quae in effectu invenitur.

Pars III. — Cognosci potest veritas historica horum effectuum miraculosorum in intellectu — *p. 89-91.*

Arg. — Sensus enuntiabilium, quae talem miraculosam cognitionem continent, item obiecta quae iis edicuntur, in genere eodem modo cognoscuntur atque obtinet in enuntiabilibus, quae alia obiecta repraesentant. Quoad prophetias in specie, certitudo subiectiva cognosci potest loquentis veracitate, praecipue si vaticinium ut motivum credibilitatis adhibet; eventus vero experientia propria, testificatione historica, iam ante eventum testificatione divina quae ut talis iam probata sit.

Ob. 1. — Adagium est, prophetias esse obscuras. — R. D. ma.; Prophetiae obscurae sunt per se et natura sua, n.; in ordine praesenti sd.; omnes, n., existunt clarissimae, v. g. praedictiones Christi de lapsu Petri; multae, sd.: iis qui modum loquendi literaturae, aetatis, nationis diversae atque poetarum nesciunt, c.; caeteris sd.; non semper omnis indeterminatio sensus omnium partium prophetiae excludi solet, c.: nulla pars propositionum sensum ita determinatum habet, qui generatim iam ante impletionem, aliquando forte tantum impletione facta clare cognosci possit, n. — Prophetia saltem tunc incipere potest esse argumentum credibilitatis, quando, impletione facta, simul et sensus verborum capitur et ratio prophetiae demonstratur.

Ob. 2. — Homines mali imo ipsi daemones, quorum tamen veracitas nulla est, prophetias edere possunt. — R. D. antec.: Cognitio de qua agitur, innititur essentialiter et semper veracitati ut est virtus moralis, n.; locutioni menti conformi, in quantum necessaria est vel ob defectum motivorum mentiendi vel in quantum a Deo etiam nolentibus efficaciter imponitur, c. — Iamvero vel hoc vel illud aliquando cognosci potest *a*) e circumstantiis locutionis vel loquentis, *b*) ex eventu, qui e congruentia accidentali cum locutione ficta explicari nequeat.

Ob. 3. — Vel ipsi boni foetum phantasiae vel cognitionem propriis viribus acquisitam cum cognitione divinitus accepta confundere possunt. — R. D. as.: Error hic potest habere locum semper, n.; aliquando sd.: et tunc possunt aliquando praesto esse media, quibus detegatur, c., et talia praesto esse non possunt, n. — Expl. Eiusmodi criteria

sunt v. g. haec : Si tale est praedictionis obiectum, ut is, qui illud cum foetu phantasiae confunderet, insanus vel stultus habendus esset, aliunde autem patet, hominem sanae mentis, imo sapientissimum esse ; si propheta omnes suas prophetias probavit miraculo vel prophetia una, quae aliunde ut vera cognita fuerit ; si eventus complicatus singulis praedictionibus correspondet.

Ob. 4. — Prophetiae possunt habere sensum non absolutum, sed tantum conditionum. — D. : R. uti ad Ob. 3. Expl. α) *Non subintelligi conditionem,* certum potest esse ipsis *verbis prophetiae* quae v. g. dicunt aliquem hoc vel illud bonum reapse facturum atque inde praemium habiturum esse. β) *Ex natura rei,* cum constare possit, insipientis esse talem effectum tali conditioni velle adnectere. γ) Ex eo, quod *aliunde v. g. ex prophetiis antecedentibus* constet, actionem, de qua sermo est, absolute a Deo intendi. δ) Tandem, si de prophetiis iis agitur, quae in signum divinae locutionis assumuntur, semper conditio abesse videtur, cum, adhibita morali diligentia, detegi nequit positiva ratio, cur aliquam conditionem subintelligi affirmetur. *Iamvero aliquam conditionem subintelligi* certum esse potest α) disertis *verbis;* β) *ob naturam rei* vel verbis implicitis. V. g. si quis ex una parte obligatus esset spem aeternae vitae retinere, ex alia parte revelationem aeternae suae damnationis reciperet : vel si Deus simul exhortaretur ad media adhibenda, quibus poenam praedictam quis effugere posset. γ) Ex eo, quod *eventus* alicui prophetiae, quae ex natura sua possit esse conditionata vel absoluta et quae aliunde ut vera prophetia probata est, *non respondit.*

Pars IV. — Cognosci potest eorum veritas philosophica — *p. 91-8.*

Sapientiae mirabilis: in singulis, si sine diuturno et multiplici studio acquiri naturaliter non poterat, quod afuisse constat; in multitude, si eam cognitionem rerum divinarum habet, quam praeternaturalem esse in thesi de morali necessitate revelationis pro genere humano vidimus.

Ob. — Indoles extraordinaria hominis in causa esse potest. — N. in concreto hanc causam non posse saepissime excludi. Caeterum indoles prae omnibus quam maxime excellens in eo qui se legatum divinum universalem affirmat, aliquid conferre potest ad argumentum ex providentia divina formandum. De quo argumento postea alia thesis proponetur.

Cognitionis absentium: si nulla coniunctio cum obiecto cognito aderat, neque immediata per sensus, neque mediata per homines.

Ob. 1. — Secundum quosdam philosophos catholicos *actio in distans non repugnat.* Ergo cognitio absentium non est miraculum indubitatum. — R. Omnes concedunt, eam saltem physice repugnare. Id quod pro nostro argumento sufficit. Cf. *Tilm. Pesch.*, Phil. nat. I n. 75-80 p. 74-79.

Ob. 2. — Cognitio rerum absentium eo haberi potest, quod *e spatio tredimensionali* paulisper *egredimur in spatium quatuor dimensionum.* Sicut enim, cum e planitie duarum dimensionum in tertiam dimensionem nos elevamus, facile videmus ea quae in tota planitie fiunt, ita cum in quartam dimensionem ascendimus, ea facile observamus, quae in spatio tredimensionali ubivis gentium fiunt. — R. 1) Spatium illud quatuor dimensionum secundum quosdam methaphysice repugnat. 2). Etsi non metaphysice repugnaret, tamen certissimum est, nos lege naturali physica in spatio nostro tredimensionali contineri.

Ob. 3. — *Cognitio rerum quarundam absentium seu telepathia naturalis est.* Nam animae, cum e corporibus egrediuntur vel egressae sunt, docente statistica, constanter, ergo e lege naturali, caris suis suum egressum e corporibus sive sine signis externis sive iis mediantibus nuntiant. — R. N. as. Ad prob. Facta ope statisticae collecta non excludunt casum. Etenim *a)* innumera sunt exempla, in quibus morientes nullam sui notitiam dederunt. Haec autem a statisticis istis omittuntur. *b)* Nihil aliud haec facta exhibent, quam quod absolute saepe aliquis eo ipso tempore de morientibus caris suis atque morte eorum cogitavit, quo de facto mortui sunt. Hoc autem naturale est. Etenim de caris nostris saepe cogitamus, saepissime periculum eorum nobis notum atque proinde omnium cogitationum nostrarum quasi meta est. *c)* Illa cogitatio de morientibus cum morte eorum saepissime non coincidit quoad tempus, alias circumstantias omnes visas vel cogitatas. *d)* Personae quae talia « vident », generatim hallucinationibus etiam in aliis rebus videndis vel audiendis laborant. — Caeterum probatur positive, legem naturalem eiusmodi non adesse. Si enim animis morientium naturaliter haec facultas expedita inesset, sine dubio e motivis et naturalibus et religiosis, v. g. ad preces pro se petendas, ordinarie ea uterentur.

Scrutationis cordium: si cogitationum aut volitionum nulla aderant signa, neque naturalia neque ex instituto.

Ob. — *Hodie* naturaliter *mediante arte atque exercitio cogitationes leguntur.* V. g. scitur, de quo numero, de qua littera, figura, charta lusoria quis cogitet. — R. Saepe homines rem de qua cogitant, verbis sive scriptis sive ore formatis manifestant, at quin ipsi ad hoc attendant et modo minus perceptibili quam assolent. Aliquando vero ex circumstantiis iam scitur eos v. g. de uno tantum ex duobus obiectis cogitare, v. g. num quis aculae quam caeteri absconderint propinquus sit necne. Eum esse propinquum saepe quidam manifestant

vero quodam etsi minimo augmento in intensitate palpitationis cordis et consequenter arteriae. — Alii, experimentatores, huiusmodi verbis vel signis naturalibus minimis per tactum vel alium sensum excipiendis student, imo ea saepe, additis instrumentis physicis sive simplicissimis sive magis complicatis, clariora et magis visibilia reddunt. Tali ratione, saepe iuvantibus circumstantiis, detegunt, de qua re quis actu cogitaverit. Saepe tamen sive ex parte sive ex toto falluntur. — Quidam putant, in statu morboso posse aliquam cerebri impressionem cum cogitatione coniunctam, mediante aethere ab uno ad alium transmitti. At id nequaquam constat.

Prophetiarum. — *p. 93-8*: Si agitur de eventu ex natura rerum sequente, eo quod isti aetati, vel saltem homini praedicenti hae leges ignotae erant; si de actionibus liberis futuris, ex eo quod res determinatissima praedicta est.

Ob. 1. — *Ordo is simplicissimus, qui casu oriri potest, ab eo ordine, qui intellectum requirit, non ad amussim distingui potest.* — R. Facillimum tamen est, ordinem eum complicatissimum designare, qui iam casu oriri nequit. — Cf. argumentum quod ex ordine mundi pro existentia sapientissimi ordinatoris ducitur.

Ob. 2. — *Sunt leges morales, quae etiam usum libertatis regunt, eaeque cognitae sunt.* Ergo etiam actiones liberae praedici possunt. Prob. mai. Tales leges ab omnibus saltem pro communitatibus admittuntur. V. g. scientia nova, quae dicitur statistica, cum certitudine docet, talem vel talem fere summam criminum certi generis a certa hominum multitudine patratum iri. At etsi ab hac nova scientia abstrahis, omnes catholici argumentum pro necessitate revelationis ex eo formant, quod sine ea humanum genus nunquam ex ignorantiae tenebris suscitatum fuisset. Quo argumento supponitur actiones conditionate futuras liberas nobis naturaliter notas esse. — R. Tales actiones 1) non sat determinatae sunt, neque in se neque in suis circumstantiis. Plurima autem peccata etiam certorum generum patratum iri concludi potest e nota levitate hominum, e difficultate vitiorum habitum exuendi. 2) Non sunt absolute certae. Supponunt enim, id quod cognosci nequit, conditiones sub quibus homines agunt, non fore mutatas. Unde statistica v. g. ob ortum bellum statim suos numeros de criminibus mutat.

Ob. 3. — Et instantia ad 2. Saltem e Catholicorum sententia neque ad actiones determinatas liberas singulorum praedicendas requiritur causa praeternaturalis. Etenim *doctrina catholica est, neminem in gravibus periculis constitutum idque per longa tempora, peccatum grave evitare posse;* imo sunt theologi, qui hoc de omni gravi tentatione intelligendum esse docent. — R. 1) Doctrina catholica docet generatim omnes peccaturos esse graviter, si suis viribus in diuturnis gravibus tentationibus relinquantur, c.; eos suis viribus fore relictos, n. Gratia Dei, praecipue orationibus impetrata, plurima peccata evi-

tant. 2) Hoc pro omni omnino homine cum certitudine absoluta valere, catholici non e scientia naturaliter acquisita deducere audent, sed e revelatione divina repetunt. 3) Ex hac experientia et revelatione generali non deducunt determinatum peccatorum numerum, tempus, speciem etc. 4) Praedictiones circa alias hominum actiones versari possunt.

Ob. 4. — Sagacitate naturali, quae v. g. in quibusdam hominibus politicis invenitur, etiam aliae actiones v. g. *consilia regum determinatissima praevidentur.* — R. 1) Concluditur recte, quid quis secundum indolem suam aliunde notam in certis circumstantiis facturus sit, supponendo ab aliis causis liberis impedimenta improvisa non poni, neque Deum aliqua ratione interventurum sive e vivis auferendo unum vel alium ex agentibus, sive alia ratione, c.; a prudentibus simpliciter cum certitudine omnimoda actio determinatissima secundum multas circumstantias variabiles praedicitur, n.

Ob. 5. — Sunt *in quibusdam terris, uti v. g. Scotia, Westfalia non pauci homines,* qui ex una parte praecipue *tristes eventus*, aliquando *determinatissimos, praevident,* quibus ex alia parte auxilium praeternaturale ascribi non potest. Multi enim ex iis haeretici sunt; nulla sanctitate eminent; ad nullum finem sublimem hoc donum referunt. Ergo praedictio naturalis eventus etiam determinatissimi haberi potest. — R.) In plurimis ex iis praedictionibus non excluditur casus. Saepe tantum in genere praedicitur aliquod ex eiusmodi infortuniis, quae identidem accidunt. Saepe porro id non constat, quot eiusmodi praedictiones tales homines emiserint, quibus nullus eventus responderit. 2) Quaedam utique etiam a talibus hominibus praedicta esse videntur, quorum explicatio naturalis hominibus doctis catholicis difficilis videtur. — Iudicium vero de huius cognitionis natura sive divina sive alia e circumstantiis eruendum erit. Si res non patet, iudicium erit suspendendum.

Difficultates contra veritatem philosophicam plurium specierum cognitionis miraculosae simul sumptarum.

Ob. 1. — Spatium et tempus non sunt nisi formae subiectivae. Qui ergo ab iis affectionibus subiectivis se liberare valet, is quae ubique sunt, quae erant atque erunt, cognoscet. — R. 1) N. antec. 2) Etiamsi quis teneret hanc falsissimam sententiam a Kant propositam, tamen confiteri deberet, e lege naturae nos his formis determinari. Quae limitatio si in aliquo casu tollitur certe miraculum fit.

Ob. 2. — In homine naturaliter duplex est subiectum, cum duplice actionum ordine. Unum *ordinarium* est, cuius nobis conscii sumus. Aliud extraordinarium est, *transcendentale,* quod conscientiam nostram fugit. Quod nobis manifestatur actionibus quae in eiusmodi statibus contingunt, uti sunt somnus, somnabulismus, hypnotismus. Iamvero

huic subiecto eae cognitiones attribuendae sunt, quae hucusque miraculosae dicebantur. — R. 1) Actiones extraordinariae in somno etc., statui anormali quarundam virium unius eiusdemque subiecti sunt ascribendae. 2) Cognitiones miraculosae, de quibus agimus, non inveniuntur in hominibus, quando sui conscii non sunt, sed quando sui conscientiam et rationis atque voluntatis usum perfectissimum habent. Id unum saepe factum est, ut cum intensissima intellectus atque veluntatis activitate, sensuum externorum quaedam minus vel magis perfecta ligatio esset coniuncta.

Ob. 3. — Duplex in nobis est ordo virium animae. Unus, *ordinarius*, cum rebus extra nos commercium habet mediantibus sensibus; alius *magicus*, e longinquo, mediante ad summum aethere, directe in spiritus a nostro distinctos physice agit ab iisque physice patitur. Qui spiritus, sive terras, sive stellas etc., informant sive non, multa certe sciunt nobis incognita. Huiusmodi vis invenitur v. g. etiam in regno anorganico, v. g. venenum etiam inclusum certas personas afficit; invenitur in hominibus, quia intellectus perfectio non dependet a perfectioribus functionibus sensuum, quia in oratione in entia superiora nobis incognita ita influimus, ut quod volumus acquiramus. — R. Haec theoria subiecti magici praeter alia inter se confundit vires intellectuales et magicas, causalitatem physicam et moralem, activitatem in longinquum cum causalitate physica, cuius modus nondum cognitus est.

Ob. 4. — Status hypnoticus naturalis est. Iamvero persona hypnotizata 1) cognoscit morbos praesentes atque remedia eorum, quae anima antea non cognovit; linguas callet, quibus antea loqui non solebat; sensibus ea percipit, quae antea nunquam percipere poterat. 2) Imo morbos nonnisi postea erumpentes indicat, quorum nulla usque ad id tempus signa observata erant. 3) Quamvis ab hypnotizatore per leucorum spatia sit remota, tamen eius imperia, quae somnianti data erant, vigilans exsequitur. Unde voluntatis imperia sive antea data sive eo tempore repetita, nulla re sensibili mediante, e longiquo perspicere videtur. Ergo plane naturalis est sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia.

R. I. Plurimi auctores *negant, in factis, quorum veritas historica certo probata sit, quidquam reperiri, quod cum omnimoda certitudine dici possit vires naturae superare.* — Expl. Hypnotismus est status, in quo usus rationis atque libertatis modo artificiali vel dispositione naturali maxima ex parte ligatur, facultates vero sensitivae externae, sensus communis, phantasia, memoria modo anormali activitates suas exerunt idque generatim intensissime et simul, ob regiminis rationis deficientiam, inordinatissime.

Ad singula: 1) *Hyperaesthesia* ex intensiore sensuum activitate proficiscitur. Nunquam sensus id cognoscunt, cum quo nulla adest physica coniunctio. Morbi melius sentiuntur ob sensus communis activitatem excitatam. Remedia quaedam cognosci videntur mediante acti-

vitate instinctus, qui etiam in brutis similes producit effectus. Linguae nullae sciuntur, quae antea cognitae non fuerint; tantum modo anormali memoria earum renovatur. 2) Nullum signum *extraordinariae sapientiae* observatum est, sed multa signa defectus ordinis in cognitionibus statui hypnotico propria sunt. V. g. melodiam cantant, in ea melodia sistunt; subito ad canis latratum imitandum transeunt; hunc pronuntiatione verborum eius linguae, quam v. g. pueri discebant interrumpunt; qua serie actionum posita, eam ab initio eodem in ordine repetunt. 3) *Praevisio* morbi nulla observata est, sed tantum dispositiones praesentes citius, quam in statu normali fieri assolet, sentitae sunt. 4) *Persona hypnotizata hypnotizatoris imperia* saltem generatim *exsequitur* ob influxum physicum, quem, cum localiter esset cum hypnotizatore coniuncta, ab eo recepit, et quem, etsi localiter distans, cum fere libertate privata sit. ob statum suum anormalem quasi caece sequitur, idque tempore ab hypnotizatore determinato. Ad effectum vero nihil refert, num hypnotizator imperium suum eo tempore repetat, quo persona hypnotizata actiones antea imperatas ponit, necne.

R. II. *Aliud est status hypnoticus, aliud omnia facta, quae in eo statu occurrunt.* Si quis putaret, se factum aliquod historice certum assumere debere, quod e statu naturali anormali hypnotizatae personae quem descripsimus explicari non possit, concludendum esset non illud quidem, tale factum esse naturale, sed illud, causam praeternaturalem, uti in statu normali vigiliae intervenire potest, ita in statu anormali hypnoseos intervenisse. Quod certe impossibile non est.

Haec explicatio omnino assumenda est, si de eo commercio inter has personas constat, in quo nulla coniunctio physica inter eas habetur.

Pars V. — Demonstratur eorum veritas theologica. — *E p. 78-9.*

A. Si *solum obiectum genericum* miraculosae cuiuscumque cognitionis in homine respicitur, sciri nequit, num Deus immediate eam cognitionem physice homini immiserit, an angelus scientiam sive propriam sive ab homine (scrutatio cordis), alio angelo, Deo (prophetia) sibi communicatam prophetae communicaverit. — Si *modus communicandi* respicitur, esset utique e quorundam sententia signum operationis immediate divinae, si species directe spiritui non vero prius phantasiae imprimerentur, a fortiori si species eiusmodi essent, quae res spirituales modo iis proprio, non secundum analogiam materialium, repraesentarent. Cf. v. g. *Suarez,* de angelis l. 2 c. 28 n. 69-71 (ed. Paris.) 2, 280 et 281. At hunc modum certe vix possunt facile

diiudicare alii atque ipse propheta. Volumus autem praecipue criteria pro ipsa revelatione mediata.

B. At ad eum finem, ut talis cognitio miraculosa hominis in argumentum factae revelationis adhibeatur, nequaquam necesse est, ut ad Deum qua causam immediatam physicam reducatur. *Sufficit si Deo ut causae morali ascribitur.*

C. *Criteria* unde hoc cognoscatur, eadem sunt, quae pro miraculis statuimus. Pauca addenda videntur, quae hanc actionem miraculosam respiciunt, in quantum est cognoscitiva.

Obiectum cognitum quod spectat. — α) Negative. Si quid aliunde scitur falsum, malum, hic et nunc minus bonum, vanum vel inutile, hoc a Deo eiusque nomine communicatum esse nequit. — β) Positive. Quo magis autem obiecta Dei potentiam, sapientiam, bonitatem manifestant; quo magis natura sua apta sunt, ut veram religionem naturalem vel revelatam aliunde notam promoveant atque quo magis cum ea connectuntur; quo magis haec eorum aptitudo effectibus demonstratur, eo splendidius veritas theologica huius cognitionis manifestatur.

Modum quo communicatur, quod spectat. — α) Negative. Ne sit Deo indignus. Est autem Deo indignus, si modus obiecta haec eloquendi esset tantum mechanicus, non autem ita ut homines pro humanae naturae dignitate antea sciant, se haec vel illa eloqui. Imo generatim etiam convenit, ut rerum sive profundarum sive futurarum aliqua intelligentia iis communicetur. Omnia autem a loquente perfecte intelligi debere, e nullo principio aprioristico probari potest. — β) Positive. Quo plura et magis splendida miracula in ordine sive physico sive morali, uti alienatio a sensibus, raptus, mirabilis sanctitas, hanc scientiam praeternaturalem circumdant, eo magis veritas eius theologica splendet.

Auctoritas humana legati aliquando sufficere posse videtur. (Cf. propositionem de auctoritate humana testis unius). Quae multum inde crescit, quod eum alias semper vera praedixisse eventu cognitum est. Cf. *Aug.*, de civ. Dei l. 10 c. 32 n. 3 ML 41, 315; Corp. Vind. 41, 1 p. 508. — Contra Faustum Manich. l. 13 c. 14 ML 42,290.

Auctoritas divina aliunde probata pro omnibus doctrinis proponendis omne dubium dirimit.

Ob. — Ex dictis *sequitur, etiam angelum malum pia et vera praedicere posse.* Atqui si hoc fieri potest, prophetia ad Deum neque ut causam moralem reduci potest. — R. Sequitur, non e solo obiecto enarrato concludi semper posse, num forte bonus vel malus angelus suo nomine agat an spiritus nomine Dei intercedat, c.; sequitur, hoc non posse aliquando saltem ex ipsis circumstantiis erui, n. — Concedit v. g. *S. Augustinus,* Deum sapienter posse aliquando permittere, ut diabolus vera divinitus revelata praedicat. (Cf. de divin. daemonum per totum, praecipue a c. 7-10, ML 40, 587-92). Imo Deus potest etiam spiritum malum astringere, ut contra suam voluntatem bona et vera pronuntiet, uti v. g. *Calmet,* Com. in Num. 22, 18 (ed. Ven. 1730) I 2 p. 198 assumebat, eum inter homines Balaam adegisse, ut contra suam voluntatem vaticinium Messianicum emitteret (Cf. Num. 22. 18; 24, 12). A Deo adactum esse spiritum malum aliquando e circumstantiis apparere poterit, eo quod v. g. patet eum sibi ingratissima in proprium damnum praenuntiare. Quod si fit, signum divinum habetur, non diabolicum.

Pars VI. — Demonstratur eorum veritas relativa. — *p. 99-101.*

Arg. Praeter modos omni miraculo proprios: si quis per ipsam cognitionem miraculosam ut legatus Dei exhibetur; eius religionis favores divini, fructus etc. praedicuntur; doctrina legati eius cognitione miraculosa illustratur etc.

Ob. — Etiam inter ethnicos, Mahomedanos, Spiritistas huiusmodi cognitiones mirabiles habentur, quin eorum religio iis confirmetur. — R. Applicetur responsum quod ad similem difficultatem de miraculis dedimus. — Singula quaedam facta in tractanda revelatione revelata in concreto videbimus.

Spiritismum quod attinet, hae sententiae quoad historicam et philosophicam veritatem apparentiarum spiritisticarum possibiles sunt: Aut quis putat, nullas relationes prae se ferre sufficientem certitudinem de ipsis factis quae praeternaturalia esse videntur, praecipue ob fraudes plurimas certo cognitas personarum mediumisticarum etiam in ipsis materialisationibus spirituum, photographiis spirituum materialisatorum; aut quis his relationibus fidit sive ex parte sive ex toto. Auctores catholici diversa sentiunt. Primum si obtineret, nihil iam curandum esset; secundum si locum haberet, tamen pro apologetica res facilis esset, cum sit evidens, res, si praeternaturales sint, esse a spiritu malo. Habentur enim in iis apparitionibus plurimae oppositiones ad Dei sapientiam, bonitatem, potentiam. Verba spirituum non tantum religioni aliunde ut revelatae cognitae opponuntur, verum etiam ipsi religioni naturali. Plurima vana curiositati hominum servientia proponere solent. Spi-

ritus pendent a dispositionibus physiologicis vel physicis hominum, uti v. g. personarum mediumisticarum, iisque necessario obsequuntur. Plurima facere tentant quae perficere non possunt. — Caeterum certum est, plurimas personas mediumisticas, materialisationes, photographias spirituum materilisatorum fraudibus plenas fuisse.

Ipse ardentissimus Spiritista *Aksakow* concedit in opere Animismus u. Spiritismus ([4] 1905) 2 v. Vorrede p. XXVI: « insulsitatem relationum, pauperiem earum intellectualem, etsi non sint loci communes; indolem certe mystificantem et mendacem maioris partis manifestationum ».

Valorem probativum vaticiniorum comprobat auctoritas humani generis: Christianorum, Iudaeorum, Ethnicorum.

Ob. 1. — Aristoteles, Metaph. XI. 9 docet *Deum nihil extra se, sed tantum seipsum cognoscere.* Etiam *Cels.* in: Orig. c. Cels, l. 2 n. 20 MG 11, 835 vel Corp. Berol. 2, 148 Dei praescientiam negat, cum ea hominis libertatem laedat. Ergo ethnici erant longissimi ab admittendo argumento e prophetiis. — R. Hic quorundam doctorum error, ortus e difficultate speculativa rei, humani generis certitudinem neque destruxit neque minuit. Caeterum Aristotelis error, iterum magna cum eruditione stabilitus a *K. Elser,* Die Lehre des Aristoteles ueber das Wirken Gottes (Doctrina A. de actione Dei, 1893) ab aliis non conceditur.

Ob. 2. — Schell, Apologie [1] I 393, 394 haec fere tradit: Secundum Scholasticos angeli « ideis infusis ab initio omniscientiam rerum existentium saltem habitualiter possident », prophetiae vero obscurae esse solent; ergo a perfecta intelligentia angelorum res facile praecognosci, ergo prophetiae ad Deum ut causam physicam reduci nequeunt. Quodsi diceretur, Deum ut causam moralem prophetiarum eo cognosci posse, quod angeli boni tantum ut nuntii Dei agant, mali vero ut mali cognosci possint, fatendum esset, argumentum e prophetiis supponere scholasticam theoriam de cognitione et activitae et eschatologia angelorum. Iamvero prima et secunda theoria falsa est, tertia nondum ut demonstrata sumi potest. Ergo *saltem universa philosophia scholastica argumentum e prophetiis recte formare non poterat.* — R. 1) Libera futura ne ab angelica quidem sapientia praedici possunt, etsi hae praedictiones aliquid obscuri continent. Caeterum non obstantibus ideis infusis, negabant scholastici, caetera futura ab angelis ante futuritionem eorum cognosci. Cf. *Suarez,* de angelis l. 2 c. 11. — 2) Argumentum e miraculis et effectibus miraculosis in ordine intellectus dependet ab eo, quid angeli sub providentia Dei facere sinantur, sive hanc scientiam naturalem habent sive illam. — 3) Ut has similesve difficultates evitaremus, argumenta omnia, quae spiritus tangunt, ita posuimus, ut neque eschatologiam angelorum neque theorias inter catholicos disputatas de eorum agendi vel cognoscendi modo neque omnino existentiam eorum necessario supponant.

Art. 2. — De effectibus miraculosis in voluntate.

Propositio 13. — Revelatio divina probari potest miraculis moralibus. — *p. 102-9.*

Definitur miraculum morale actio moralis vel series actionum moralium externe manifestata, praeter constantem hominum agendi modum divinitus patrata. *Dividitur* in individuale aut sociale etc.

Miraculum morale fieri potest. — *Arg.* Deus directe influere potest in causas tantae imperfectionis actionum moralium : passiones, levem considerationem rerum divinarum, debilitatem voluntatis. Causa finalis: specialis sanctitas talium actionum, cognitio dominii Dei etiam in voluntatem, laus sanctitatis Dei.

Ob. — Miraculum non fit per vires eius creaturae, in qua locum habet. Atqui miraculum morale dicitur fieri proprie per vires eius in quo fit, perficitur enim ab eo, in quantum libertate sua utitur. — R. In miraculo morali agunt vires liberi arbitrii praeter naturae cursum fortiores redditae. In miraculo physico absoluto generatim res alio modo se habebit. At neque conceptus miraculi physici destrueretur, si vires rei in qua vel per quam miraculum fit, ut elevatae in effectum influerent. In miraculo autem physico relativo semper vires physicae ipsius naturae aspectabilis ad opus applicantur, utique modo qui est praeter naturae cursum.

Convenienter in signum elevari potest. — *Arg.* Est actio miraculosa, externe reddita actionibus, ob raritatem oculos in se trahens.

Cognosci potest eius veritas historica. — Modus idem est, qui in genere in cognoscendis actionibus moralibus obtinet.

Cognosci potest eius veritas philosophica. — *Arg.* 1) E rei natura. Cognosci potest *a*) ipsa exceptio a constanti agendi modo: si difficillima facta sunt prompte, si ad ea non trahebant bona terrena, etc.; *b*) causa praeternaturalis huius exceptionis : si e circumstantiis patet, easdem dispositiones naturales agentium mansisse et nihilominus et susceptionem fidei et vitam secundum eam plurimum superare eum modum agendi, in quo motiva aeterna pro natura hominum magis sibi relicta influere solent. — 2) E testificatione ipsorum agentium, caeterorum aequalium, posterorum.

Theologica. — *Arg.* Ex ipsa natura horum effectuum qua bonorum.

Relativa. — *Arg.* Praeter modos aliqua ratione etiam miraculis physicis communes: 1) iudicium credibilitatis, pius credulitatis affectus, ipsa fides miraculum morale in se continere possunt; 2) fides in mirabiles virtutes influere potest ut quaedam concausa efficiens, 3) ut causa finalis vero v. g. fidei confessio, propagatio; 4) coniungi possunt cum miraculis moralibus miracula physica, quorum veritas relativa ad eandem revelationem probandam aliunde constat.

Ob. 1. — Sunt theologi, qui tenuerunt, *Deum* etsi falsa loqui non possit, tamen diversis modis *errorem producere posse.* — R. 1) Nego hanc paucorum doctrinam esse veram. 2) Etsi in rebus indifferentibus esset vera, in rebus religiosis est falsa. Perfectior enim Deo debet esse cura rerum religiosarum quam caeterarum.

Ob. 2. — *Deus ad errorem, etiam in re religiosa impellere potest.* Etenim facit id quod est plus, i. e. stricte obligat, ut sequamur conscientiam erroneam, i. e. iudicium erroneum, i. e. errorem. — R. N. as. et dist. prob. allatam. Deus obligat, ut iudicemus verum id quod falsum est, seu obligat ad ipsum errorem, n.; obligat, ut, quamvis adsit iudicium directum erroneum de liceitate alicuius actionis, agamus secundum iudicium reflexum verissimum, quo scilicet iudicamus, licitum esse agere secundum conscientiam invincibiliter erroneam, c.

Ob. 3. — *Martyres haeretici miraculoso modo impelli possunt ad retinendam vel profitendam fidem suam.* Ergo Deus miraculoso modo ad fidem falsam impellere potest. — R. Martyres qui simul cum fide vera aliqua iudicia falsa coniungunt, miraculose impelli possunt, ut profiteantur id veri, quod credunt, c.; id falsi, quod forte putant se credere fide divina, at de facto fide divina non credunt, n.

Confirmatur thesis *ex auctoritate.* Auctores graves aevi et patristici et medii et recentioris plurimum huic argumento dabant. Constat quoque, *multos* miraculis moralibus visis *fidei verae nomen dedisse.* Utrumque in tractatibus sequentibus evolvemus.

Sectio III. — De eiusmodi effectibus miraculosis spiritualibus, qui connaturaliter externe manifestari non possunt.

Propositio 14. — Etiam eiusmodi effectus miraculosi spirituales, qui connaturaliter externe mani-

festari non possunt, aliquando revelationem probare valent. — *p. 109-14.*

Notio. Intelliguntur eiusmodi effectus in intellectu vel voluntate, qui miraculosi sunt atque ut tales cognoscuntur non praecise ratione obiecti quod attingunt, sed modi quo illud attingunt. Sunt modi quidam mirabiles intelligendi et volendi. Inter quos etiam gradus saltem superiores contemplationis mysticae recenseri solent.

Fieri possunt. — *Arg.* Cum spiritus non minus a Deo dependeat quam corpus, Deus mirabili modo influere potest in actuum durationem, intensitatem, simultaneitatem, independentiam a rebus extrinsecis, in ortum specierum etc. Causa finalis: ut manifestet universale suum dominium, animos magis directe ad se trahat etc.

In signum elevari possunt directe pro revelatione immediata in eo qui talia in se experitur. — *Arg.* Extraordinaria sunt, independenter a revelatione cognoscibilia.

Cognosci potest eorum veritas historica. — *Arg.* Attingi possunt attentione praecipue reflexa, non tamen in quantum forte dicerent relationem intrinsecam virium ad ordinem visionis beatificae.

Philosophica. — *Arg.* Aliquando ob intrinsecam earum naturam, v. g. si res spirituales non iam secundum analogiam materialium cognoscerentur; aliquando ob circumstantias, v. g. si motiones intellectus, voluntatis non conveniunt cum habituali dispositione subiecti, vehementissimae, subitaneae sunt.

Theologica. — *Arg.* Si homo iis egregie in vita spirituali proficit, si ipsae motiones immissae sunt amor Dei etc.

Relativa. — *Arg.* V. g. si miraculosa est ipsa inclinatio ad aliquid affirmandum quod qua revelatum proponitur; si illa cognitio miraculosa divinitus immissa continet ut obiectum affirmationem, Deum haec et haec revelare, etc.

Sectio II. — De motivis credibilitatis secundariis.

Art. 1. — De argumento ex auctoritate humana.

Auctoritas fundat aut fidem quam quidam scientificam dicunt, aut fidem ethicam. Fides sic dicta scientifica determinatur nexu logico necessario inter rem testatam atque impossibilitatem ut attestans hic et nunc erraverit vel mentitus fuerit, atque proinde in sua firmitate huic evidentiae connexionis commensuratur; fides vero ethica vel ob auctoritatem attestantis, supposita cognitione de existentia et veracitate testimonii, determinatur ipsa auctoritate attestantis, atque proinde in sua firmitate huic auctoritati commensuratur. Illa praestari potest homini vel pessimo, qui nullam virtutem veracitatis habet, dummodo cognitum sit, eum v. g. ex motivis propriae utilitatis hic et nunc non habuisse motivum mentiendi; haec virtutem veracitatis considerat. Illa praestari potest homini per se generatim etiam in illo ordine rerum de quo testando agitur stultissimo, dummodo ex circumstantiis pateat, illum hic et nunc non errasse; haec praestatur homini propter eius scientiam, qua saltem in certo ordine rerum ornatur atque ideo in praesenti illa una affirmatione non errasse putatur.

Agimus de testimonio tum historico, tum dogmatico, ut aiunt. Illud de facto aliquo testatur, hoc de intima natura alicuius facti vel de alia quadam doctrina.

Patet, auctoritatem humanam non posse esse nisi *motivum credibilitatis secundarium.* Etenim tandem deveniendum est ad aliquod motivum, ob quod is, cuius auctoritati humanae primi fideles inhaeserunt, revelationem immediatam credidit vel persuasionem de manifestatione divina, quam caeteris credendam proponit, sublimiore actu accepit, idque sive de una persona agitur, quae tali ratione res divinas didicit, sive de pluribus. Iamvero hoc motivum nequit esse iterum auctoritas humana, sed necessario est aliquod signum divinum, aliqua actio miraculosa.

Propositio 15. — Auctoritas humana testis etiam unius certum revelationis argumentum esse potest. — *p. 116-8.*

Arg. — Constat *veracitas* testis: si mendacium ob formam, scilicet revelationem, et materiam, scilicet excellentias proprias sublimissimas sibi ascriptas, ob officia gravissima hominibus imposita, argueret in legato maxima peccata contra Deum, seipsum, caeteros, quae abesse aliunde constare potest. Constat *scientia:* si ob materiam propositam, hominis indolem cognitam, excluduntur talis erroris causae: praecipitatio in assensu imperando, inordinata complacentia in rebus revelatis, idearum maxima confusio, defectus attentionis. — Confirmat hanc argumentandi rationem auctoritas sapientum.

Ob. 1. — Si nostra fides in res revelatas auctoritati humanae inniteretur, desineret esse fides divina. — R. D. as.: si inniteretur auctoritati humanae ut motivo fidei, c.; si tantum ut motivo credibilitatis, n.

Ob. 2. — *Fides divina* firmissima est, ideoque *neque in ratione motivi credibilitatis potest fundari in auctoritate humana tam infirma!* — R. quamdiu suae infirmitati in actu primo relicta est, c.; quando probatum est, eam in actu secundo, in concretis circumstantiis, esse firmissimam redditam, n.

Ob. 3. — *Si hoc argumentum simplicissimum valeret, caetera motiva credibilitatis essent superflua.* — R. N. as. Alia argumenta v. g. miracula, etiam aptiora sunt. — Imo cum hoc argumentum nonnisi secundarium sit, semper supponit, obiective saltem in propheta aliquod argumentum ex aliqua actione miraculosa praecessisse.

Ob. 4. — *Qui auctoritate divina, etsi ficta, utitur ad religionem naturalem hominum mentibus inculcandam, finem optimum medio efficacissimo prosequitur.* Iamvero hoc sane bonum est, vel saltem alicui bonum esse videri potest. — R. 1) N. ma., de qua cf. arg.; 2) Tr. ma., n. min. quoad primam partem, dist. quoad secundam: hoc bonum videri potest homini eius ignorantiae in re morali, quae quorundam Rationalistarum est, c.; homini sapienti, n.

Ob. 5. — *Ne in re quidem iudiciaria lites unius testis affirmatione dirimuntur.* Atqui obiectiva veritas revelationis divinae sane est res etiam multo maioris momenti. — R. D. ma.: generatim, idque prudenter ob humanam infirmitatem, quae in regula generali iudiciorum praesumitur, c.; semper, atque ex persuasione, nunquam ex uno veritatem haberi posse, n. — Expl. Admittitur testimonium iuridicum unius solius, v. g. eius, qui affirmat, se hunc vel illum hominem in

fama sanctitatis mortuum invocasse. — De difficultate cf. v. g. *Bened. XIV* de serv. Dei beatif. et canon. (ed. Rom. 1749) l. 3 c. 5 n. 1-9 p. 44-8. De responso v. g. c. 5 n. 9 p. 48, n. 18 p. 54; c. 10 n. 11 p. 111-14; c. 52 n. 2 p. 748, n. 3 p. 785.

Ob. 6. — Deuter. 19, 15 legitur: « *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* ». Id quod Christus Mt. 18, 16 confirmavit. — R. E contextu haec verba non continent regulam criticam generalem detegendae veritatis, sed practicam in re iudiciaria.

Ob. 7. — Qui in revelationibus privatis diiudicandis occupantur, uno ore proclamant, esse *maximum periculum, ut cogitationes propriae cum locutione alterius,* locutio diaboli cum locutione Dei confundatur. — R. D.: tradunt, illud periculum semper subsistere, n.: quando circumstantiae non sat notae sunt, c. Cf. v. g. *Poulain,* Des grâces d'oraison ([5] 1906) c. 21, 22 p. 315-76.

Ob. 8. — Tertullianus, div. inst. l. 5 c. 3 ML 6 561 A; Corp. Vind. 19, 410 habet hoc: « cui... de se dicenti potest credi? ». — R. Forte secundum communiter contingentia loquitur vel per modum transmittentis.

Propositio 16. — Auctoritas humana plurimorum fidelium certum argumentum revelationis esse potest. — *p. 118-21.*

Arg. — Constat *veracitas* eorum in revelatione publica asserenda, si aliunde scitur: eos non esse pessimos, secundum revelationem mutasse totam vitae rationem etc.; si motiva terrena non tantum non impellebant ad fidei simulationem, sed potius ad negationem. Constat *scientia,* si in talibus plurimis testibus diversae culturae etc., eamdem tamen revelationem gravissima onera imponentem credentibus, excluduntur eiusmodi assensus praecipitantia, intellectus hebetudo, praeiudicia communia, confusio idearum, defectus attentionis, quae ad talem errorem essent necessaria. — Crescit argumentum una generatione credentium aliam excipiente. — Confirmat auctoritas sapientum.

Ob. 1. — Certitudo, quae per multas inter se succedentes generationes transit, necessario sensim sine sensu *diminuitur.* — R. N. as. Sub iis conditionibus quas posuimus, non solum omnis generationis integra certitudo transmittitur, verum etiam praecedentis aetatis pondere semper augetur.

Ob. 2. — Agitur de testimonio dogmatico. Atqui in eo soli sapientes auctoritatem habent. — R. D. min.: ubi agitur de veritatibus difficilibus e ratione intrinseca diiudicandis, c.; ubi de motivis credi-

bilitatis, adiuncta praeterea speciali providentia divina hominibus debilibus in re religionis non negata, n.

Ob. 3. — Ut auctoritatem testium diiudicaremus, *deberemus rescire rationes, quibus ad iudicia sua permoti fuerint.* — R. D.: debemus ex errorum fontibus exclusis scire, adfuisse rationes obiectivas, c.; debemus eas in se ipsis scire, n. Caeterum nihil impedit, quominus, confirmationis gratia, etiam rationes eorum consideremus.

Ob. 4. — *Pro omni fere religione quae, etsi falso, per decursum saeculorum ut revelata proposita est, argumentum ex auctoritate humana asseclarum allatum est.* — R. Argumentum ex testimonio, c.; ex auctoritate testimonii, sd.: ex auctoritate affirmata, non demonstrata, vel levibus tantum argumentis insinuata, c.; argumentis solidis probata, n. Fontes erroris excludere saepe vix conantur.

Ob. 5. — *Etiam ad res maximi momenti homines non debite attendebant,* idque per millia annorum, v. g. num terra circa solem moveretur, an e contrario. Ergo ex momento rei ad debitam attentionem concludere nefas est. — D. ma.: non attendebant saepe ad res maximi momenti scientifici, vel etiam practici in se, cuius tamen momentum practicum ignorabant, c.; non ad illas, quarum vim practicam persentiebant, n. Exemplum allatum ad hanc classem veritatum pertinet.

Ob. 6. — *Si plurimi post fidem susceptam ab ea recedunt, argumentum ex auctoritate fidelium duci nequit.* Atqui hanc suppositionem disquisitioni non subiecimus. — R. D. ma.: si remanet is numerus, qui in concretis circumstantiis ad argumentum requiritur, n.; si non remanet, sd.: tunc nequit argumentum peti e fide permanente c., orta olim, n. — Imo aliquando, per accidens, defectio multorum argumentum etiam clarius reddit. Demonstrat enim, magnas fuisse difficultates superandas etiam ab iis, qui fideles remanserunt. Ita autem firmitas adhaesionis testium nobis magis splendescit.

Scholion. Reducitur ad hoc *argumentum* ex auctoritate humana illud, quod apologetae aliquando solum, aliquando cum aliis coniunctum desumunt e *mendaciis et contradictionibus, quibus revelationis adversarii suam resistentiam erga motiva credibilitatis defendunt.* Quodsi enim a saeculis, ut motivorum credibilitatis vim effugiant, nonnisi ad mendacia multa confugiunt, vel nonnisi ea afferunt, quae aut inter se opponuntur, aut aperte vel tecte ipsam revelationis possibilitatem vel religionem naturalem vel alia sanae philosophiae capita impugnant, merito persuasum nobis esse videtur, ea quae postea afferentur, non maioris fore ponderis. Nisi enim rationes obiectivae desunt, explicari non posse videtur, cur mens humana, ad veritatem facta, in impugnandis motivis credibilitatis, quae e tot partibus cum

variis scientiis humanis cohaerent, quot sunt motiva credibilitatis atque in iis argumentandi rationes, non ea detexerit, quae saltem solidam quandam probabilitatis speciem prae se ferant. — Etiam argumentum ex *assertionibus daemonum* huc pertinet.

Art. 2. — De argumento ex effectibus.

Propositio 17. — Fructus simpliciter et in universum boni, qui e religione qua revelata per se oriuntur, eam revelatam esse certo demonstrant. — *p. 121-5.*

Expl. term. — *Simpliciter boni* ii sunt effectus, qui conveniunt hominis naturae, in quantum ad Deum ordinatur, i. e. effectus in ordine religionis. Complectuntur cum cognitiones in intellectu, in quantum in vitam religiosam influunt, tum actiones honestas atque ad Deum relatas in voluntate. — *In universum boni* ii fructus dicuntur, quibus nihil mali adiunctum sit, quibus porro universa hominis vita e norma religionis saltem naturalis recte ordinatur. — *Per se* ii fructus ex aliqua doctrina oriuntur, qui ex ea recte applicata proficiscuntur; per accidens vero ii, qui applicationi falsae debentur. — *E revelata doctrina ut tali* originem trahunt fructus ii, qui ex doctrina ortum habent, in quantum ea, quae proponuntur, non solum sciuntur esse vera, verum etiam in quantum creduntur esse revelata. — Cum *influxum doctrinae in actiones bonas* statuimus, non negamus praeterea specialem impulsum quem Deus forte immediate voluntati dat. At hoc impulsu interim non considerato, ex illo influxu arguimus. — Subiectum, in quo fructus bonos consideramus, proxime intelligimus *multitudinem plurimorum collectam*. Ratio est quia in ea generatim facilius quam in singulis fructus boni diiudicantur.

Argumentum ex effectibus est secundarium. Etenim *supponit aliud credibilitatis motivum iam cognitum ab iis, in quibus primis boni illi effectus habentur.* Etenim hos effectus a fide in religionem uti revelatam dependere in argumentandi ratione supponitur. Fides autem motivum credibilitatis saltem unum iam cognitum supponit.

Arg. — **Pars. I.** Eiusmodi effectus cognosci possunt ut boni ex principiis ethicae naturalis: ut procedentes a religione praecipue per exclusionem causarum naturalium; ut procedentes a religione ut revelata per certitudinem universim habitam veritatum earum, ad quas humanum genus in impotentia morali esse thesi 6 demonstravimus, simul cum confessione credentium etc. — **Pars II.** Eiusmodi effectus probant religionem esse vere revelatam, cum falsum nequeat esse causa boni quod simpliciter et universim est tale. — Confirmat argumentum auctoritas sapientum.

Ob. 1. — Homines hypocritas agere possunt. Ergo ex verbis vel actionibus externis nunquam ad mores bonos concludi potest. — R. D. antec.: Et sunt signa quibus facillime in ipsis populis et saepe etiam in singulis hominibus certe cognoscitur, non adfuisse hypocrisim, c., et non habentur talia signa, n. Expl. Signa talia aut in eo sunt, ut demonstretur, nullas in tot hominibus (eo homine) adfuisse mentiendi causas, aut in eo, ut probetur ea, quae in genere morum facta sunt, difficiliora fuisse, quam quae ob motivum hypocrisim suadens, a tot hominibus (eo homine) perfici potuerint.

Ob. 2. — Actionum motiva vix unquam detegi possunt. Atqui actio religiosa a non religiosa distinguitur eo, num motivum ad Deum referatur necne. — R. D. ma.: Difficillimum saepe est in singulis quibusdam actibus singulorum hominum discernere, num e motivo religioso an terreno egerint, et praecipue num uno motivo religioso prae alio moti fuerint, c.; difficillimum est, cum de tota vita cuiusvis hominis vel de integris populis agitur, discernere, num eorum in moribus mutatio e motivis religiosis ortum duxerit an e motivis terrenis, n.

Ob. 3. — Verum esse non est idem atque revelatum esse. Atqui e fructibus bonis alicuius doctrinae tantum sequitur eam veram esse. — R. C. ma. D. min.: e fructibus alicuius doctrinae, quae solum tenetur ut vera et quae solum ut talis in actiones influit, c.; e fructibus doctrinae, quae habetur ut revelata atque ut talis in actiones influit, n.

Ob. 4. — Etiam Ethnici atque sectarii imo multi asseclae Mohamedanismi, pro sua religione hoc argumenti genere usi sunt atque utuntur. Ergo nullius momenti est. — R. Ethnici, Mohamedani, Protestantes ex duplici fonte in applicatione argumenti errant. Primo non adducunt fructus simpliciter et universim bonos, sed v. g. etiam bona materialia, vel bona spiritualia ficta v. g. falsam libertatem spiritus, vel mala moralia, uti praecipue Ethnici; deinde partem boni veri falso ad Ethnicismum vel Mohamedanismum vel haeresim ut fon-

tem reducunt, cum illam ad eas partes religionis verae naturalis vel christianae reducere deberent, quam saepe adhuc retinent.

Scholion I. Si quae doctrina, in quantum simpliciter ut vera consideratur, fructus in universum bonos producit, hi fructus *criterium negativum revelationis doctrinae constituunt.*

Scholion II. Fructus in genere morum mali ex aliqua doctrina orti, *signum sunt, eam doctrinam a Deo non esse revelatam.* Etenim ea primo falsi aliquid continet. Deus autem falsum revelare nequit. Deinde malum producit. Mali autem auctor Deus esse nequit. — Quodsi autem spiritus existerent undequaque mali, tales talis revelatio apprime deceret. Porro si constat aliunde, talem revelationem factam esse, eam a spiritu processisse constat, qui aut fallitur aut fallit.

Asserta de partibus, quas pax interna animi, e religionis cognitione vel exercitio orta, in formando iudicio credibilitatis habere possit. — *p. 125-7.*

Pars I. — Principia de causis et cognoscibilitate huius pacis.

1) *a*) Sola religio revelata, uti thesi 6 vidimus, religionem naturalem integram docet. Iamvero religio naturalis si cum certitudine, praecipue fidei, cognita, atque actionibus correspondentibus exercita est, et intellectus et voluntatis inclinationibus convenit. Ea quoque bona, quae mysteriorum cognitione et participatione homini conferuntur, utramque facultatem perficiunt. Iamvero quod harum facultatum inclinationibus et perfectibilitati respondet, et intellectui quietem securam et voluntati pacem ob virtutis exercitium et vitae aeternae firmam spem conciliat. Ergo *revelata religio, natura sua quandam animi pacem efficit. b*) *At etiam religio naturalis,* etsi ex parte tantum cognita et exercita, a fortiori si quando integra et perspecta et observata esset, *gaudio quodam hominem afficeret. c*) *Imo ipsa religio falsa,* praecipue si non tantum vera sed etiam revelata creditur, veri et boni specie oblata intellectui, qui praeiudiciis, voluntati, quae inclinationibus malis acquisitis corrupta est, *similem in his facultatibus effectum habeat necesse est.*

2) *Nihilominus ea pax in se et profundior et stabilior est, quae oritur* α) *ex vero et bono vere tali,* non e putativo, β) *e maiore amplitudine* earum rerum, quae intellectu certo cognoscuntur vel voluntate suo modo iam possidentur, *c*) *e maiore certitudine* cognitionis per intellectum et possessionis per voluntatem.

3) Haec pax *cognoscitur* praecipue e constantia in tenendo vero et prosequendo bono.

4) Pax ipsa distinguenda est ab eius redundantia in partem sensibilem.

Pars II. — Regulae inde sequentes.

1) Gaudium partis sensibilis eam rationem signi habet quam illa pax animi, ex qua resultat. 2) Gaudium de obiecto falso vel malo a religione saltem permisso, signum est eam esse falsam. 3) Pax animi per propriam experientiam sentita, si tamen sentitur, in eo qui iam propter alia motiva credidit, motivum secundarium esse potest, at non ita facile applicandum; in infideli vero ne existere quidem potest. 4) Ea vero pax quam in aliis inesse rescimus, praecipue si est profunda eaque magnae hominum multitudinis, aliquando motivum secundarium esse potest. — Confirmat auctoritas sapientum.

Asserta de partibus, quas consideratio bonorum externorum, quae saepe civilisationis dicuntur, in formando iudicio credibilitatis habere possint — *p. 127-31.*

Bona externa, si eorum ad religionem relatio respicitur, duplicis quasi generis sunt:

Quaedam bona externa principaliter e causis a religione distinctis dependent. Eiusmodi sunt divitiae, potentia politica, scientiarum multarum et artium status evolutus, quae causas habere possunt differentes, naturam physicam, vitia, virtutes sive naturales sive e religione revelata haustas.

Sequuntur hae regulae: Horum bonorum praesentia aut absentia

1) Per se neque veritatem neque falsitatem revelationis arguit. 2) Per accidens falsitatem arguit, si oritur e vitiis ut a

religione commendatis, v. g. si praesentia horum bonorum e nimio studio rerum terrenarum oritur, absentia e pigritia, eaque vita a religione foventur. 3) Con- fert ad veritatem probandam in quantum ex aliqua virtute ut a revelatione commendata proficiscitur, v. g. absentia horum bonorum e persecutionibus ob fidem patienter toleratis.

Quaedam alia bona externa arctius cum vita morali cohaerent, uti securitas vitae et possessionum, earum aequa distributio, pax, bona individuorum et socialia ea, quae e sanctitate matrimonii oriuntur etc. Quaedam faciliora inter ipsa aliquando ex motivo terreno, aliquando e virtute naturali, aliquando e religione ut revelata oriri possunt.

Sequuntur hae regulae:

1) Si eiusmodi bona e religione ut revelata proficiscuntur, aliquid ad iudicium credibilitatis conferre possunt. 2) Imo difficiliora, uti bona e castitate profecta, vel saltem omnia ea bona simul sumpta miraculum morale constituere possunt. 3) Porro omnia simul effectus simpliciter et in universum bonos constituere possunt. — Unde ad eiusmodi motiva credibilitatis secundum diversas rerum circumstantias reducuntur.

Scholion. — Reduci potest ad argumentum sive e miraculis moralibus sive ex auctoritate humana sive ex effectibus sive ad argumentum ex istis rationibus simul sumptis, illa argumentandi ratio, quam quidam dicunt *argumentum ex mysterio amoris*. Cf. v. g. *Stentrup,* Apologetica religionis christianae. Synopsis Oeniponte (1889) th. 21. — Supponunt demonstratum: primo, effectus Christianismi esse simpliciter universum bonos, deinde eos vere pendere ab amore erga Christum.

Pars. II. — Reiiciuntur motiva credibilitatis falsa.

Cum falsae sententiae de motivis credibilitatis in expositione de veris motivis credibilitatis implicite et saepe etiam explicite refutatae sint, data opera tantum ea falsa motiva credibilitatis reiicimus, quae specialem relationem habent ad errores Modernistarum.

Propositio 18. — 1) Realitatis divinae intuitus atque experientia, postulata rationis practicae, sentimenta, alia similia, quae omnia ne rationabilem quidem assensum fundare possunt; 2) intrinseca rei veritas ex eius causa vel effectu perspecta pro legitimis motivis credibilitatis haberi nullo modo possunt — *p. 134-49.*

Adversarii (*p. 134-42*) fere omnes negant actum fidei esse assensum propter auctoritatem Dei loquentis, unde motiva credibilitatis tantum quoad nomen admittunt, atque proinde negant actiones miraculosas esse vera motiva credibilitatis.

Adversariorum classis 1ª. *Fidem reponit in assensu aliquo in se repugnante vel saltem hominibus hic in terra impossibili.*

Quidam ex his adversariis substituunt fidei assensum ob realitatis divinae intuitionem vel experientiam, uti Gnostici, Theosophi, Pseudomystici, Protestantes; quidam ob postulata rationis practicae, uti Kant eiusque asseclae; quidam ob sensum quendam uti Schleiermacher eiusque sequaces; quidam ob caecum instinctum, similia.

Nihil ergo novi proposuerunt multi *Modernistae,* cum, docente Encyclica « Pascendi » p. 15 initio eius numeri, qui est de Modernista ut credente, hoc quasi systema elaborarunt: Modernistae credenti ut tali « ratum ac certum est, *realitatem divini* reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur, reponunt: in privata cuiusque hominis experientia. In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: *in sensu religioso* quemdam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantiorem: quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus

adiunctis, quae ad experientiam gignendam requirantur. — Haec porro *experientia,* cum quis illam fuerit assequutus, proprie vereque credentem efficit ».

Adversariorum classis 2ª. *Fidem reponit in assensu in enuntiabile religiosum ob perspectam rei causam vel visos eiusdem effectus.* Sunt v. g. Moses ben Maimon, Spinoza; Deistae Angli uti Shaftesbury; Deistae Galli uti Rousseau; Fichte, Sabatier, etc.

Systematis elementa omnibus asseclis communia breviter exhibita haec sunt: Via legitima qua ad cognitionem Dei naturaliter pervenitur, sita est in sola conclusione ex effectu ad causam. Qui effectus sunt aut in ordine physico aut in ordine morali. — Quoad conclusionem ex ordine morali duplici via procedi potest. Aut ex hominis natura concluditur, legem moralem atque sanctionem homini necessariam esse atque proinde eam existere et consequenter eius causam, Deum. Aut ex effectibus in universum et simpliciter bonis experientia compertis, qui dependent e persuasione v. g. existentiae Dei, concluditur, eam persuasionem veram esse atque proinde Deum existere. Evidens est viam ex effectibus persuasionis de existentia Dei, experientiae subiectis, supponere, eos qui primi hos effectus e persuasione vera fluentes in se perceperunt, antea alia via de existentia Dei certos esse debuisse.

Sunt ergo qui, postquam tali via legitima i. e. conclusione scientifica ad enuntiabilia vera religiosa pervenerunt, illico loquuntur ac si iam de eorum revelatione constaret. Non enim admittunt revelationem nisi naturalem. — Aliquando sequuntur hanc sententiam etiam ii qui ad ipsam religionem naturalem nonnisi falsa methodo perveniunt uti v. g. Pantheistae, Modernistae. Non raro enim, qui falsa systemata proponunt, diversas personas in se sustinent.

Refutatur utraque classis adversariorum simul. — *p. 142-3.*

1) Eorum motiva credibilitatis non credibilitatem enuntiabilis, sed ad summum internam eius veritatem ostendunt; unde 2) etsi essent motiva legitima credibilitatis, tamen non possent ostendere credibilia etiam mysteria.

Refutantur singulae classes. — *p. 145-7.*

A. *Kantiani et Modernistae* assensus in se absurdos vel hic in terra impossibiles statuunt; qui intuitionem vel experientiam divini statuunt, praeterea omnes religiones aeque veras faciunt, facta historica revelata vere credere non posse videntur.

B. *Rationalistae* auferunt distinctionem inter manifestationem naturalem et revelationem; nulla est connexio inter cognitionem naturalem veritatis eiusque revelationem; Deus impotentiae morali cognoscendi religionem non posset remedium afferre per revelationem; etsi veritas obiectiva naturaliter cognita esset motivum credibilitatis, tamen non posset esse universale aut unicum.

Scholion. — *Distinctio motivi credibilitatis falsi, quod e veritate obiectiva naturaliter cognita petitur, ab eo vero motivo, quod e mirabili sapientia hauritur.* (De huius conceptu v. Rep. p. 57, de modo argumentandi Rep. prop. 12 p. 58-68).

1) Sapientia illa mirabilis in tantum proposita est ut motivum credibilitatis, in quantum primo miraculum est, secundo eiusmodi miraculum, quod hic et nunc ad aliquam revelationem probandam refertur. Cognitio vero ea, de qua in hac thesi sermo est, nihil miraculosi in se habere supponitur; a fortiori non est miraculum quod ad revelationem probandam refertur. — 2) Neque haec differentia maxima eo tollitur, quod et illa sapientia mirabilis et haec cognitio naturalis circa veritates quae revelatae dicuntur, ut circa obiectum suum versantur. Nam diverso modo circa eas versantur atque in ipso diverso illo modo ratio sita est, quod in uno casu motivum validum credibilitatis habetur, in alio non. In argumento falso ex cognitione naturali ita concluditur: enuntiabile verum est, ergo revelatum est. In argumento ex mirabili sapientia vero ita arguitur: in nuntianda vel cognoscenda hac doctrina revelata intercessit miraculum, quod e circumstantiis refertur ed eam affirmationem probandam, qua legatus dicit, doctrinam quam enuntiat, esse revelatam; ergo revelata est. — In argumento falso ex naturali cognitione enuntiabilis, ex omni enuntiabili qua vero ad eiusdem revelationem concluditur. In argumento legitimo ex mirabili sapientia primo ad rationem miraculi generatim concludi nequit nisi ex eiusmodi doctrina, quae continet tot enuntiabilia, tam difficilia et sublimia,

nullo errore permixta, ut constet hominem, qui eam proponit, hic et nunc naturaliter eam acquirere non potuisse. Deinde ex hac ipsa mirabili sapientia quae in tali doctrina proponenda apparet, nequaquam immediate concluditur ad eiusdem doctrinae revelationem, sed tantum sub duabus conditionibus. Quarum prima est, eam doctrinam proponi non tantum ut veram vel simpliciter infusam, sed ut dictam a Deo per revelationem attestantem; secunda, sapientiam mirabilem ex circumstantiis referri ad talem affirmationem de revelatione huius doctrinae probandam. Quod quibus modis cognoscatur v. prop. 12. — 3) In argumento e sapientia mirabili eam non respici simpliciter ut veram sed ut mirabili modo acquisitam, tandem optime ex eo potest videri, quod argumentum ex mirabili sapientia abstrahit ab eo, num doctrina, cuius mirabilis sapientia demonstratur, sit ea ipsa doctrina de qua probanda ut revelata agitur, an potius alius cumulus veritatum, qui ad aliquam aliam veritatem ut revelatam probandam referatur. In argumento autem falso ex naturali cognitione semper ex eodem enuntiabili qua vero ad idem enuntiabile qua revelatum concluditur.

Propositio 19. — Quod eae partes religionis revelatae, quae mores spectant, vitam moralem hominis iuvare possunt, id, si solum per se sumitur, non probat, eam religionem esse revelatam. — *E p. 147-9.*

Quomodo sententia, quam impugnamus, a quibusdam doctrinis veris distinguatur. — 1) Non negamus convenientiam praeceptorum moralium alicuius religionis, quae se revelatam dicit, cum dictamine rectae rationis, multum conferre posse ad id, ut homines bonae voluntatis ea praecepta amore complectantur atque proinde *excitentur ad inquirendum,* num revera revelata sit ea religio, atque *facilius eam ut revelatam admittant.* — 2) Evidens quoque est, eiusmodi convenientiam esse *notam negativam* revelationis. — 3) Id quoque patet, non repugnare, quominus haec convenientia praeceptorum moralium vel veritatum quae ad ea pertinent cum recta ratione et desideriis sanctis cordis, aut partem materiae aut forte integram materiam constituat, ex qua *ad mirabilem sapientiam institutoris huius re-*

ligionis concludatur. Id quod a numero, diversitate, sublimitate, connexione talium veritatum inter se pendet. De qua argumentandi ratione cf. Rep. 60. — 4) Tantum eiusmodi sententiam reiicimus, quae a tali convenientia alicuius partis religionis cum ratione vel corde humano *immediate ad eius partis vel totius religionis revelationem concluderet,* quin antea talis convenientia, dummodo ex circumstantiis id fieri possit, reducatur ad aliquod aliud motivum credibilitatis, et proxime quidem ad aliquod primarium, i. e. ad actionem aliquam miraculosam.

Arg. — Convenientia earum legum moralium et motivorum ad eas observandas ut est v. g. summa dignitas Dei qui super omnia ametur, etc., quas religio quaedam revelata docet, cum iis legibus et motivis, quae natura duce sciuntur, porro quod quaedam in vita morali per religionem eam optime explicantur, *per se illud unum probat, doctrinam morum quam ea religio proponit, esse veram.* At ex hoc solo per se *nullo modo* sequitur, *eam religionem ex parte vel universim sumptam esse revelatam.* Etenim

a) Ne hoc quidem ex eo sequitur, ipsas doctrinas directe ad mores pertinentes esse revelatas. Nam primo alius est conceptus enuntiabilis qua veri, alius enuntiabilis qua revelati, neque ex primo secundus sequitur. Deinde ex eo quod aliqua doctrina morum se dicit revelatam, certe per se non sequitur eam esse revelatam. Quaerendum ergo est, num alia argumenta pro revelatione adsint, diversa ab ipsa veritate enuntiabili qua tali atque ab affirmatione illud esse revelatum.

b) Non sequitur, ea quae aliquam explicationem veritatum ad mores pertinentium continent, esse vera, atque iterum a fortiori non sequitur ea esse revelata. V. g. ex eo quod peccatum originale explicat pugnam in homine, non sequitur, illud habuisse locum. Etenim etiam sine peccato originali eadem pugna potuisset in homine esse, idque ipsa doctrina catholica docemur. (Cf. errorem Baii damnatum « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur ». Denz. n. 1055). A fortiori nullum est in tali pugna argumentum, peccati originalis existentiam esse revelatam.

c) Etiam minus sequitur, alia, quae cum talibus veritatibus revelatis non cohaerent, et tamen in tali religione ut re-

velata praedicantur, aut vera esse aut revelata, v. g. non primam vel tertiam sed solam secundam personam Trinitatis esse incarnatam.

Propositio 20. — Falsum est, religionem qua revelatam (christianam) ab explicatione vitae perfecta postulari, hancque exigentiam esse aliquod motivum credibilitatis revelationis. — *p. 150-4.*

Adv. — *Brevis expositio theoriae (Blondel?).* — Elaborant quidam « ut homini persuadeant, in ipso atque *in intimis eius naturae ac vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque, sed talis omnino qualis catholica est;* hanc enim postulari prorsus inquiunt ab explicatione vitae perfecta . . . » Quod « ita incaute faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperamentis demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam ». Encycl. « Pascendi » p. 46.

Uberior theoriae explicatio. — Explicatio vitae perfecta intelligitur ea perfectio actionum, qua idea (ideale) hominis plene exprimeretur. Idea vero hominis intelligitur homo in quantum eius actiones perfecte concordant cum regula morum, quae naturaliter cognosci potest. — Iamvero homo tali modo perfecte agere non potest, nisi adiutus auxilio Dei. Hoc vero auxilium Dei non potest esse conclusum in ordine naturali, cum religio naturalis non sit nisi artificiosum figmentum. Ergo necessarium est auxilium supernaturale, atque cum revelatione coniunctum. Ergo revelatio supernaturalis est necessaria naturae. Deus autem in necessariis deesse homini non potest. Ergo Deus dedit religionem revelatam cum iis auxiliis de quibus agitur. Ut revelatam eaque auxilia de quibus agitur, continentem, se offert religio christiana. Ergo ea revelata est.

Potest quis in id solum incumbere, ut hoc argumentum validum declaret; potest vero praeterea adiungere, caetera argumenta, praecipue ea quae e miraculis et prophetiis petuntur, nullum valorem habere, vel ad summum probabilia esse.

Distinctio huius motivi falsi credibilitatis a doctrinis veris, quae cum eo forte a quibusdam confunduntur. — 1) *Convenientia cum natura humana* est criterium negativum, item *perfectio* quam dona supernaturalia naturae humanae afferunt, in quantum ea imperfectioni positivae opponitur. — 2) *Mira sapientia religionis christianae* etiam eo ostenditur, quod ea continet omnia, quae sunt naturalibus desideriis conformia et in religione naturali inveniuntur, quod porro omnia quae adduntur bona supernaturalia in plena harmonia sunt tum inter se tum cum bonis naturalibus, ea perficiunt, nulli contradicunt. Quam miram sapientiam si consideras, habebis argumentum pro revelatione revelata, at non ex naturali exigentia perfectionis supernaturalis, sed ex miraculo sapientiae quod in eo supponendum est, qui eam religionem primus nuntiavit. Cf. ampliora quae de distinctione argumenti veri e mirabili sapientia ab argumento falso e veritate obiectiva enuntiabilium diximus. Rep. p. 83-4. — 3) Rectissime quis argumentari potest *ex miraculis homini internis* sive in ordine intellectus sive in ordine voluntatis, sive in ordine physico sive in ordine morali. Haec sunt utique in homine, at non ex homine, non sunt indigentia naturalis, sed actio Dei praeternaturalis. Unde argumentatio haec toto coelo diversa est. — 4) Recte quis etiam ita argumentatur: Religio christiana in iis qui crediderunt, *fructus producit simpliciter et universim bonos* qui dependent a persuasione, eam esse revelatam. Atqui falsum nequit, providente Deo, habere hos effectus. Ergo religio christiana revelata est. At haec argumentatio primo non est argumentum primarium, sed secundarium, quod iam alia motiva credibilitatis nota fuisse supponit; deinde non est argumentum ex aliqua re ex omni parte naturali, sed ex factis quae concausam habent fidem, quae ipsa miraculis orta est. Hic vero statuitur argumentum sive unicum sive primarium idque ex ipsa natura qua tali in se considerata.

Pars I. — Revelatio ab explicatione vitae perfecta non postulatur.

Explicatio perfecta vitae exigere nequit primo ut quidquam reveletur, cum omnis cognitio ad eam requisita atque omne

robur voluntatis aliis modis saltem miraculosis a Deo dari possit; exigere nequit secundo ut homo ad ordinem visionis beatificae elevetur atque ideo is ordo ei, utique per revelationem, cognitus fiat. Etenim explicatio finis naturalis nequit exigere elevationem ad finem supernaturalem.

Pars II. — Etsi exsisteret exigentia religionis revelatae, tamen non posset esse motivum universale credibilitatis pro religione, quae ut talem se offert.

Etsi hoc motivum credibilitatis legitimum esset, tamen ad summum ducere posset in cognitionem earum veritatum sive religiosarum naturalium, sive — dato non concesso — stricte supernaturalium, quae necessariam connexionem cum tali explicatione habent. Iamvero multa alia revelari possunt.

Ob. 1. — S. Thomas, v. g. 1. q. 12 a. 1 et in 1 Cor. c. 13 lect. 4 docet, *in hominibus esse desiderium naturale visionis beatificae, quod inane manere non possit.* Atqui id, quod homo naturaliter desiderat, idque ita, ut desiderium inane esse non possit, a natura exigitur. Ergo visio beatifica atque consequenter revelatio secundum doctrinam S. Thomae a natura exigitur. — R. c. textum, n. sensum. S. Thomas agit contra errorem philosophorum praecipue arabum sui temporis, qui affirmabant, visionem Dei ne per omnipotentiam quidem divinam concedi posse, sed tantum esse inventum fanaticorum Pietistarum. Contra hos loquens S. Thomas naturale intelligit eiusmodi desiderium quod est in rem, 1) cuius possessio non esset contra perfectionem naturae, sed eam perficeret, 2) quae non ita superat naturam, ut neque per omnipotentiam Dei homini concedi posset, 3) cuius tamen amissio non faceret infelices. Tale desiderium non est exigentia. — Illud autem desiderium inane esse non posse affirmat in suppositione, hominem ex fide scire, se ad talem visionem ut ad finem suum esse destinatum.

Ob. 2. — Veritates revelatae a natura non postulatae nobis essent absolute extraneae, indifferentes pro nobis. Iamvero tales ne credere quidem possemus. Etenim ad credendum requiritur actus voluntatis. Voluntas autem non movetur nisi eo quod pro nobis est bonum. — R. Duplex est suppositio falsa in obiectione. Prima est: ad id ut aliquid credatur, necessarium esse ut ipsa res credita appareat ut bona. Essentiale tantum id est, ut ipse actus credendi appareat bonus. Hoc enim sufficit ad id ut actus fidei a voluntate imperetur. Absolute posset Deus aliquid revelare pro nobis indifferens, tantum ut nostram fidem experiretur. — Secunda suppositio falsa est: id quod pro nobis

bonum est atque id quod a natura exigitur esse conceptus identicos. Perspicimus quam maxime nobis bona, proinde quam maxime per se desiderabilia esse ea, quae secundum revelationem Dei tam perfecta sunt, ut sint bona divina, tantum per summa Dei miracula nobis, antea ad hunc ordinem bonorum elevatis, communicanda, v. g. visionem beatificam, quae omni modo naturam superat. Cf. obiectionem 1.

Ob. 3. — Secundum S. Thomam, caeteros theologos, voluntas habet partes principales in actu fidei. Atqui hoc est, quod theoria immanentiae hic statuta sibi vult! — R. Secundum theologiam voluntas in tantum habet partes principales in actu fidei, in quantum fides christiana est actus essentialiter imperatus a voluntate libera, c.; in quantum motivum credibilitatis sive principaliter sive saltem ex parte sit desumendum ex exigentiis voluntatis naturalibus, n. — De qua libertate fidei plura in theologia dogmatica docentur..

Propositio 21. — Gratia qua elevans non est motivum credibilitatis. — *p. 154-6.*

Con. mat. et occasio huius theoriae. — Doctrina a *Blondel* proposita a quibusdam eo modo intelligitur, qui sequitur.

Adv. — *Theoria proponitur:* Existit utique in omni homine exigentia ordinis supernaturalis, at non in tantum, in quantum natura hominis consideratur ut sibi relicta, sed in tantum, in quantum consideratur ut iam ornata gratiis. Iamvero secundum fidem catholicam de facto gratia Dei in omnes agit. Ergo in omnibus est exigentia ordinis supernaturalis. Atqui *haec exigentia ordinis supernaturalis, detecta in actione quam gratia iam penetravit, et necessaria est et sufficiens ad id ut veritas revelata assumi possit.* Est necessaria; nam aliter non explicatur, quomodo revelatio nobis possit apparere ut respondens exigentiae, id quod necessarium est ad id, ut assumi possit. Est sufficiens; nam ordo revelationis cum ordine gratiae necessario coniunctus est.

Duplex modus hanc theoriam intelligendi. — Gratia per se intelligi potest aut in quantum est *elevans* actus nostros ad ordinem visionis beatificae, aut in quantum est *sanans*, seu in quantum et illuminat intellectum, ut tum speculative tum practice videat quid sit agendum, et roborat voluntatem ut quae homo agenda vidit complere possit. Si in hac theoria gratia intelligitur tantum qua sanans, iam vidimus prop. 14 p. 71, illuminationes

intellectus et impulsiones voluntatis aliquando eiusmodi esse posse, ut et in se sint extraordinaria et ut talia percipi possint, simulque ea ex circumstantiis aliquando referri posse ad aliquam revelationem probandam. Necessaria autem talis gratia in ratione motivi credibilitatis dici nequit, cum alia multa sufficientia motiva credibilitatis probaverimus. — *Quaeritur ergo nunc tantum, quid de hac theoria sentiendum sit, si gratia intelligitur qua elevans. Qua in suppositione eam, in quantum ut motivum primarium statuitur, absolute reiicimus.* Rem breviter tructamus; ampliora, quae dici possent, nimia ex tractatu de gratia supponerent.

Arg. — Si de gratia qua elevante intelligitur, refutatur theoria ex eo quod gratia qua elevans 1) tantum e revelatione cognosci potest; 2) etsi esset motivum credibilitatis, tamen non posset esse universale aut unicum, cum tantum ea cognoscibilia reddere posset, quae cum ea necessario cohaeernt.

Nota de habitu voluntatis ad revelationem. — *E p. 156.*

Postquam per integrum tractatum secundum seu de religionis revelatione in abstracto considerata egimus de habitu intellectus ad revelationem, seu de motivis credibilitatis, per se tractandum esset de habitu voluntatis ad eam. Hanc quod attinet, per se proponendae essent hae theses: Tenetur homo 1) si habentur signa probabilia, revelationem Dei factam atque ad se directam esse, in factum revelationis inquirere, 2) si certitudo de hoc facto obtenta est, revelata credere. — At utraque thesis in ethica tractari solet. Unde eas hoc loco omittimus. — Ampliorem tractationem in operibus apologeticis v. v. g. *Wilmers* prop. 26, 27 p. 93-9. — *Ottiger* th. 11, 12 p. 276-93.

Appendix de arte agendi apologetam — *p. 157-8.*

Artis apologeticae est 1) ex argumentis, quae scientia apologeticae proponit, ea eligere electaque eo modo proponere, ut apta sint ad gignendum iudicium credibilitatis certum in iis, de quibus hic et nunc convertendis vel firmandis agitur; 2) in rebus

caeteris, quae ad hunc finem necessariae vel utiles sunt, efficiendis, Deo cooperari. Unde *a*) et ipse apologeta oret atque digne Deo serviat, et convertendos orare Deoque digne servire iubeat, ut Dei gratia impedimenta ex parte superbiae, sensualitatis auferat. *b*) Ipsius actus fidei honestatem, pulchritudinem, obligationcm exhibeat. *c*) Argumenta credibilitatis proponat vera, ea quae ad hominem sunt tantum ad refutandas obiectiones adhibeat. *d*) Ex veris ea eligat, quae, attenta sua et convertendorum dispositione, aptiora sunt, per se vero praecipue ea, quae in se certissima et clarissima sunt.

TRACTATUS III.

DE REVELATIONE CHRISTIANA.

Pars. I. — Quale testimonium Iesus Christus de se ipso reddiderit.

Proposito 1. — Iesus professus est, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri. — *Cf. H. van Laak, De rev. christ., Prati 1911, ad usum priv. p. 14-29.*

[***Qual.*** — De fide divina catholica].

Adv. — *Rationalistae plurimi* et *modernistae*. Nam uti ipsi revelationem veram impossibilem habent, ita Christo eundem errorem fundamentalem ascribunt. Unde statuunt verba Christi de revelatione intelligenda esse de revelatione sensu lato accepta. — Qui vero admittunt, Iesum sibi revera altissimas dignitates ascripsisse, *lentam evolutionem* naturalem huius conscientiae statuere solent, eamque saepe intra eius vitam publicam. — Quidam affirmant, in doctrina Iesu fuisse *partes, quas auctoritate divina fulcire noluerit. — p. 15-8.*

Expl. term. — *Iesus* Nazarenus, eius existentia, praecipua facta, fata, doctrinae, ex historia atque imprimis ex introductione in evangelia probata supponuntur. — *Professus est.* Num huic *dictioni* veritas obiectiva rei dictae respondeat, in thesibus de motivis credibilitatis inquiritur. — *Omnem suam doctrinam.* Agimus de sola vita publica Christi, quam tamen statim ab eius initio consideramus. — *Auctoritate divina fulciri.* I. e. Iesum eam nobis ut fide divina credendam proposuisse. Non vero negamus, eum ipsum omnia altiore ratione (visione beatifica) cognovisse. — Sequenti thesi probabimus, Iesum se Messiam dixisse. Eum sibi etiam naturam divinam ascripsisse quidam in theol. fund. tractant, quidam non. — *p. 14-5.*

Pars. I. — Arg. e verbis Christi.

Iesus doctrinae suae generatim sumptae indolem propheticam ascripsit.

Arg. — ***Formaliter explicite.*** — Lc. 4, 24 Iesus se in Nazareth prophetam dicit, uti etiam discipuli, populus intellexit: « Propheta magnus surrexit in nobis ». Atqui pro Iudaeis propheta erat interpres Dei.

Eodem modo notionem explicat Christus. Nam Io. 3, 33 confirmat verba Baptistae de se Christo: « Quem enim misit Deus, *verba Dei loquitur* ». Porro Io. 12, 49: « Quia ergo *ex meipso non sum locutus,* sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar ». — Se summum prophetam dicit Mt. 12, 41: « Plus quam Ionas hic ».

Formaliter implicite. — Iesus se dixit *Messiam.* Atqui e mente Iudaeorum, a Christo non correcta et in Scripturis fundata, *Messias erat propheta.* Ad eum applicabant Deuter. 18, 18 « *Prophetam suscitabo iis* de medio fratrum suorum ». — Psalmi Salomonici: « *Doctus a Deo* ». — Samaritana mulier: « *Nobis annuntiabit omnia* ».

Statim ab initio vitae publicae.

Arg. — Io. 14, 24: « Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris », *est sententia universalis ad finem vitae publicae* in ultima coena pronuntiata. — *Ab initio* approbat verba Nathanael: « Tu es *rex Israel* (Messias) »; Nicodemi: « *A Deo* venisti *magister* ».

Idque quoad omnes suas doctrinas.

Arg. — Verba Io. c. 12 v. 47-50 hac ratione reddi possunt: « Pater dedit mihi mandatum, quid loquar, quid non. Iamvero obediens sum. Ergo *quaecumque loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor* ». — Praeterea cf. mox dicta de Io. 14, 24. — Quamvis Iesus generali modo ad fidem divinam doctrinae suae habendam hortetur, *nunquam medium distinguendi partes auctoritatis non divinae* indicat.

Eiusmodi testimonium Iesu de se ipso certe ad substantialia evangeliorum pertinet. Iamvero auctoritas humana evan-

gelistarum quoad substantialia evangeliorum in Introductione ad evangelia iam probata est.

Ob. — Io. 3, 31-6 esse verba *evangelistae* non Baptistae demonstrant rationes hae: *Contextus* pericopae; expressio: « *Nemo* » accipit testimonium Iesu; id quod continet minus sublime est, quam priora; Christus talia primus docuit. — R. Pericope extollitur *dignitas Christi;* hyperbolice *paucitas* significatur; *munus* Christi utique minus sublime est quam persona Christi; *non a priori* decidendum est, quid Christus primus docere debuerit.

Pars II. Arg. e testimonio aetatis antenicaenae.

Arg. — Quamvis testes antenicaeni directe docere soleant, Christum in omnibus suis doctrinis *fuisse* legatum Dei, tamen indirecte etiam tradunt, eum se ut talem *exhibuisse*. Nam primo utuntur ut fonte evangeliis, ergo rem ita exhibere volunt uti ea. Secundo rationem *perfecti magistri auctoritativi* in Christo extollunt; atqui ad talem pertinet, ad suam auctoritatem provocare, — Porro haec res est *facilis captu,* summi momenti pro religione christiana; testes isti sunt probi. Ergo ita est. — Ad ma.:

Tempus apost. — *Stephanus* Act. 7, 37: « Prophetam suscitabit »; *Paulus* Act. 26, 23: « lumen annuntiaturus gentibus »; Hebr. 1, 1: « locutus est nobis in Filio ».

Patres. — *In genere: Apologetae* praedicant hebraicam sapientiam ut divinam prae graeca; Christum ut λόγον Dei. Ipsi haeretici v. g. Elkesaitae Christum ut divinum revelatorem celebrare solent. — In *specie:* V. g. *Clemens Alex.:* « Verus de Patre magister »: « per os hominis Dominus operans ». *Arnobius:* « Dei principis iussione loquens sub hominis forma ». *Lactantius:* « Quia voce eius ad populum fuerat usurus ». — *Archaeologia* christiana Christum exhibet ut Orpheum, qui cantu (verbo) suo omnia domat; saepe Iesum ut magistrum depingit.

Et haeretici et catholici ita argumentabantur, ut *omne verbum Christi* indubitatae veritatis divinae habentes, tantum de sensu ei tribuendo dissentirent.

Ob. 1. — *Origo* ideae, Christianismum esse doctrinam revelatam, debetur *apologetis antenicaenis.* — N. Cf. arg. Pro officio suo hanc veritatem *inculcarunt.*

Ob. 2. — Cum Christianismus *a Iudaea ad Graeco-Romanos transiret,* ideae Messiae successit idea doctoris divini et Dei. — N. *a*) Cf. arg. *b*) Idea divini doctoris *in idea Messiae iam includebatur.*

Propositio 2. — Iesus inde ab initio vitae publicae professus est, se esse Messiam. — *p. 30-71.*

[***Qual.*** — De fide divina catholica].

Adv. — *Rationalistae multi* inde a fine saeculi 18. *Modernistae* saeculi 19. — *Decr.* « *Lament.* » prop. 35: « Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis Messianicae »; 28 e *Loisy* « Iesus quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur, ut doceret, se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant, ut id demonstraret ».

Quidam statuunt Iesum *nullo modo se Messiam* dixisse; quidam, Iesum se tantum ut eum exhibuisse, qui *aliquando in regno eschatologico Messias constituendus sit,* idque eum nonnisi ultimo vitae tempore confessum esse. Qui Iesu affirmationem *dignitatis praesentis* ascribunt, generatim eam initium habere volunt a *scena Caesareae Philippi.* — *p. 30-4.*

St. qu. — *Messias* (unctus) intelligitur is doctor divinitus missus, liberator a peccatis, *rex,* quem ut *novi ordinis institutorem a prophetis promissum* Iudaei expectabant.

Est rex, qui auctoritatem habet, quamvis nondum omnes actus exerceat, qui ad munus pertinent. — *p. 30-1.*

Genuinitas textuum qui a nobis afferuntur, e criteriis externis nullam difficultatem patitur. Criteria *interna* plurimum eam commendant. Nam *plurima verba, facta, fata Christi, maximi momenti, cum hoc testimonio* Christi de sua dignitate Messianica *indivulse cohaerent.* — *Auctoritas humana evangelistarum* in hac assertione evidens est; nam cum sit *primarii momenti* pro Iudaeis atque Christianis, certe ad substantialia evangeliorum pertinet. Imo quatuor evangelistae praecipue ad dignitatem Messianicam Christi probandam scriptioni se dederunt. — *p. 34-5.*

Pars I. - Iesus inde ab initio nomen Messiae diversosque titulos Messianicos ad se applicavit. — *p. 35-48.*

Nomen Messiae.

Arg. — Ad Samaritanam Io. 4, 26; ad Petrum Mt. 16, 16; « Quia Christi estis », Mt. 9, 40. — Io. 10, 24-5: « *Si tu es Christus,* dic nobis palam... εἶπον ὑμῖν ». — Iesus summo sacerdoti adiuratus respondet affirmando.

Ob. 1. — Ab initio *clarius loquitur in Samaria* quam in Iudaea! — R. *a*) Cur hoc a priori impossibile diceretur? *b*) Samaritani videntur melius dispositi fuisse. Ad eos raro veniebat Christus, etc.

Ob. 2. — Verba «*Tu dixisti*» ad Pontificem mere significant *factum affirmationis Pontificis;* non continent approbationem eius assertionis per Christum factam. Nam talis modus loquendi *e caètera literatura demonstrari nequit.* — N. ass. Ad rationem: Modus loquendi ex his constat: *a*) *Pontifex ita* intellexit: «blasphemavit»; apud Mc. loco «Tu dicis» legitur «ego sum». *Christus ad Pilatum, Iudam ita* loquitur. *b*) Quaedam in lit. caetera haberi videntur.

Tituli Messianici.

«*Filius David*», «*Rex Israel*».

Arg. — Hi tituli erant termini technici pro Messia. Iamvero Nathanael: «Tu es rex Israel»; caeci in Kapharnaum, mulier Cananeae, duo caeci propre Iericho, populi cum Christus solemniter in urbem ingreditur: «Filius David». Christus admittit has confessiones v. g. «Si hi tacuerint, lapides clamabunt».

Ob. 1. — Nathanael nihil affirmat, sed *tantum interrogat*, num Iesus sit Messias. Nam cognitio miraculosa Christi tantum probare poterat, Iesum esse *prophetam,* non vero eum esse Messiam. — Si ea cognitio miraculosa respicitur ut effectus e quo ad causam concluditur, c.; si *ut motivum credibilitatis* pro dignitate Messianica, quam Nathanael a Philippo ut a Christo assertam audivisse censeri debet, n.

Ob. 2. — Iesus Mt. 22, 41-6 probat e Psalmo 110 Messiam esse Dominum David; concludit, eum non esse filium David. — N. Iesus ut concessum sumit, Messiam esse Filium David; ex eo quod simul est Dominus, *arguit eum non esse eiusmodi filium, qui non superet patrem dignitate,* non habeat proinde regnum terrenum, uti habebat David, sed sublimius.

«*Qui venturus est*».

Arg. — Hic titulus est terminus technicus pro Messia, quem Iesus ad se applicat. — Nam Christus Mt. 11, 2-6 ad solemnem interrogationem Baptistae *respondet, se esse* eum de quo Isaias miracula plurima et praedicationem pauperibus faciendam praedixerit, i. e. *Messiam; interrogaverat* autem *Baptista:* «*Tu es qui venturus es?*» Ergo. Congruit quod Messias erat is unus ab omnibus expectatus, *cuius aetas* vocabatur ὁ αἰών ὁ μέλλων, etc.

Ob. — « *Venturus es* » significat : *qui aliquando eris Messias.* — N. « Venturus es » *currit a tempore antequum Christus in mundum venit,* non a tempore huius interrogationis factae. E mente Baptistae Christus sane ante periodum eschatologicam functiones Messiae exsequitur ; nam iam antea tollit peccatum mundi, baptizat Spiritu Sancto et igne etc.

« *Filius hominis* ».

Linguistica : Aramaicum bar naša vertendum est : « *ille determinatus filius alicuius* hominis », in expressione graeca ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ; secundum plurimos abundat τοῦ. — Usus : Solus Christus hunc terminum adhibet, idque ordinarie. Quater tantum in Synopticis invenitur ante scenam Mt. 16, 16.

Arg. — *Maior :* Iesus *saepissime titulum* « *Filius hominis* » *ad se applicat.* — In eodem contextu proximo de eadem re agens aliquando *primam personam,* aliquando *hunc titulum* adhibet. Mt. 16, 13 : « Quem dicunt homines esse Filium hominis ?... Vos autem quem *me* esse dicitis ? » — Eandem *passionem, resurrectionem* die tertia *de se, de Filio hominis* praedicit Mt. 16, 21-3 : « Iesus coepit ostendere quia oporteret *eum* (se) occidi et tertia die resurgere ». Mt. 17, 21-2 : « *Filius hominis* tradendus est... et occident eum et resurget ». — Idem frequentissime de parusia. Mt. 24, 3 : « Quod regnum adventus *tui?* » Respondet Iesus describendo adventum « *Filii hominis* ». — Imo ab *initio vitae publicae* hunc titulum ad se applicat. Ad *Nathanael:* « Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis ». Ad *Nicodemum :* « Oportet exaltari Filium hominis ». — Adversarii ipsi quatuor istos locos apud Synopticos Christo abiudicare non solent.

Minor : Filius hominis significat Messiam. — *Dan.* 7, 13 : « Ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat », terminus « Filius hominis » significat Messiam. Id quod sumitur e tractatu de vaticiniis Messianicis. *Iamvero Iesus, cum se Filium hominis dicit, ad eum locum remittit.* Nam

1) Ita generatim *exegetae* recentiores catholici. Consentiunt plurimi acatholici.

2) *Similitudo* inter *verba Dan.*, *Christi* Mt. 26, 64 : « Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli ». Nullus alius locus in V. T. est, ad quem Iesus alludere hic potuerit.

3) In quibusdam partibus libri *Henoch* expressiones « ille filius hominis », « filius hominis », *iam quasi titulum Messiae* constituunt. Quae partes sub influxu christiano scriptae esse non videntur.

4) *Ita Iudaei intellexerunt* Christum loquentem. Numquam explicationem petunt. — Io. 12, 34 Messiam et « Filium hominis » identica habent. — Item Act. 7, 55-7 Stephanum de « Filio hominis » praedicantem ita intelligunt.

5) *Contextus locorum,* in quibus hic terminus occurrit, numquam significationi Messiae opponitur, semper eam postulat. Fere semper est sermo de munere quodam Messianico, aut de perpessionibus vel gloria Messiae. Cf. ob.

6) *Rationes, cur Christus forte hoc nomen elegerit.* — Excitat *fidem in prophetias;* exprimit *universalitatem* regni Messianici, *potentiam* Messiae; eius *naturam humanam praedicat, divinam* insinuat.

Obiicitur theoria ortus posterioris significationis messianicae huius tituli. Ex tribus elementis componitur, quae totidem obiectionibus exhibemus. — *Cf. p. 48-56.*

Ob. 1. — In literatura aramaica a Iudaeis conscripta « Filius hominis » numquam hoc sensu sed semper in alia significatione invenitur, scilicet ut ordinaria expressio pro « homo », vel « ego », vel « aliquis ». — *a*) N. *consequentiam.* Saepe ab una aetate, aliquando ab uno homine, aliquis terminus in technicum elevatur. *b*) Habentur *analogiae* in aliis nominibus Messiae, v. g. « *rediens* », « agnus ». *c*) Hic terminus iam erat *quasi titulus.* Cf. liber Henoch. *d*) Non omnia scripta, ne apocalyptica quidem, nobis servata sunt; porro Iudaei a nominibus quae Christus vel Christiani adhibuerant, abhorruisse videntur, v. g. non dicebant Χριστός. — Caeterum hic terminus *non* invenitur *pro* « *ego* », nonnisi *raro* et *poetice* adhibetur *pro* « *homo* ». — *p. 47-9.*

Ob. 2. — Silent hunc terminum scripta christiana ante Gnosticos; Gnostici vero ab aliquo textu, ut videtur, Pontico dependent. Ergo terminus est e *speculatione gnostica.* — Gnostici *nostris evangeliis usi sunt.* Ergo habemus fontem eorum. Cur auctores subapostolici terminum (forte?) non adhibuerint, non certo scimus. Forte quia usus librorum Henoc et Daniel speciatim intra Palaestinenses vigebat; quia solus Dominus eum adhibuerat.

Ob. 3. — In quatuor locis ante scenam Caesareae Philippi terminus « Filius hominis » alium sensum habet; ergo sensus messianicus postea a Christianis ei affixus est. — *a*) N. *consequentiam.* Ad summum sequeretur, Christum aliqua voce in diversis sensibus usum esse. *b*) Etiam

priores, quam isti loci quatuor apud Synopticos, sunt illi alii apud Io., in quibus evidenter sensus Messianicus habetur. *c*) *Sensus quatuor istorum locorum est Messianicus.* Id quod ex solutione obiectionum patebit, quas ex his locis haustas adiicimus.

Obiectiones e locis 4 ante Mt. 16, 13.

Ob. 1. — In textu « Filius hominis *habet potestatem in terra dimittendi peccata* » permitti possunt aliae significationes. — N. Significatio « *aliquis homo* » nimis ieiuna est; « *omnis homo sanctus* », « *homo idealis* », sensum falsum fundarent; « *Messias* » sensum profundum et verum dat. Populus laudat Deum, « qui dedit potestatem talem hominibus », i. e. *uni ex genere humano,* in quo uno omnes honorat.

Ob. 2. — In textu « Sabbatum propter hominem... Itaque *Dominus est Filius hominis etiam Sabbati* », significatio « homo » assumenda est: *Alias nulla consequentia in textu habetur.* — N. Nam textus parallelus « Messiam » nominat, porro *falsum* est *omnem hominem esse Dominum Sabbati.* Connexio idearum videtur esse haec: Cum *Messias* sit Dominus hominum, etiam est *Dominus eorum omnium, quae propter hominem facta sunt.*

Ob. 3. — In textu « *Vulpes foveas habent... Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* », Filius hominis *bestiis opponitur;* ergo significat « homo ». — N. Dignitas Messiae ideo nominari videtur, quia decet, *homines talia ferre,* si Dominus eorum tam dura sustinet.

Ob. 4. — Secundum Mc. 3, 30 peccatum *contra Spiritum Sanctum* est peccatum *contra Messiam.* Ergo in textu parallelo Mt. 12, 32 « quicumque dixerit verbum *contra Filium hominis remittetur* ei; qui autem dixerit *contra Spiritum Sanctum, non remittetur* ei » filius hominis nequit esse Messias. — N. min. Peccatum in Spiritum Sanctum ab alio peccato *non distinguitur* secundum *personam,* contra quam proxime convicia proferuntur, sed *secundum modum* quo proferuntur, eo quod opera manifeste divina diabolo attribuuntur.

Pars II. — Multa alia quae Messiae propria sunt, Iesus sibi ascripsit. — *p. 56-8.*

Arg. — Multo plura in theol. fund. universa et dogmate. Solus Messias est

1) *Maior omnibus prophetis et regibus.* — Iamvero « plusquam Ionas hic ». « Abraham vidit (diem meum) et gavisus est ».

2) *Rex novi regni aeterni et universalis.* — Cf. Mt. 16, 18-9; Mt. 28, 19-20. Sermones eschatologici.

3) *Redemptor a peccato.* — « Agnus Dei... ».

4) *Praedicat* pauperibus, *miracula patrat.* — Mt. 11, 4, 6 coll. Is. 61, 1; 35, 56.

5) *Habet praecursorem.* — Iamvero Baptista docet, se esse missum ut Iesu viam praeparet.

6) *Patitur, glorificatur* secundum prophetias. — Quas Iesus ad se applicat.

Ob. 1. — Si Iesus se putasset Messiam, *non se submisisset legi Mosaicae,* quippe quam *abrogare* debuit. — In vita sua mortali eam *nondum abrogaverat,* atque eam *ob exemplum virtutum,* quamvis non subiectus, observavit.

Ob. 2. — Si se putasset Messiam, *regimen politicum exercuisset.* — *Non habuit titulum dynasticum* in regimen. Num vi potestatis sequentis ex unione hypostatica *ius directum in res temporales* habuerit, controvertitur. *Certe usui* eius renuntiavit e voluntate Patris: « Quis me constituit iudicem ? ».

Confirmatur, Iesum se Messiam dixisse e *fide discipulorum* (Nathanael; « nos credidimus », ita Petrus Io. 6, 69 nomine apostolorum etc.), quorumdam *e populo; e concessione* plurimorum *Protestantium* vel liberalium.

Pars III. — Falsae sunt rationes, ob quas negant, Iesum dixisse, se tantum per regnum suum eschatologicum aut per resurrectionem suam constituendum esse Messiam. — *p. 59-63.*

Non tantum per regnum suum eschatologicum.

Ob. 1. — Messias est fundator *regni Messianici.* Atqui hoc e natura sua est *mere eschatologicum.* — N. min. Regnum Messianicum est *ecclesia.* Munus Messiae dicit *ambitum officiorum* quae *ex parte in vita mortali a Christo explenda erant,* ex parte ob naturam rei nonnisi postea exerceri poterant. Dedit leges fidei, matrimonii, constituit ecclesiam etc. Iudicabit orbem terrae, quando status viae finem habebit.

Ob. 2. — Iesus ad exprimendam functionem suam Messianicam iudicandi orbem loquitur de « *adventu* » suo, non vero de « *reditu* » suo futuro. Ergo erat diversa persona moralis in vita, diversa erit quando iudicabit. Ergo in ipsa vita Messias non erat. — *a*) N. consequentiam. *Uno termino non debent dici omnia.* Idem modus loquendi adhibetur de Deo, qui sane semper auctoritatem iudicandi habet, in V. T., in parabolis Domini. *b*) N. ma. « *Iterum venio* et accipiam vos d meipsum ».

Ob. 3. — Iesus coram Caipha: « Videbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli ». Ergo haec *futura gloria est characteristicum* signum Messiae. — *Aliquod* signum Messiam qui iam talis est, c.; *unicum,* idque eiusmodi *quo primo constituatur* Messias, n. hoc in illo textu contineri.

Ob. 4. — Terminus « Filius hominis » significat Messiam *apocalypticum.* — Messiam qui *aliquando habebit illum statum* apacalypticum seu potius *gloriosum,* c.; qui eo statu glorioso constituitur Messias, n. Cf. « Filius hominis... flagellabitur ».

Non tantum per resurrectionem suam.

Ob. 1. — Petrus Act. 2, 36 *die Pentecostes:* « Et Dominum eum et *Christum fecit Deus* ». Atqui intelligitur: fecit per resurrectionem. — N. min. *a*) Sensus est: *E glorificatione cognoscitur,* eum *aliquando constitutum esse* Messiam. — *b*) Minus bona explicatio est, agi de novo titulo ad regnandum, qui consistat in statu glorioso.

Ob. 2. — Paulus Rom. 1, 4: « *Praedestinatus* est *Filius* Dei... *ex resurrectione mortuorum* ». — I. e. *ostensus* est filius Dei potens ex resurrectione omnium mortuorum, quam perficiet.

Ob. 3. — Mc. 8, 30; 9, 9-10 Iesus *vetat dignitatem suam Messianicam ante resurrectionem manifestari.* — *a*) N. consequentiam, etsi hoc vetuisset. *b*) 8, 30 vetat, eam *nunc* dici; etiam id vetat pro ingressu in urbem? *c*) 9, 9-10 vetat tantum, *suam transfigurationem* ante resurrectionem suam manifestari.

Pars IV. — Falsae sunt rationes, ob quas negant, Iesum aut unquam aut saltem iam ab initio vitae publicae se Messiam dixisse. — *p. 63-71.*

Ob. 1. — *Nemo homo* tam sublimia sibi ascribere *poterat!* — *Bellus apriorismus!*

Ob. 2. — Iudaei *falsas ideas de Messia* habebant. Atqui si Iesus se Messiam dixisset, eas *approbasset.* — Dist. ma.: *Omnes* Iudaei, n.; *multi,* subd.: *nonnisi falsas* ideas, n.; quasdam, iterum subdist.: quas Iesus *correxit,* c., non correxit, n.

Ob. 3. — Iesus populum *non docuit nisi in parabolis,* quarum finis erat abscondere *mysteria regni caelorum.* Atqui inter haec mysteria regni numeranda est *dignitas Messianica* Christi. — *a*) N. min. Mysteria hic dicuntur illae proprietates regni quae in *parabolis illis describuntur.* *b*) Dist. ma.: docebat tantum in parabolis certo tempore coram populo in Galilaea, c.; *semper et coram omnibus, n.*

Ob. 4. — Iesus Mt. 16, 20 apostolos, saepe diabolos *vetuit, ne aliis praedicarent* se Christum esse. — Sequitur tantum, Iesum noluisse ut *daemones* suam dignitatem annuntiarent, forte ne cum iis

conspirare videretur; porro *ut apostoli tunc* id facerent. Videntur nondum fuisse sat apti ad talem praedicationem.

Ob. 5. — Si Iesus se Messiam dixisset, *praeses Romanus id passus non esset.* Atqui nihil contra Iesum egit. Ergo. — Dist. ma.: Si se Messiam *politicum pronuntiasset*, c.; si se et doctrina et vita profitebatur Messiam religiosum, n. Proceres populi, cives in Ierusalem, a quibus pericula politica proficisci solebant, potius Iesu hostes erant.

Ob. 6. — Cur Iesus *Caesareae Philippi* discipulos interrogat quem se homines dicerent, nisi *ut tunc primo confessionem suae Messianitatis* eliceret? — *a*) Non necesse est scire rationem. *b*) Videtur solemni confessioni suae dignitatis *finem imponere voluisse epochae priori educationis* apostolorum. Nam « exinde (tantum) coepit » suas *perpessiones* praedicare.

Ob. 7. — Si populus Iesu *die palmarum ut Messiae* acclamasset, eum *feria sexta morti non tradidisset.* — *a*) *Acclamabat « rustica turba »* ex Galilaea et Iudaea, non totus populus, praecipue non cives Hierosolymitani. *b*) Fides etiam hominum eorundem, si non fuit valde firma, cum Iesum quasi sine potentia miraculorum et despectum viderent, *deficere poterat.* Habentur analogiae in evangeliis.

Scholia. — *a*) « Filius hominis » non remittit ad Ezechiel, ubi hoc nomine ipse propheta significatur. — *b*) Veteriores etiam ipsi elementa explicationis termini « Filius hominis » de Messia iam habent. — *p. 70-1.*

Propositio 3. — Iesus de praedicatione sua ad ethnicos extendenda non tantum durante ministerio suo cogitavit, verum etiam eam post resurrectionem suam fieri supposuit, imo mandavit. — *p. 72-83.*

[**Qual.** — De fide divina catholica Mt. 28, 20 etc.]

Con mat. — In theol. fund. tractatur *revelatio publica.* Est maxime talis, si ad totum mundum dirigitur. Iuvat haec veritas etiam ad id, ut quaedam motiva credibilitatis abundantius demonstrari possint. — *p. 72-3.*

Adv. — Nonnisi *post ortum Rationalismum,* v. g. Reimarus, Harnack. — *Modus procedendi* multorum ex ipsis: Habetur in evangelio textuum series particularistica, series universalistica; illa, utpote imperfectior, prior est: haec utpote perfectior, posterior. Ea debetur *proiectioni status rerum posterioris,* cum iam plurimi ethnici converterentur, *in mentem Christi.* — *p. 72-4.*

Pars I. — Iesus durante magisterio suo de ethnicis convertendis cogitavit. — *p. 74-6.*

Arg.* — *1) Ex eo quod Christus aequalibus saltem inferior non erat. — Ipsi Iudaei, tum in diaspora tum in Palaestina, persuasionem habebant, *religionem veram ex dispositione divina per Iudaeos inter ethnicos spargendam esse.* Atqui conceditur Christum sapientiorem aequalibus fuisse. Ergo.

2) Christus professus est se esse Messiam. Atqui de Messia Is. 55, 4 legitur: « Ducem ac praeceptorem gentibus »; 49, 6: « in lucem gentium ».

Ob. 1. — Vaticinia messianica edicunt *regna ethnica* per Messiam esse *destruenda,* non beanda. — Destruenda *qua mala,* in alium statum perducenda.

Ob. 2. — Tempore Christi *proselytae despiciebantur.* — N. Apud Rabbinos quosdam *post destructam Ierusalem,*

Pars II. — Iesus supponit, evangelium post mortem suam gentibus praedicatum iri. — *p. 76-7.*

Arg.* — *1) E sermonibus Iesu apud Synopticos. — Mt. 10, 18: « Ad praesides et reges ducemini propter me *in testimonium illis et gentibus* ». — Mt. 24, 14: « Praedicabitur evangelium hoc in universo orbe ».

2) Apud Io. — Concedentibus generatim adversariis, eius evangelium « dictis directe universalisticis penetratur ». Harnack. Continuo de *mundo* sermo est. V. g. Io, 3, 16: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ». Quid vero mundus est? « Ut *omnis qui credit in eum,* non pereat ». Io. 17, 2: « dedisti ei potestatem *omnis carnis,* ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam ». — « Habeo alias oves, quae *non sunt ex hoc ovili* (*synagoga*), et illas oportet me adducere » 10, 16.

Ob. — Io. *magis premit universalismum* quam Synoptici. Ergo fide dignus non est. — N. consequentiam. Rationes cur magis eam premat: *a*) Plures sermones Christi de sua *divinitate* habet, ubi connaturaliter de suo *universali dominio.* *b*) Io. agit etiam *contra iudaizantes* Ebionitas, unde abrogationem legis premit. Cf. verba Iesu ad Samaritanam.

Pars. III. — Iesus mandavit, ut omnes omnium temporum homines omnem doctrinam suam qua revelatam et firma fide amplecterentur et opere complerent. — *p. 78-83.*

St. qu. — *Fides* intelligitur explicita in quaedam, *implicita in omnia.* — *Opus* intelligitur actus omnis, excepto assensu fidei et iis quae ad eum necessario requiruntur.

Arg. — 1) E confessione Christi. — Mt. 28, 20; Mc. 16, 15. Cf. ampliora de significatione termini « consummatio saeculorum » in thesi de infallibilitate apostolis eorumque successoribus concessa. — « Et illas (oves alias quam ex hoc ovili) *oportet* me (per apostolos, cum id non fecerit per se ipsum) adducere ». — « Sicut tu me misisti in mundum, et *ego misi eos in mundum* ».

2) E testimonio aetatis primae christianae. — *Concedit* Harnack, hanc persuasionem ab antiquissimis temporibus inveniri. — *Directa* quaedam *testimonia:* Mt. ad Iesum applicat 12, 18-21: « Iudicium gentibus nuntiabit ». *Paulus* vero Act. 13, 47: « Posui te in lucem gentium ». De se ipso autem ait 1 Cor. 9, 16: « Necessitas (praecepti) enim mihi incumbit » praedicandi gentibus. Act. 22, 21: « Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te ». *Clemens Rom.:* « acceptis mandatis... apostoli a Christo... egressi sunt. »... *Apocrypha.* V. g. Praedicatio Petri: « Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus ».

Ob. — Si Christus ad id missus fuisset, ipse, *utpote aptior, hoc opus in se assumpsisset.* — Aut immediate hoc fecisset, *aut alios* dono infallibilitatis, miraculis, sanctitate, *aptos* reddidisset qui hoc facerent.

Ob. 2. — Messias promissus erat *solis Iudaeis.* — Qui iis *ut primis* bona Messianica offeret, c.; qui iis solis, n.

Ob. 3. — « Non sum missus *nisi ad oves,* quae perierunt domus *Israel* ». — *Nonnisi iis directe et ordinarie praedicare debeo*, c.; aliis non *aliquando directe, et in genere indirecte per apostolos*, n.

Ob. 4. - Iesus ait, apostolos qua apostolos, in ultimo iudicio fore « *iudicantes duodecim tribus* Israel ». Ergo aliis non praedicabant. — *a*) Est expressio *positiva,* non *exclusiva.* Sufficiebat id dicere, ut magnitudinem officii et praemii aliquo modo aestimarent. *b*) Multi auctores: Duodecim tribubus supponuntur *insertae gentes* quae crediderunt.

Ob. 5. — Mt. 10, 5: « *In viam gentium ne abieritis* ». — *Christo vivente,* in ea missione extraordinaria, de qua ibi sermo est.

Ob. 6. — Mt. 10, 23: « *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* ». Ergo cum ultimum iudicium instat, apostoli adhuc versabuntur in convertenda Palaestina. — Diversae explicationes huius textus non ita clari habentur. Una: « civitates Israel » = Palaestina; veniet = ad destruendam Ierusalem. Alia: « civitates Israel » = ubi Iudaei in toto mundo habitant; veniet = ad ultimum iudicium, etc.

Ob. 7. — Mt. 24, 20: « *Orate autem, ut non fiat fuga vestra Sabbato* ». Ergo ibi solum erunt Christiani, ubi sabbatum observatur, i. e. in Palaestina. — N. Sermo est *de fuga Iudaeo-Christianorum ante destructionem Ierusalem.*

Propositio 4. — Iesus professus est, se esse Filium naturalem Dei. — *p. 151-95.*

Supponitur, iam probatum esse, Iesum sibi ascripsisse aeternam praexsistentiam (p. 99-117), infinitam scientiam p. (117-30), eandem potentiam atque essentiam, quam habet Pater (p. 130-43), eum approbasse confessionem Thomae, qui Iesum ut verum Deum agnoverat (p. 144-51).

Expl. term. — *Filius* sensu proprio is est, qui *eandem naturam ab alio per generationem accepit.* Cum nonnisi unicus Deus sit, ratio Filii Dei in eo est, ut Filius Dei a Deo Patre generatione acceperit naturam numerice eandem, non vero tantum specifice eandem, numerice autem diversam. — Filius sensu improprio multis modis dici potest atque etiam in Scriptura dicitur. Unde ex eo quod Iesus tantum aliqua ratione se Filium Dei proclamasset, legitima probatio pro thesi nostra non haberetur. Sed *ex certis argumentis ostendimus, sensum improprium in eo termino, prout Iesus eum ad se ipsum applicavit, exclusum, sensum vero proprium omnino admittendum esse.*

Idea generalis argumenti. — Qui ita se dicit Filium alterius, ut sibi simul eandem naturam ascribat, quam alter habet, ille sane se dicit Filium eius naturalem. Iamvero *Iesus se ita dixit Filium Dei Patris, uti sibi simul eandem naturam ascribat, quam habet Pater.* Ergo. — Prob. min.

E Io. 1, 34.

Iesus omnem doctrinam Ioannis Baptistae approbavit. Atqui *Baptista* ex una parte, uti antea (p. 99-117) vidimus, *Iesu praeexsistentiam aeternam* atque proinde divinitatem *ascripsit; ex alia parte* Io. I, 34 de eo dicit: « *hic est Filius Dei* ». Ergo.

E Io. 10, 36.

Cum *Iesus Io. 10, 30* ait: « Ego et Pater unum sumus », *sibi eandem essentiam ascribit,* quam habeat Pater, id quod antea (p. 136-43) ostendimus. Atqui *10, 36 effert, se his verbis saltem implicite dixisse:* « *Filius Dei sum* ». Ergo Iesus se confessus est Filium Dei naturalem.

E Mt. 11, 27.

Iesus, uti p. 117-30 probavimus, *Mt. 11, 27 sibi attribuit eamdem scientiam* atque proinde eamdem *essentiam* quam habet Pater. Atqui *eodem in textu se diversis vicibus Filium Patris dicit.* Ergo se Filium naturalem Dei Patris profitetur.

E Mt. 16, 16-17. Iesus laudat confessionem Petri, qui eum verum Deum confessus fuerat. — *p. 155-61.*

Patres atque theologi, exceptis tantum quibusdam recentissimis, affirmant, Petrum iis verbis Iesum non tantum ut Messiam, verum etiam ut Filium Dei confessum esse. — Rationes autem eiusmodi fere adducuntur:

Arg. — 1) Petrus *iam antea divinitatem Christi eiusque filiationem divinam praedicatam audiverat eamque tradi intellexerat.* Atqui *Mt. 16, 16 non aliam rationem Filii Dei in Christo confessus est,* quam antea audivit atque intellexit. Ergo.

Ad ma. — *Audiverat* divinitatem et divinam filiationem Christi praedicari a Ioanne Baptista v. g. Io. 1, 15, 30, 34, et 3, 34; a Domino Io. 5, 18; imo e sententia magis communi etiam verba Domini Mt. 11, 27 iam praecesserant. — *Intellexerat,* Dominum sibi divinitatem attribuere. Etenim ipsi Iudaei verba Domini Io. 5, 18 de eius divinitate et filiatione divina intellexerant atque, audientibus apostolis, hanc suam intellectionem verborum Domini clare manifestaverant.

Ad min. — Primo iam per se clarum est Petrum, *cum solemni modo* ab ipso Domino interrogatur, quis ab ipsis apostolis dicatur, non dignitatem minorem prae maiore extulisse. Etenim *finis Domini* evidenter in eo est, ut experiatur, *quantopere apostoli sui a populo incredulo in profitenda dignitate suae personae distent.* Praeterea Dominus confessionem atque proinde etiam *fidem Petri* quam maxime *laudat.* Iamvero si Petrus solam fidem in Messianicam dignitatem Christi confessus fuisset, *haec confessio in minorem dignitatem Christi, post omnia quae praecesserant non potuisset habere rationem nisi in quadam debilitate fidei Petri* atque proinde Petrus non tantam laudem sed potius aliquod vituperium meruisset.

2) Ab optimis auctoribus pro explicatione Mt. 16, 16 etiam *remittitur ad Mt. 11, 27.* Etenim Iesus Mt. 16, 17 docet, obiectum fidei Petri tam sublime esse, ut illud nonnisi a Patre revelari potuerit. Iamvero. Mt. 11, 27 docuerat, speciatim cognitionem divinitatis suae nonnisi a revelatione Patris descendere posse.

3) *Confirmatur* ex eo, quod Iesus v. 18 se uti Deum exhibet, promittendo, se propria auctoritate ecclesiam suam aedificaturum esse. Chrysost.

Ob. 1. — Mt. 16, 16-7 nihil aliud continetur atque Mc. 8, 29 et Lc. 9, 20. Atqui *Mc. et Lc. faciunt Petrum dicere: « Tu es Christus ».* Ergo verba Petri etiam apud Mt. de sola dignitate Messianica Christi explicanda sunt,

Quidam respondent: Peto probationem maioris. Potest esse, ut Mc. et Lc. tantum partem responsi Petri referant. Quod responsum forte ita fulcire licet: Mc. et Lc. eam scenam proxime ad eum finem tradere videntur ut doceant, Iesum apostolis scandalum crucis tantum inde ab eo tempore revelare voluisse, quo per confessionem solemnem Petri in dignitatem Christi in fide in eum firmati erant. Iamvero haec paedagogia Christi iam aliquo modo capitur, etsi Mc. et Lc. tantum eam partem confessionis Petri narrant, quae est de dignitate Messianica. Etenim Iudaei iam solam dignitatem Messiae cum eius perpessionibus nonnisi difficile componebant.

Melior responsio haec esse videtur: *Christifideles eo tempore quo Mc. et Lc. scribebant, nomina « Christus » et « Filius Dei » promiscue usurpabant.* Ita saepissime S. Paulus; ita Lc. Act. 9, 20 col. cum 9, 22; ita Io. 1 Io. 2, 22; ita iam ipse Dominus Io. 17, 3. Ergo Mc. pro talibus lectoribus optime verba Petri « Tu es Christus Filius Dei » compendio quodam ita referre poterat: « Tu es Christus ». Imo forte

is iam erat modus loquendi tempore apostolorum, dum adhuc cum Domino degerent. Cf. Io. 17, 3.

Ob. 2. — Iesus Mt. 16, 20 post verba ad Petrum directa « praecepit discipulis suis *ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus* (in gr. omittitur *Iesus*) ». Atqui *hoc est idem atque praecipere, ne cui dicerent suam dignitatem Messianicam.* Ergo ipse Christus verba Petri ita explicavit, ut iis nihil aliud contineretur, quam ratio dignitatis Messianicae. — *a*) N. min. Poterat Iesus *terminum* « *Christus* » ita exhibere, uti in solutione secunda ad ultimam difficultatem exposuimus. *b*) Transeat min. N. consequentiam. Poterat Christus se ad id limitare, ut formaliter vetaret, quominus suam dignitatem Messianicam praedicarent, supponens scilicet, eos eo ipso intelligere, se a fortiori non debere dignitatem etiam altiorem Christi praedicare.

Ex eo quod Christus confitetur, se esse non tantum filium David secundum naturam humanam, verum etiam filium Dei secundum naturam divinam. Mt. 22, 41-6 et locis paral. — *p. 161-6.*

Cum Iesus de Messia docet; « ...Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? », sensus e contextu is est: « *Si Messias est filius naturalis solius David, non vero simul filius naturalis Dei Patris, certe non posset vi essentiae suae physicae esse Dominus David. Iamvero vi essentiae suae physicae est Dominus David.* Ergo Messias non est filius naturalis solius David, verum etiam Dei Patris ». — Probo hanc interpretationem verborum Domini legitimam esse.

1) Iesus interrogans: « Cuius filius est (Messias) », *interrogat, cuius filius naturalis Messias sit.* Etenim *a*) Haec est usitata significatio vocabuli. *b*) Ita pharisaei terminum intelligunt, quippe qui sine haesitatione respondeant, eum esse filium David. Omnes autem sciebant, Messiam esse filium naturalem David.

2) Iesus docet, *Messiam non esse filium naturalem solius David.* Etenim cum ait, Messiam, si sit filius David, non posse esse Dominum David, non potest aliter intelligi atque ita ut asserat, Messiam si sit filius naturalis solius David, non posse esse Dominum David. Nam *a*) Iesus aliis in locis et se Messiam professus fuerat, et suam originem a David asseruerat. Ergo non remanet alia explicatio. *b*) Pharisaei responsum quod Domino dederant, Messiam esse filium David, ita intellexerant. Etenim secundum Io. 10, 33 impossibile declaraverant, hominem posse simul

esse filium naturalem hominis, simul Deum eumque filium naturalem Dei. Unde verba Domini ita interpretanda sunt: « Si, uti vos dicitis, Messias est filius naturalis solius David, non potest esse Dominus David ».

3) Iesus affirmat, *Messiam esse filium naturalem etiam ipsius Dei Patris.* Etenim *a*) In praecedentibus disputationibus Domini cum pharisaeis quam maxime de hac re agebatur, num ipse sit verus Deus et naturalis filius Dei. Cf. Io. c. 5, c. 10. Ergo etiam hoc loco, negando se esse filium naturalem solius David, Iesus iam indirecte affirmat, se esse filium naturalem Dei. *b*) Praeterea Iesus pro dignitate divina Messiae ita e Scriptura argumentatur: « Messias a David vocatur Deus sensu proprio. Atqui si Messias est Deus sensu proprio, sane non potest esse filius naturalis solius David. Porro, cum aliunde etiam pateat Messiam ita esse Deum ut sit simul filius Dei, non potest esse nisi filius naturalis Dei Patris ». Probo hanc interpretationem verborum Domini rectam esse.

Iesus ita argumentatur: « David vocat Messiam Dominum suum. Ergo non est filius naturalis solius David ». Iamvero haec illatio recta non esset, nisi e mente Iesu ageretur de ea dominatione Messiae in David, quae ex ipsa natura physica Messiae oritur, non vero ex quodam titulo, qui naturae eius physicae additur. Etenim evidenter non repugnat, imo saepe in vita humana evenit, ut quis, qui est filius naturalis alicuius, tamen eius dominus fiat, v. g. eo quod in regem totius gentis eligitur. — Praeterea Dominus argumentatur ex ea ratione dominationis, quae Messiae in Psalmo 109 ascribitur. Iamvero, uti in tractatu de vaticiniis Messianicis tum ex Parallelismo cum Ps. 2, 7 et 44, 8 tum e sessione Messiae ad dexteram Dei Ps. 109, 1 demonstratur, cum hoc loco Messias « Dominus » dicitur, agitur de vera divinitate eius, qui « Dominus » vocatur. — Tandem aliunde v. g. ex Ps. 2, 7, ex continua praedicatione Domini patebat, eum Messiae tali ratione dignitatem divinam ascribere, ut eum simul filium Dei Patris diceret.

Ob. 1. — Iesus haec duo sola dicere vult: *a*) *non necessarium esse,* ut Messias sit filius David; *b*) eius dignitatem esse *a re subliniore.* — *a*) *N. primum* punctum. Cf. arg. *b*) Dist. secundum: Iesus *tantum indeterminate* affirmat, suam dignitatem esse e re sublimiore

quam ex origine davidica, *n.*; Iesus *determinate* affirmat eam oriri *ex eo quod sit filius naturalis Dei, c.*

Ob. 2. — Iesus hoc unum docet, esse *oppositionem inter titulum genealogicum* pro dignitate Messianica et *titulum internum* quendam *e conscientia Messianica.* — *N. suppositum,* agi de diversis titulis pro dignitate Messianica; *agitur de duabus naturis eius qui dignitatem Messianicam habet.*

Ob. 3. — Ex eo quod Messias est Dominus David, non sequitur, eum esse Deum. — Id non sequeretur ex eo, quod Messias diceretur Dominus David *ob titulum qui naturae physicae Messiae mere externus esset, c.*; non ex eo, quod dicitur Dominus David *vi suae naturae physicae, n.*

Ex eo quod Iesus coram Synedrio, interrogatus num sit « Christus, Filius Dei », affirmando respondet. — *p. 166-9.*

Quid quaeratur. — Multi *acatholici* atque *quidam recentissimi catholici* affirmant, Iesum, cum coram synedrio responderet, se esse Christum filium Dei, terminum « Messias » intellexisse pro eo, cui munera Messianica incumbant, terminum vero « filius Dei » adhibuisse uti synonymum cum termino Messiae solummodo ita intellecto. *Demonstramus, Iesum terminum « filius Dei » adhibuisse pro filio Dei naturali.* — Abstrahimus autem ab ea quaestione, utrum Synedrium eo loco per terminum « Christus » tantum designaverit eum qui habeat munera Messianica, praescindendo ab eo, num is simul sit filius Dei naturalis; an potius eo termino formaliter explicite quidem designare voluerint eum, qui habet munera Messianica, formaliter implicite vero eum, qui simul sit filius Dei naturalis, ita ut secundus terminus « filius Dei » tantum ideo additus sit priori « Christus », ut explicite efferretur, quod implicite in priore iam cogitabatur contentum.

Exegetae catholici communissime, praeterea multi protestantes, in nostra assertione conveniunt. Id quod etiam valet de singulis argumentis quae proponemus.

E fine, quem Synedristae interrogatione sua se obtinuisse confessi sunt.

Iesus in responsione sua terminum « filius Dei » *non in significatione minus sublimi adhibet, quam Synedrium.* Etenim respondet se esse eum, quem Synedrium in sua interrogatione

designaverat. Atqui *Synedrium terminum « filius Dei » intellexit pro filio Dei naturali.* Id deducimus ex fine, quem synedristae sua interrogatione prosecuti sunt.

Finis, quem Synedrium sua quaestione obtinere vult, is est, ut Christus talem assertionem de se ipso proferat, ob quam, *independenter ab omni probatione aliquod crimen in asserto invenire* et proinde ob ipsam evidentiam criminis morte luendi in ipsa assertione contenti, *eum mortis condemnare possint.* Atqui tale crimen e mente Synedrii *a*) situm non erat in confessione Iesu, se esse Messiam, *b*) inveniebatur vero in confessione, se esse filium Dei naturalem. Ergo Synedristae terminum « filius Dei » adhibent pro filio Dei naturali.

Ad ma. — Mt. 26, 55-6: « Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam... At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis ».

Ad min. — *Quoad a*) Evidens est, Synedristas ipsam confessionem Messianicae dignitatis simpliciter sumptam non potuisse habere ut crimen morte luendum, sed eos tantum eatenus eam confessionem ut criminosam considerare potuisse, quatenus probaretur, eam e mala fide procedere. Porro Iesum, qui se saepius Messiam proclamaverat, nunquam ob id ipsum reum mortis habuerant, sed eum falsitatis asserti arguere studuerant.

Quoad b) Ex una parte e mente Synedristarum erat *crimen morte luendum, si quis, qui vere homo erat, asserebat se esse Deum;* ex alia parte e mente Synedristarum *idem erat, asserere se esse filium Dei naturalem atque asserere se esse verum Deum.* Sententia prior ex eo patet, quod Io. 5, 18 et 10, 33 Iesum ideo lapidare voluerant « quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum ». Sententia secunda ex eo certa est, quod tum Io. 5, 18 tum Io. 10, 33 Iesum, postquam se *aequalem Deo Patri Filium* exhibuerat, accusant eum se facere aequalem *Deo.*

Ex eo quod iudices confessionem Christi blasphemam dicunt.

Synedristae confessionem Iesu, se esse Christum Filium Dei, blasphemam iudicarunt. Iamvero *e mente Synedrii confessio dignitatis Messianicae independenter ab argumentis pro eius falsitate afferendis blasphema non erat,* erat autem blasphema ipsa assertio filiationis, naturalis divinae. Ergo.

Ad ma. — Cf. quae immediate ante diximus. — *Ad min.*: Scribae, pharisaei, duces populi (moraliter iidem atque Synedristae), Io, 10, 33 exclamant: « *Lapidamus te de blasphemia* et (*et* epexegeticum), *quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum* ». Mt. 9, 2-9 (Mc. 2, 3-12), cum Iesus paralytico dixisset: « Fili, dimittuntur tibi peccata tua », scribae quidam cogitabant intra se: « ...blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? ».

Ex eo quod Iesus in responso suo filiationem suam divinam argumento pro ea allato declarat atque confirmat.

Iesus verbis: « Ego sum (Christus Filius Dei) » adiungit sec. Mt., Mc., Lc. haec: « .... *videbitis filium hominis (i. e. me) sedentem a dexteris virtutis Dei..* ». Qua ratione dicit, se esse eum, qui *in Ps. 109, 1, ad quem verba illa remittere* ab exegetis catholicis et plurimis protestantibus *conceditur,* dicitur sedere a dextris Dei. Atqui adhuc ante duos dies Dominus clare coram pharisaeis et toto populo docuerat, *ea verba de Messia dici, idque de Messia qui simul Deus sit.* Id quod mox demonstravimus. Ergo Iesus in suo responso declarat, se esse ita Filium Dei, ut simul sit verus Deus, idque declarat modo omnibus perspicuo.

Ex eo quod synedristae e verbis Christi, se fore sedentem a dextris Dei, deducunt, eum se dicere Filium Dei.

Synedristae auditis his verbis Christi, atque sine dubio memoria retinentes, Iesum ante duos dies e Ps. mox a se citato deduxisse Messiam esse Filium Dei naturalem et verum Deum, inferunt: « Tu *ergo* es Filius Dei? ». Ergo terminum « *Filius Dei* » *intelligunt eo modo, quo Christus eum in sua oratione coram Pharisaeis et populo intellexerat.* Iamvero Christus respondet: « Vos (recte) dicitis, quia ego sum (filius Dei naturalis) ». Ergo Iesus his verbis se confessus est Filium Dei naturalem.

Ex eo quod Iudaei accusationi coram Pilato factae, Iesum se fecisse filium Dei, aliud obiectum attribuunt atque accusationi, eum se dicere Christum regem.

Tria sunt *stadia* accusationis Christi coram Pilato.

Primum stadium est accusatio *de tribus criminibus politicis,* scilicet de seditione mota, de tributo prohibito, de principatu

politico sibi vindicato. Ut fundamentum pro illa ultima accusatione adducunt, Iesum se dixisse « *Christum regem* ». Quod fundamentum cum adducunt, utique sensum eorum verborum Christi pervertunt. Pilatus hanc triplicem accusationem politicam uti non fundatam reicit. Sequitur, eum illa duo facta allata pro falso assertis habuisse; praeterea ipse propria indagatione detexit, titulum illum « Christi regis » a Iesu usurpatum quidem esse at alio sensu.

Secundum stadium his verbis Synedristarum continetur: « *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit* ». His verbis *primo aliud crimen* edicitur atque illa tria crimina politica. Etenim quia Pilatus crimina illa politica contra Iesum allata reiecit, sane Iudaeis in mentem venire non poterat, ut vellent Iesum propter ea ipsa crimina condemnari secundum normam legis Mosaicae, propter quae, ob factorum criminosorum defectum condemnari non potuerat secundum legem Romanam. *Secundo*, sermo est *de eo crimine religioso, quod Iesus se filium naturalem Dei declaravit*. Nam primo *redit ratio antea allata*, scilicet, si Synedristae verba « Filius Dei » sensu mere messianico adhibuissent, non potuissent affirmare, hanc solam assertionem, independenter a probationibus pro eius falsitate et mala fide e qua procederet, esse contra legem Mosaicam. Praeterea Synedristae sine dubio *eam dignitatem his verbis designare volunt, ob quam, iisdem verbis designatam, Iesum noctu secundum normam legis mortis condemnaverant*. Condemnaverant eum autem ob dignitatem divinam sibi ascriptam.

Confirmatur explicatio his: Pilatus interrogat: « Unde es tu? », i. e. e coelo an e terra? Praeterea audita nova accusatione Iudaeorum « magis timuit », veritus scilicet ne, divinam quandam dignitatem spernendo, sibi ultionem divinam attraheret, quare « exinde quaerebat dimittere eum ».

Tertium stadium. Iudaei accusationem politicam de principatu a Iesu sibi ascripto iterum proponunt, additis minis, se Pilatum ad Tiberium delaturos esse, si hominem, qui se regem fecerit, dimiserit. Quibus minis Pilatus cessit.

Omittimus difficultates contra genuinitatem textuum, qui scenam coram synedrio vel Pilato referunt. Has in systemata diversa composue-

runt v. g. Renan, Wellhausen, Loisy. Quae exposita atque refutata vide, si placet, p. 175-87. Hic tantum afferimus difficultates *contra sensum textuum, e quibus argumentati sumus.* — p. 187-99.

Ob. 1. — « Indagatio historica » ostendit, in mentibus Synedristarum *ideam de divinitate Christi non substitisse.* Ergo Domino *ne quaestionem quidem ponere poterant, num sit Deus.* — Synedristae non habebant aut persuasionem aut opinionem probabilem aut omnino ullam ideam de divinitate Messiae, *si consideratur ea notitia quam de facto e Scriptura vel e traditione iudaica hauserunt, transeat;* non habebant notitiam de divinitate Messiae uti haustam *e praedicatione Domini atque e disputationibus cum eo, subdist.: non habebant fidem* in divinitatem Messiae Iesu, *c.,* non habebant simplicem *notitiam seu ideam de vera divinitate Iesu uti de re a Christo asserta, n.* Cf. p. 99-117, 130-143.

Ob. 2. — Synedristis saltem *deerat idea de filio naturali Dei.* Ergo *quaestionem, num sit filius naturalis Dei,* Iudaei illi culti, quos Dominus in Io. c. 10 allocutus erat, ne *ponere quidem poterant.* Prob. antecedens: *Primo,* e verbis Domini Io. 10, 30, « Ego et Pater unum sumus » tantum *concludunt, Iesum se dixisse Deum,* non vero eum se dixisse Filium Dei. *Secundo,* omnes Iudaei *rigidissimo monotheismo imbuti* erant. — N. assertum. Cf. thesim nostram. — Ad rationes additas:

Ad priorem: Illi Iudaei eo in loco *explicite* tantum conclusionem de vera *divinitate* a Iesu sibi ascripta efferunt, idque ideo, quia Iesus eo in loco principaliter ipsam divinitatem suam inculcaverat, c.; Iudaei eo ipso in loco non vere intellexerunt, Iesum se naturalem filium Dei proclamare, n. Etenim audierant Iesum dicentem: « Ego et Pater unum sumus »; audierant eum hanc sententiam explicantem per ea verba: « Filius Dei sum » (10, 36). Ergone illud quidem intellexerunt, eum se « aequalem Deo » facere, non vero illud, eum se aequalem « Deo Patri » suo dicere? Caeterum, etsi Iudaei id ex eo loco non didicissent, didicerunt ex aliis.

Ad secundam: Si « rigidissimus Monotheismus » intelligitur *firmissima persuasio de perfecta unicitate naturae divinae, sane is non impedit aut ideam aut fidem de pluralitate personarum in Deo. Si* vero, quamvis non apte, intelligitur *firmissima persuasio de unicitate Dei, simul cum negatione pluralitatis personarum in Deo, quamdiu talis persuasio perseverat, non potest haberi fides in pluralitatem personarum vel persuasio de ea, c.; non potest haberi idea de tali pluralitate ab aliquo asserta, n.* Haec autem si haberi potest, ratio adversariorum iam non valet. — Caeterum transmitto assertum, Iudaeos cultos independenter a praedicatione Domini non habuisse ideam de pluralitate personarum in Deo

Ob. 3. — Si Synedristae putassent, Iesum se dicere Deum, *eum mente captum habuissent.* Nam vidissent monstruositatem eiusmodi assertionis, hominem, imo hominem ligatum atque potestati hostili

traditum, esse ipsum Deum. — *N. assertum. Non poterant Iesum mente captum habere, quia in Iesu simul cum eius assertione de propria divinitate, continuo signa evidentissima extraordinariae sapientiae viderant.* — Ad rationem additam: Iudaei in assertione Christi de facto viderunt id quod in obiectione inepte dicitur « monstruositas », recte vero vocandum est *mysterium.* Nam ideo omnino Iesum blasphemiae maximaeque superbiae reum proclamabant, quia ex una parte videbant, quam « monstruosa » sit haec idea, ex alia parte plenissimam persuasionem de maximo vigore mentis Christi habebant.

Ob. 4. — Hi duo tituli « Christus » et « filius Dei » iuxta se ponuntur. Ergo *identici* sunt. — C. antec. Dist. conseq.: *Si iuxtapositio nonnisi ex identitate rationis in utroque titulo expressa explicari potest, c.; si* etiam aliunde explicari potest, scilicet ex eo quod *diversa ratio in utroque titulo expressa in eadem persona invenitur, n.* Iamvero demonstravimus, hoc ultimum e mente Synedristarum locum habere. Quid, si quis e titulo : « Vestra regia et imperialis maiestas » inferre vellet, eandem esse rationem regis, eandem imperatoris !

Ob. 5. — Mt. et Mc. tantum unam quaestionem in ore Synedristarum ponunt : « Si tu es Christus, filius Dei ». Lc. vero duas habet. Prior est : « Si tu es Christus, dic nobis ». Secunda ponitur *post responsum Domini indirectum, in quo ad locum Scripturae de functione Messianica provocat,* atque sonat : « Tu *ergo* es Filius Dei ? » Ergo *secundum Lc. pro Synedristis inter se synonimi sunt termini « filius Dei » et « Christus »,* in quantum adhibetur pro eo, qui functionem aliquam Messianicam implet. Iamvero *Mt. et Mc.*, quippe qui una quaestione i. e. magis compendiose, mentem Synedristarum exhibeant, *explicandi sunt secundum Lc.*, quippe qui duabus quaestionibus, i. e. magis enucleate, mentem Synedristarum referat. Ergo apud omnes Synopticos terminus « filius Dei » synonimus est cum termino « Messias », in quantum eum dicit, cui munera Messianica incumbunt. — Falsum est, Synedristas ea verba « Tu ergo es Filius Dei » pronuntiare, postquam Dominus tantum ad functionem Messianicam provocaverat. *Ea pronuntiant, postquam Dominus tum ad functionem proxime Messianicam Daniel 7, 2 provocaverat, tum ad Ps. 109, 1.* Iamvero vidimus, Dominum *eo quod ad hunc psalmum provocavit se Deum verum et filium Dei dixisse,* idque tali ratione ut etiam Synedristae id intelligerent. Ergo cum ii post talia verba Domini de sua filiatione vere divina interrogant : « Tu ergo es filius Dei », hunc terminum ipsi quoque de vera filiatione intelligunt.

Contra argumentum, quod hausimus e condemnatione Iesu ob blasphemiam.

Ob. 1. — Multis aliis modis blasphemia pronuntiari potest quam eo, quod quis se confitetur Deum. Ergo falso e condemnatione Iesu propter blasphemiam concluditur, eum se coram synedrio Deum con-

fessum esse. — *N. suppositum,* nos ita argumentatos esse: Quicumque ob blasphemiam condemnatur, is sibi divinitatem ascripsisse convincitur. Argumentum hoc est: Christus *mortis condemnatus est ob blasphemiam, quae e mente Synedristarum inveniebatur in eius confessione, se esse Christum, filium Dei.* Atqui e mente Iudaeorum ea confessio *blasphema esse non poterat ob confessionem, se esse Messiam;* poterat vero esse blasphema, imo certissime *e mente eorum blasphema erat, ob confessionem, se esse Filium Dei naturalem.* Ergo recte ex eo quod Christus ob confessionem, se esse Christum filium Dei, uti blasphemus condemnatus est, concluditur, eum condemnatum esse quia sibi divinitatem ascripserit.

Ob. 2. — Iesus e mente Synedristarum, uti omnium Iudaeorum, blasphemus erat iam ob ipsam confessionem se esse Messiam. Ergo remanet difficultas mox posita. Prob. antec.: *Iudaei in Messia expectabant regem politicum gloriosum.* Atqui evidens erat, Iesum pauperem et despectum non esse regem politicum gloriosum. — N. assertum. Ad rationem additam: Iudaeis sat communiter persuasum erat, Messiam *aliquando fore* gloriosum regem politicum, transeat; *eum subito atque suam dignitatem manifestaturus sit, etiam extiturum esse regem politicum vel saltem aemulum regni politici, n.*

Expl. Baptista, non se dixit regem politicum. Nihilominus Iudaei cogitabant de Baptista, « ne forte ipse esset Christus ». Iesus nunquam principatum politicum sibi ascripsit, imo negavit se eum admittere velle. Nihilominus Iesum habebant Messiam iam post multiplicationem panum. Pharisaei nunquam hoc criterium negativum, quod tamen evidentissimum fuisset, contra dignitatem Messianicam Christi opponunt, scilicet quod regnum politicum non ambiret. Ingredienti in Ierusalem turba multa ut Messiae acclamabat. Ex ipsis proceribus multi in eum crediderunt.

Ob. 3. — Iudaei Mt. 27, 40 verbis « Si Filius Dei es, descende de cruce », ideo rationem filii Dei in Iesu negant, quia miraculoso modo e cruce descendere non poterat. Iamvero ad id ut Iesus hoc miraculum patraret, non requirebatur ut esset Filius Dei naturalis. Ergo terminus « filius Dei » ab iis sensu latiore intelligebatur. — *a*) Ad summum sequeretur, hunc terminum *eo in loco* ab illudentibus sensu latiore adhibitum fuisse. E quo sane non sequitur, eum aliis in locis non sensu proprio adhibitum esse. *b*) At primo saltem *ex parte contextus nihil obstat, quominus sensus strictus termini* etiam hic *admittatur.* Contextus enim esset hic: Iudaei ludibrii causa exclamant, eum statum summae miseriae, qui in Iesu inveniebatur, profecto non convenire cum illo amore, quo Deus Pater Filium suum proprium complecti deberet. Qui contextus sane aptissimus est. Secundo, *moraliter certum esse videtur, etiam hoc loco hunc terminum pro filio Dei naturali adhibitum esse.* Nam qui hoc ludibrium proferunt sunt tum *Synedristae* tum alii praetereuntes. Iamvero Synedristae eadem nocte Iesum ob

filiationem divinam proprie talem sibi vindicatam mortis damnaverant. *Praetereuntes* autem caeteri primo noverunt, de quibus criminibus Iesus coram synedrio accusatus erat, uti patet ex alio ludibrio quo Iesum impetunt, scilicet eum voluisse templum Dei destruere; praeterea *accusationes quae coram Pilato contra Christum conflatae fuerant* perspectas habebant, quippe quae a toto populo auditae fuerint. Iamvero in utroque iudicio Iesus ob veram filiationem divinam sibi vindicatam accusatus fuerat.

Pars II. — De motivis credibilitatis, quibus testimonium Iesu Christi de sua dignitate probatur.

Sectio I. — De argumento ex auctoritate humana

Propositio 5. — Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur auctoritate eius humana. — *Cf. fasc. 2, p. 1-14.*

[***Qual.*** — Certa vel saltem probabilissima ob argumenta, multos auctores].

St. qu. *Testimonium de se ipso,* i. e. *affirmatio de ea dignitate legati divini* in omnibus doctrinis annuntiandis, *Messiae (Filii Dei),* quam Iesum sibi ascripsisse probatum est. Ita indirecte omnes et singulae eius doctrinae ut credibiles demonstrantur. — Idem est obiectum demonstrationis pro omnibus sequentibus thesibus, quibus motiva credibilitatis exhibentur.

Auctoritas humana: Veracitas et scientia Christi in affirmanda sua dignitate.

Arg. — I) Ex elementis auctoritatis humanae demonstratis. — 1) Christus, si in hoc testimonio reddendo decepisset, fuisset sceleratissimus, idque et obiective et subiective; 2) si deceptus fuisset, fuisset stultissimus vel insanus. Atqui neque scelestissimus erat, neque stultissimus aut insanus. Ergo testimonium quod de se reddidit, verum est.

Prima pars maioris. — Si Iesus in hoc testimonio reddendo decepisset, peccasset obiective. — p. 3-5.

a) *Contra Deum et semetipsum maxima superbia,* ascribendo sibi *munera* excellentissima, propheticum, regium, san-

ctificatoris; *dignitatem personalem* plane singularem: se esse maiorem omnibus prophetis, habuisse praeexsistentiam ante mundum, esse in caelo, videre atque operari omnia quae videt atque operatur Deus, esse ipsum Deum.

β) *Contra genus humanum maxima crudelitate.* — Destruxissent *dignitatem humanam,* iubendo fidem divinam in omnem doctrinam alicuius impostoris. — *Abstulisset* sine ratione *bona terrena,* quae propter fidem spernenda sint. — *Quasi insidiatus esset hominum vitae aeternae,* nova praecepta gravissima imponens, dispensationes vero veteres de polygamia, divortio auferens, quin adiutorium divinum addere possit. Quantum in eo erat, fingendo quantum poterat motiva credibilitatis, *impossibile reddidisset Deo quidem revelare, hominibus vero credere.*

Hanc totam malitiam Iesu contraxisset subiective. — Ne *rudem* quidem fugere poterat. Quanto minus *Christum* in doctrina ethica insignem. Praeterea *Deut.* 18, 20 Deus falso prophetae mortem statuit. Iesus vero *pertinax usque ad mortem* atque *periurus* in his doctrinis asserendis fuisset! — *p. 5.*

Secunda pars maioris. — Si Christus in hoc testimonio reddendo deceptus fuisset, stultissimus aut insanus fuisset. — p. 5-6.

Etenim asseruisset res quae evidenter nullo modo probari potuissent, v. g. de morte sua futura, sua visione omnium operum divinorum, praexistentia. — Haec facillime et clarissime ut experientiae internae opposita cognosci debuissent, v. g. facta quae sane sub experientiam cadebant: uti v. g. se exstitisse ante Abraham, habuisse gloriam apud Patrem. — Haec asseruisset e rationibus evidenter nullis: non e rationibus aprioristicis, cum talia facta ex iis deduci non possint; non e testimoniis externis, cum nonnisi ab insano ob talia testimonia credi possit, quod experientiae internae absolute repugnat; non per viam consequentiae e sentimentis etc. — Haec omnia tamen *firmissima certitudine* asseruit.

Minor: Christus neque pessimus neque stultissimus erat — p. 6-8.

Per modum unius. — *a*) Deus usus est Christo *ut causa instrumentali praecipua,* qua mundum *sapientem* redderet atque

sanctum. b) Plurimi adversarii revelationis christianae neque malitiam neque stultitiam in Christo admittere volunt.

Per partes. — 1) *Christus non erat malitiae portentum.* — α) *Saltem speciem sanctitatis perfectae prae se tulit.* Iamvero *simulatio in eo esse non poterat.* Nam nimis difficilis erat, quam ut secundum leges morales actibus contrariis non debuisset interrumpi. Non aderant motiva fingendi. Non divitiae,... gloria humana, cum ipsam dignitatem Messianicam saepe absconderit, formam sanctitatis, uti concives eam intelligebant, spreverit. — β) Habentur *positiva testimonia probitatis et sanctitatis,* uti Petri de patientia, Ioannis de iustitia Christi.

2) *Christus non erat stultissimus aut insanus.* — *a*) Maxima *sapientia* in singulis *doctrinis* eius et in connexione earum manifestatur. *b*) *Insignis probitas vitae* cum tali stultitia vel insania non componitur. *c*) *Nulla sunt signa eiusmodi insaniae.* Alias amici eius eum non maxima cum *fide et amore* prosecuti essent; inimici vero eius *non tale bellum* adversus eum movissent. *d*) Semper in loquendo et *agendo* animo prudenti et pacato utitur, v. g. erga Romanos; distinguendo consilia a praeceptis, etc.

2) Ex auctoritate sapientum. — Euseb., August., Petrus., Vener., Suarez, Segneri, Pesch etc.

Ob. 1. — Io. 5, 31: « *Testimonium meum non est verum* ». — I. e. *e vestra opinione.* Nam Io. 8, 14: « verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado ».

Ob. 2. — *Socii quidam* continui Christi uti Iudas hoc argumento *moti* non sunt. — Aliis argumentis v. g. miraculis?

Ob. 3. — *Alii quoque,* uti Ethnici, Simon Magus, Mahomed, Mary Baker etc. *dignitatem praeternaturalem,* imo aliquando divinam *sibi ascripserunt.* Atqui iis non credimus. — Ad ma.: cum auctoritate, n.

Ob. 4. — *Etsi Christus decepisset, tamen pessimus non fuisset.* Nam *accomodatio* ad ideas falsas ob finem bonum licita est. Iamvero finis bonus pro Christo erat, docere Deum ut patrem; medium vero necessarium ad hunc finem erat, *permittere ut haberetur Messias.* — N. ass. et rationem additam. *a*) Qui ad veritatem docendam missus est, errorem in ea materia ne *permittere quidem potest. b*) Christus non permisit, sed *postulavit ut haberetur Messias. c*) Suffecisset inculcare doctrinam a prophetis propositam, etc.

Ob. 5. — *Multi homines ideas stultissimas,* v. g. pantheisticas habent, *quin* propter eas *insani* dicantur. — Si *experientias internas* rationi evidenter falsas edicunt, n.; si tantum speculationes falsas, c.

Illud turbationem rationis arguit, hoc malum tantum usum rationis non turbatae. In Christo res e contra se habebat.

Ob. 6. — Iesus a Iudaeis *foederis cum daemone* accusatus, ab ethnicis *praestigiator* dictus est. — Iudaei ne *ipsi quidem* convicia, obiective sane non fundata, *credidisse videntur*. Silent Christo interrogante: « Quis ex vobis arguet me de peccato?... » Ethnici ideo tantum eum praestigiatorem habuerunt, quia *miracula* patravit.

Ob. 7. — *Iesus insanus erat.* Nam *maledixit ficui*; aequales dixerunt: *in furorem versus est* »; recentes Rationalistae quidam *enthusiasmum morbosum* Christi admittunt. *Cuius* etiam *causas* dant, v. g. educationem in solitudine Nazarethana, animi inclinationem in res divinas etc. — *a*) Damnum arbori intulit in *signum poenae papuli Israel*, cuius generis actiones symbolicae penes prophetas moris erant. *b*) Ab iis qui Christi maximam virtutem ignorabant, habitus est is « qui *nimio fervore abreptus* limites prudentiae excessit » Caeterum aliquoties *etiam Sancti* ob actiones insolitae virtutis immerito insani habiti sunt *c*) Morbosus enthusiasmus non est nisi *alia vox pro insania* quae Christo ascribenda esset. Res, quas enumerant, ad insaniam perducere non debebant. — *p. 8-14.*

Sectio II. — De argumento e miraculis.

Caput I. — De argumento e miraculis, quae Christus ante mortem suam patravit.

[***Qual.*** — De fide divina catholica definita. D. 1790].

St. qu. — Agimus de iis miraculis, quae ipse Christus fecit, i. e. in quibus patrandis influxus *causalis humanitatis Christi externe manifestatur*, non vero de aliis, v. g. transfiguratione, quae miracula potius Deus circa Christum patravit. — Non determinamus influxum hunc causalem, num sit physicus, moralis. — De resurrectione separatim agetur. — *p. 15.*

Conspectus miraculorum. — Quae erant? *Undecim diversae scenae* vel complexus actionum narrantur, in quibus Iesus *plurimos simul* a diversis morbis liberavit. — Quadraginta miracula *in specie* narrantur: Sunt in natura rerum, in hominibus. — **Modus ea patrandi:** in praesentes, absentes; morali subitaneitate; sine praeparatione; generatim adhibita aliqua externa caeremonia. Etiam aliis concessit facultatem miracula patrandi. — *p. 15-8*

Propositio 6. — Constat de veritate historica miraculorum Christi. — *p. 19-56.*

Ex auctoritate generali evangelistarum. — *p. 19-24.*

Arg. — Evangelia in substantialibus fide digna sunt. Iamvero *miracula,* utpote quae narrantur ut motiva principalia credibilitatis atque magnam partem evangeliorum constituunt, certe ad *substantialia evangeliorum pertinent.* Ergo.

Confirmatur res *auctoritate evangeliis extrinseca amicorum Christi : Quadrati, Papiae,* qui referunt, sanatos a Christo vel resuscitatos usque ad Hadrianum vixisse ; *Polycarpi,* qui refert, Ioannem de doctrina et miraculis Christi narrasse. — *Ex inimicis rei christianae Flavius Iosephus :* « mirabilium operum effector » ; Iudaei, ethnici generatim quaedam miracula Christi admittebant. *Rationalistae sanationum* realitatem iamiam admittunt. — *p. 19-21.*

Ob. 1. — E systematibus adversariorum, e quibusdam dictis eorum, v. g. Renan, ex affirmatione catholicorum, qui rei studuerunt, constat, *difficultatem, principalem negantium* miracula *Christi esse illam : Miracula fieri nequeunt.* — Patet, quam falsa sit haec ratio, quam bona causa nostra, contra quam *praecipue* talibus armis pugnetur.

Ob. 2 — *Ethnici aequales nihil de miraculis Christi referunt.* — *a*) Usque ad a. 109 *neque exsistentiam Christi* referunt. *b*) Generatim cum rebus Iudaeorum, praecipue religiosis, vix occupantur.

Ob. 3. — *Prudentia specialis* in testibus requiritur. — Tantum ea, quae ad *tam obvia* observanda et narranda sufficit.

Ob. 4. — Plurimi per decursum saeculorum *indebite miraculosa facta admittebant !* — Demonstratur, *in hoc* casu requisitas conditiones adfuisse.

Ob. 5. — Requiruntur *formae iuridicae.* — *a*) Habes inquisitionem similem in caece nato e parte membrorum Synedrii. *b*) *Evidentia naturalis* v. g. in cibatione quinque millium hominum maiorem certitudinem dat, quam forma iuridica.

Ob. 6. — *Auctoritas publica* facta recognoscere debet ! — *a*) Habes confessionem coactam *Synedrii.* *b*) N. Auctoritas qua auctoritas facit fidem, non vero affirmatio publica. Iamvero Synedrium mendax qualem *auctoritatem* habet ?

Ob. 7. — Requiritur, *testes nullum commodum* e testimoniis habere. — *a*) N. Tantum requiritur veracitas et scientia. *b*) At quale erat commodum procerum Iudaeorum revera miracula Christi confitentium

Ob. 8. — *Magia exclusa* sit necesse est. — Exclusa est tum *artificialis* tum *diabolica.* Cf. sequentia.

Ob. 9. — Requiritur, facta esse *praedicta.* — *a*) N. *b*) Habes tamen Is. 35, 5 coll. Mt. 11, 5.

Ob. 10. — Facta *publica* sint necesse est. — *a*) N. Dummodo *certum* sit, ea *locum habuisse. b*) Plurima miracula Christi *maxime publica erant.*

Ob. 11. — Requiritur *commissio scientifica.* — N. Habetur tamen *plus:* absoluta *veracitas* Christi et asseclarum eius ; *evidentia naturalis* in cognoscendis plurimis factis diversissimis, quarum conditiones ipse Christus non elegit.

Evolvuntur singula elementa, quae ad valorem historicum narrationum de miraculis Christi statuendum requiruntur. — *p. 25-56.*

Narrationes de miraculis interpolatae non sunt, sed ab evangelistis profectae. — p. 25-7.

Arg. externa : *Diatessaron ; citationes* Patrum de plurimis istis miraculis ante tempus codicum, imo ipso saeculo secundo ; nulla difficultas e parte codicum. — Haeretici antenicaeni et miracula Christi et minutissimas eorum circumstantias concedunt, v. g. numerum duodecimum in narratione de haemorrhoissa. — *Archaeologia* habet *tantum miracula evangelica.* — Evangelia *apocrypha* fere sola miracula ante vitam publicam Christi fingere audent.

Arg. interna. — **1)** Miracula formant *magnam partem evangeliorum* atque *connexionem inseparabilem* cum caeteris partibus evangelii habent. — Coniunguntur : *a*) Cum *doctrina Christi :* sive ut eius materia v. g. sanationes sabbato factae, fides ad miracula necessaria ; sive ut eius occasio, v. g. multiplicatio panum erat occasio pro sermone eucharistico, in ipso sermone montano Iesus doctrinam de usu miraculorum proponit. — *b*) Cum *cursu vitae* Christi : Cum iis *quae egit,* v. g. ob Lazarum suscitandum in Peraea manet ; cum iis, *quae circa eum fiunt,* v. g. ob multiplicationem panum eum regem creare volunt ; cum Iesu *moribus atque virtutibus,* quae, uti v. g. prudentia, misericordia praecipue miraculis manifestantur.

2) Auctores fuisse coaevos et *testes fuisse* sive immediatos sive qui a bene instructis facta receperunt, manifestatur praecipue in tot circumstantiis miraculorum v. g. in usibus Iudaeorum circa observantiam sabbati.

Narrationes de miraculis e mente auctorum earum pertinent ad genus literarium stricte historicum. — p. 27-38.

Genus literarium stricte historicum est in eo, ut auctor *intendat tantum facta narrare, non* vero intendat tantum vel ex parte *ideas religiosas* exhibere sub *forma factorum,* quae facta ideo narrat, ut tales ideas repraesentent, quaeque non vult ut historica facta considerari, sed tantum vel ex parte ut *involucra ficta idearum respici.*

Quoad evangelia synoptica. — Concedi solet, ea habere indolem historicam. Iamvero in his evangeliis miracula *eodem modo narrantur, atque alia facta. In traditione* historica vero iam a Iustino et Irenaeo *eodem modo argumenta* e miraculis uti historicis sumuntur, atque e factis reliquis. *Tatianus* ea aliis factis interserit.

Quoad singulos Synopticos. — Miraculis narratis Mt. praecipue demonstrare vult, prophetias in Christo completas esse, Iudaeos multas gratias divinas sprevisse, Iesum legem Mosaicam nequaquam despexisse; Mc., Iesum esse dominum omnium, praecipue etiam daemonum; Lc., Iesum fuisse misericordiosissimum redemptorem. Atqui insani est, eos fines prosequi velle narrando non facta sed fictiones.

Quoad Io. — *a*) Evidens est, evangelium Io. *universim sumptum* habere genus literarium historicum. Nam totus finis eius in eo est, ut *testimonia* pro dignitate Messianica et divina Christi afferat. Quae testimonia sunt Baptistae, ipsius Christi, Patris etc. Iamvero *testimonium Patris* secundum Io. praecipue *in miraculis* consistit.

b) *Effert veritatem historicam speciatim miraculorum* 1, 14: « Vidimus gloriam eius ». Iamvero e mente Io. Iesus praecipue *miraculis manifestavit* gloriam suam (2, 11), Dei (11, 40). — Io. 20, 30-1 data opera edicit, se miracula narrasse, ut lectores ob ea ut *motiva credibilitatis* in Christum credant.

c) Iam *Irenaeus e minimis circumstantiis* miraculorum *consequentias dogmaticas* trahit, v. g. ex eo quod Iesus caece natum *luto* sanat.

Ob. 1. — **Theoria linguistico-psychologica.** — Haec fere est: Evangelistae *volebant sola facta naturalia narrare.* Ea *nobis* utique videntur

miracula esse propter duo: Primo ob *errorem in rebus linguisticis*. V. g. vertimus: « *super mare* » loco « *ad mare* » ambulavit. Secundo ob male intellectum *modum Hebraeorum narrandi pietate et vita plenum*, qui eos impellit, ut, causis naturalibus non consideratis, tantum de causa prima loquantur. Quam theoriam praecipue **Gottlob Paulus** excoluit.

Refutatio. — *a*) Ratio *linguistica* primo ab ipsis adversariis tantum ad *quaedam miracula* applicatur; deinde stulte applicatur, ac si significatio vocum, si e solo vocabulario dubia est, non saepe e circumstantiis loquentis et audientis determinanda esset. V. g. quia Iesus *ad* mare ambulat, ideo eum pronuntiant « Filium Dei »? — *b*) *Modus ille pius loquendi* explicatus est Ob. 6, De Revel. in obstr. p. 79. Rep. p. 55. Praeterea *distinguunt sane inter facta naturalia et praeternaturalia* tum in genere *Hebraei* tum speciatim *evangelistae*. Nam et miracula evidenter talia referunt, et verbis rationem signi efferentibus ea nominant, et ea sola ut motiva credibilitatis narrant. In aliis narrationibus continuo causas naturales ostendunt, in his eas continuo omittunt. Cf. ib. Ob. 7.

Ob. 2. — **Theoria generis literarii symbolici praecipue in Ioanne.** — Woolston, **Loisy**. Rationes theoriae: *a*) « Pour lui (S. Jean) *le réel et l'imaginaire se confondent dans l'unité du symbole* ». *b*) *Impossibile est, traditionem tantopere perverti*, ut tam grandia miracula narret.

Refutatio. — *a*) Quoad rationem primam: Aliud est *narrare, aliquem aliquod factum perpetrasse eique significationem veritatis religiosae indidisse, aliud veritatem quamdam religiosam fabula inventa illustrare*. Illud quidem et synoptici et Io. de Christo narrant, v. g. Synoptici de piscatione miraculosa: « eris homines capiens ». Hoc vero numquam faciunt. Quod vero Io. *plura talia facta narrat*, quam alii evangelistae, hoc ideo est, quia in genere materiam sublimiorem e praedicatione Christi refert, proinde plures sublimes veritates miraculis illustrandas tractat. v. g. « ego sum resurrectio », quod dictum Dominus resurrectione Lazari illustravit. — *b*) Ratio secunda *a priori impossibilitatem grandium miraculorum supponit*. — Reiecta est haec theoria Decreto « *Lamentabili* » prop. 16, 17; Com. Bibl. 29 maii 1907.

Evangelistae in miraculis Christi referendis mentiti non sunt.

Arg.* — 1) *Ex indole ipsorum evangelistarum. — *a*) Obstat **veracitas** *eorum, cognita e traditione*, quae iis eximiam sanctitatem ascribit; obstat, quod Deus *iis ut causa* instrumentali praecipua in propagatione religionis christianae usus est.

b) Nullum habebant **motivum mentiendi**. — Speciatim *non gloriam* Christi miraculis inordinate quaesitam. Nam in miraculis describendis exhibent eam sanctitatem quae ethnicis, eam a

lege libertatem, quae Iudaeis ingrata erat. Porro evangelistae miracula non circulatorie, sed generatim valde concise, ob finem omnino specialem, narrant. — *Non gloriam suam* inordinate quaesitam, cum nulla *sua* miracula specialia referant, sed potius imperfectiones suas occasione miraculorum Christi manifestent.

c) Miraculis istis mendaciter narratis finem suum, ut religionem christianam propagarent, **impossibilem reddidissent.** Nam iis lectoribus scripserunt, qui haec mendacia sive necessario sive morali cum facilitate detexissent. Etenim Mt. scripsit Palaestinensibus, e quibus plurimi Domini facta viderant. Cogita millia eorum, qui multiplicationibus panum astitisse dicuntur. Mc. Romanis, Lc. caeteris ethnicis, inter quos et Palaestinam, mediantibus Iudaeo-Christianis frequens erat commercium. Io. in Asia minore, per quam, teste Papia, tot discipuli Domini et apostoli transierunt. Iamvero talis stultitia aberat a mentibus eorum, qui talia opera scripserunt, tales conversiones in mundo effecerunt.

d) Evangelista **imaginem istam sublimem Christi,** quae praecipue miraculis eius continetur, neque ex condicto neque singuli ut singuli **fingere poterant.**

e) Si mentiti fuissent, evangelistae **evitassent contradictiones apparentes.** Talis v. g. est, finem miraculorum esse revelare dignitatem Christi, eum tamen vetuisse quominus quaedam narrarentur.

2) Ex indole fidelium aevi Apostolici. Qui erant communitates christianae, superiores ecclesiae. Hi nunquam evangelia cum his motivis principalibus credibilitatis suscepissent, nisi iis persuasum fuisset, ea esse fide digna.

Ob. — **Theoria fraudum.** — **Deistae (Voltaire)** ad mendacia evangelistarum et in genere apostolorum recurrunt. Quam theoriam evolvit **F. Chr. Baur.** Fundamenta theoriae: *Miracula fieri non posse,* ideo praeter veritatem debere aliam causam narrationis inveniri. Eam esse v. g. tendentiam, ut, cum Christus contra apostolorum spem regnum terrenum non erexisset, facta invenirentur, quibus *spiritualis redemptor* proclametur; praeterea *amorem apostolorum.* Adiungunt quidam, apostolos *rationis peccati* in talibus mendaciis *vix sibi conscios* fuisse.

Refutatio. — Singula fundamenta huius theoriae iam reiecta sunt. Ratio peccati ob evidentiam eos fugere non poterat. Cf. porro Rep. p. 117-8; Deuter, 18, 20; 1 Cor. 15, 14-5.

Evangelistae in factis quae referunt ne inculpabiliter quidem errarunt.

1) Exclusa est ea depravatio narrationum quae saepe ex aliquibus defectibus connaturalibus *memoriae,* inconscia operatione *phantasiae,* errore *intellectus* oritur. Nam *a*) Facta illa erant *extraordinaria* essentia sua, momento suo, sed *facillima intellectu.* Ita non poterant non recte narrari a Mt. Io. Petro secundum quem Mc. scripsit, qui erant testes immediati, ab aliis testibus immediatis (vel mediatis), a quibus Lc. res hausit. — *b*) Apostoli et evangelistae *continuo haec facta praedicabant.* Id quod de Petro Papias, de Ioanne Polycarpus narravit.

2) Exclusa est hallucinatio vel illusio in testibus. — Nam ut ex evangelio scitur, testis erat *universus populus.* Iamvero in eo illusio vel hallucinatio exclusa est. Nam si eiusmodi generalis illusio e naturalibus causis oriri posset, periret omnis historica certitudo atque aptitudo ad verum cognoscendum. Ex eadem ratione providentia divina permittere nequit, ut causa praeternaturalis hunc effectum producat. Porro spiritus bonus non decipit; malus non ad eum finem, ut stabiliatur veritas christiana.

3) Exclusa est simulatio in fingenda ea mutatione, quae in miraculis locum habuisse dicitur. — Haec simulatio abest a **thaumaturgo** Iesu: Ob eius sapientiam, cum simulatio non potuisset manere abscondita. Erant enim tot sanati per annos, etiam e plebe, qui nullum praemium receperant ut mentirentur. Vigilabant quam maxime pharisaei. — Ob probitatem, cum talis simulatio sit maximum crimen. — Ob testimonium aequalium. Hi enim quamvis possibilitatem fraudum non ignorarent, sed historiam de Bel, similia (cf. fraudes Alexandri ab Abonoteicho) sine dubio scirent, tamen miracula Christi non fraudibus huiusmodi sed diabolo ascribebant. Iudas, etiam ipse facultate miracula patrandi a Christo praeditus, testatur fraudes in iis nullam partem habuisse.

Ii in quibus miracula fiebant, *non habebant motiva ad simulationem.* Non pecunias *vel voluptates,* quippe quas per simulationem non acquirerent. Non *vanam gloriam privatam,* cum miracula tunc non tam rara essent; porro plebem magis de-

terrere solent expectanda damna, de quibus mox. *Non vana gloria gentis,* ut Messiam suum glorificarent. Nam fides in eum omnino ex miraculis orta est. Imo damna a simulatione deterrebant: difficultas simulationis, v. g. leprae per tot annos fingendae, ipsius mortis; timor irrisionis publicae, famae peccati publici, poenae v. g. excommunicationis. Multos sine dubio etiam absterrebat magnitudo peccati huiusmodi simulationis, quod neque suum « prophetam » poterat latere etc.

Sperare non poterant, se rem ad finem perducturos esse. Debebant enim fingere multi, in diversis generis morborum, diversis in temporibus et locis, publice, etiam coram inimicis Christi iisque cultis.

Excluditur a fortiori fraus orta e **conspiratione thaumaturgi et eorum in quibus fiebant miracula.**

4) ***Exclusa est hallucinatio in ipsis aegrotis.*** — Num forte in populo non erant *nisi eiusmodi homines qui uti hysterici, putassent, se esse aegrotos, quin fuerint?* Neque a spiritibus eiusmodi hallucinatio produci poterat. Cf. quae antea diximus.

Ob. 1. — **Theoria mythorum,** quae tamen *ordinariis depravationibus,* de quibus sermo erat, ut *quasi instrumentis utitur.* Proposita est v. g. a Mose Ben Maimon, **Deistis**, in systema evecta a **Strauss.** « Mythus est narratio immediate vel mediate de Iesu agens, quae et in quantum non potest considerari ut expressio alicuius facti sed ut foetus idearum eorum asseclarum Christi, qui iam in societatem religiosam post Christum coaluerant ». Elementa theoriae haec sunt: *Miracula fieri nequeunt.* Unde ergo narrationes de iis? *Causae efficientes: lex quod de magnis hominibus mythi formantur;* fides in Iesum ut Messiam, cui, uti prophetis, miracula ascribenda sint; *credulitas generalis* aetatis. *Causa* exemplaris miracula V. T. simul cum spiritu atque doctrina Christi. *Tempus requisitum* ad eiusmodi formationem: c. 100 anni.

Refutatio. - Miracula fieri possunt. — Num omnia, quae de magnis hominibus narrantur, mythi sunt? Probavimus evangelia *fide digna esse.* Caeterum in apocryphis mythos de Christo habes. — *Ideo* Iesus habitus est *Messias, quia miracula* eius viderant, vel audierant. Credulitas nimia Iudaeorum et asseclarum Christi eius aetatis *non aderat.* Cf. quae Iudaei obiciebant v. g, contra veritatem historicam sanationis caece nati. — Miracula V. T. non erant causa exemplaris miraculorum Christi cum *inter ea et miracula Christi sit maior dissimilitudo quam similitudo.* Spiritus et doctrina Christi eiusmodi *hominibus,* quales ab adversariis finguntur, non poterat esse ita intime nota, ut secundum ea miracula N. T. formarent.

Ob. 2. — Bahrdt, Venturini etc. *fraudes* Christo eiusque adiutoribus tribuunt. — Id insulse fieri v. arg.

Ob. 3. — Aliquando *illusiones collectivae* habentur, quae saltem per hypnotizationem produci poterant. — Quorundam sub certis circumstantiis, praecipue si per artem introductae sunt, c., in *integro populo* de eadem re determinatissima etc., n. Pro lubitu mox hoc mox istud factum talibus hallucinationibus explicare, idem est, atque moraliter integrum populum iis subicere. — Cf. similis difficultas de resurrectione Christi.

Propositio 7. — Constat de veritate philosophica miraculorum Christi. — *p. 64-92.*

Argumenta ex auctoritate humana.

Ipsius Christi. — Christus professus est, se miracula patrare. Nam *primo* habebat conceptum miraculi. Etenim aequales eum habebant. Porro: « Lazare veni foras ». De monte: « Tolle te et iace te in mare ». Concedunt Protestantes multi liberales. *Secundo,* Iesus professus est se eiusmodi opera miraculosa patrare, v. g. eo quod ad ea facta ut ad motiva credibilitatis provocavit.

In qua re affirmanda Iesum mendaciis indulsisse componi nequit cum eius humilitate atque efficaci revelationis amore, et impossibile erat ob imminens apertum periculum, fore ut tale mendacium detegeretur atque ita finis Christi, qui se Messiam haberi voluit, obtineri non posset. Scivit porro, num ea opera *perficeret,* quia non erant opera inconscia, sed opera virtutis ergo libertatis; num ea perficeret *naturaliter,* quia scire poterat num applicaret atque dirigeret vires naturales, id quod ex natura rei necessarium fuisset. Porro nisi de ratione miraculi certitudinem habuisset, peccatum magnum fuisset, eam asserere.

Aliorum. — Quod argumentum ut probabile proponitur. — Innumeri homines affirmarunt, Christi opera transcendere vires naturae et hominum. *Asseclae* Christi omni tempore. Ex *achristianis* Iudaei increduli tempore Christi et *pagani* postea ad diabolum ea reducebant. *Hodierni Rationalistae* ad id confugiunt, ut negent multorum miraculorum veritatem historicam; quoad alia fere ad vires incognitas recurrunt.

Iamvero amici Christi mentiri *noluerunt* ob momentum rei;

scientiam debitam habebant, cum rectis principiis in diiudicandis miraculis imbuti essent. Inimici Christi, ut eius religionem destruerent, omnia miracula Christi viribus naturae ascripsissent, si id potuissent. Quod tamen facere non audent. Cum vero nulla explicatio suppetat, aut veritatem historicam negant aut ad vires incognitas refugiunt. Id quod *ultimatim* procedit *ex falso principio, miracula fieri non posse. Ergo eorum negatio nullius auctoritatis est.*

Ob. 1. — Christus *non habebat notionem miraculi.* — Nam *a*) *aequales eam non habebant; b*) pro Christo *ordinaria* et *extraordinaria* erant *eiusdem momenti: c*) legi gravitatis (in passeribus cadentibus) substituit *immediatam voluntatem Dei.* — N. as. et rationes additas. Quoad *a*): *Aequales poterant eam notionem a Christo discere,* qui eam habuit; cf. arg. Porro ipsi eam habuerunt; cf. Rep. p. 55, Ob. 6, 7. Quoad *b*): Ordinaria et extraordinaria secundum doctrinam Christi utique *ab eodem paterno amore Dei* procedunt. Quoad *c*): Iesus affirmat *providentiam,* quae sane non excludit causas secundas.

Ob. 2. — Christus *negavit se miracula patrare. a*) *Factis.* Nam primo renuit ea patrare. Secundo, si quae potuisset patrare, sane omnes aegrotos sanasset. *b*) *Verbis.* Primo *implicite*, ascribendo miracula adventui regni Dei, virtuti divinae; secundo explicite: « Signum non dabitur ei (nationi), nisi signum Ionae prophetae ». « Non tentabis Dominum Deum tuum ». — N. ass. Ad rationes *a*) Primo Iesus ipse *ad petenda* miracula hortatus est (v. g. leprosos). Secundo, finis *primarius* Christi non erat, omnem miseriam temporalem auferre. *b*) Iesus primo non ideae suggestivae de regno Dei miracula ascribit sed *eatenus regno, quatenus sibi regi:* porro Deo *per se Christum agenti.* Secundo, Christus secundum contextum excludit tale *signum* « de coelo » quod *in sole* etc. videretur. Patratio miraculi *ad vanam gloriam,* qualem diabolus voluit, est tentatio Dei.

Ob. 3. — Apostoli inducuntur ut testes de miraculis. Atqui, utpote rudes, ea diiudicare non poterant. — Dist. ma.: De veritate historica c.; philosophicam principaliter nos ipsi iudicamus.

Arg. e natura operum.

Directe omnia opera simul considerantur.

Quoad vires nobis notas. — Vires naturae, cum non libere sed necessario agant, *sub iisdem circumstantiis semper eosdem effectus producunt.* Atqui tales causae, quales Christus externe, modo nobis cognoscibili *adhibuit*, scilicet vox, imperium, brevissima manus impositio etc., *innumeris vicibus sub iisdem circumstantiis adhibebantur et adhibentur, quin sequantur iidem*

effectus, scilicet resuscitationes mortuorum, sanationes subitaneae; multiplicatio panum etc. Ergo.

Quoad vires nobis incognitas. — A) *Etsi eae obiective in natura rerum adessent, tamen in miracula Christi non influxerunt.*

1) *Si Christus sciens* eas in actum traduxit, *scientia tot et talium virium naturae et applicationis earum* in eo *aut naturalis* fuisset, quae tamen ob educationem, occupationem, difficultatem studii et theoretici et practici in eo repugnat; aut *praeternaturalis,* quae utique, ut aliunde scitur, in eo erat, quam tamen in miraculis suis patrandis non adhibuit. Nam α) *ad hominem* contra Rationalistas: Miraculum scientiae ponitis, ut miraculum potentiae evitetis. β) Christus primo pro miraculis ad potentiam Dei provocat non ad sapientiam extraordinariam in applicandis viribus naturae; secundo miracula perfecit aut simpliciter actu voluntatis aut simplici momentanea *manuum impositione*, quae non variatur. Iamvero *neutro medio applicatio naturalis tot variarum virium naturae possibilis est.*

2) *Neque Christo inscio vires naturales opera illa miraculosa perfecerunt.* Nam tales vires si exsisterent, *necessario* agerent, ergo *semper, si eaedem conditiones* adsunt. Atqui impossibile est, tantum iis momentis, quibus Christus similes effectus fieri optavit, conditiones necessarias in rerum natura adfuisse.

B) Eiusmodi leges occultae, *nostris oppositae essent.* Ergo non adsunt, alias non haberetur ordo in rerum natura.

Quaedam genera operum Christi directe considerantur, quaedam indirecte.

Saltem *quaedam operum genera,* uti resuscitationes mortuorum, multiplicatio panum, a *natura physica et viribus humanis fieri nequeunt.* Iamvero Christus omnia iisdem viribus perfecit. Nam α) ad omnia ut ad miracula provocavit; β) eodem modo omnia perfecit: sine applicatione mediorum etc.

Reiciuntur causae naturales quibus miracula Christi generatim sumpta explicant.

Ob. 1. — *Praevisio praeternaturalis operum* sufficit. — Probatum est, *ipsa opera* praeternaturalia fuisse. Utique etiam praevisio.

Ob. 2. — Providentia inexpectata miraculis manifestabatur. — Naturalis, n.; praeternaturalis, c.

Ob. 3. — *Theosophia* miracula naturaliter explicat. Atqui *Christus* celeberrimus *theosophus* erat. — N. ma. et min. *a*) *Theosophia* (recentior) definitur: *naturalis visio Dei pantheistico modo* intellecti. Iamvero ea primo in se *repugnat*. Secundo visio supernaturalis Dei veri *non dat potestatem miracula patrandi*. *Tertio*, etsi ea potentia vi visionis haberetur, tamen ipsi naturae humanae habenti talem visionem *praeternaturalis* esset.

Ob. 4. — Christus qua *homo sanctissimus* dominium habuit *in passiones proprias*. Ergo *a pari* in naturam extra se. — *Non* est *eadem dependentia* utriusque ordinis a voluntate humana. Si tamen Deus miracula patrat, magis in genere decet, ea per sanctum patrari.

Ob. 5. — Christus *qua redemptor* miracula patrare debebat. — Uti redemptor virtutem miracula patrandi naturalem habebat, n.; decebat, Deum redemptori dare potestatem resuscitare, miraculose sanare in ea oeconomia, in qua mors etc. e peccato ortum habent, c.

Ob. 6. — *Occultismus* miracula Christi explicat (Fludd etc.). — Occultismus in se *repugnat*, cum statuat eius generis vires, quales in hoc ordine rerum neque habentur, neque haberi possunt.

Reiciuntur causae naturales expulsionis daemonum.

Ob. — *a*) Daemones *non existunt*. *b*) Saltem *nonnisi e fide cognosci* possunt. *c*) Saltem ii quos Christus liberasse dicitur, non *erant possessi*. *d*) Sed, uti e phaenomenis patet, tantum *morbis nervosis laborabant*. — N. ass. Ad rationes: *a*) *Apriorismus!* *b*) Haberi potest demonstratio historica *ex effectibus*. Inter ethnicos praestigia etc. habebantur. In hominibus, de quibus evangelia agunt, erat Ens quoddam, quod tum *scientiam superiorem* manifestabat v. g. de divinitate Christi, tum confitebatur, se sub poena, ergo *malum* esse. *c*) Apparentiae omnes *identicae sunt*, n., cf. quae mox de scientia superiore diximus; quaedam, c. Quod mirum non est, cum utrique statui et possessorum et nervis laborantium id comune sit, ut *facultates motivae et sensiles cognoscitivae atque appetitivae hominis voluntati subtrahantur* atque ita modo innaturali operentur.

Reiciuntur causae naturales sanationum miraculosarum Christi.

Ob. 1. — *Iesus* arte medica sanavit. Nam erat Rabbi; sequebatur methodum Essenorum; putavit in eodem ordine, scilicet naturali, esse praedicationem, miracula; interrogabat de causa morbi etc. — N. ass. Ad rationes: *Ac si omnis Rabbi medicus* fuisset! Ab *Essenorum moribus*, qui v. g. ab unctione abhorrebant, *alienus* erat. Etiam praedicatio Christo *praeternaturalis erat quoad id quod* docebat. Interrogavit etc. ad *desiderium miraculi augendum* etc.

Ob. 2. — Iesus usus est *homoeopathia*. — *Cum etiam homoeopathia media naturalia adhibeat*, artem requirat, ea sicut aliae vires naturales argumentatione nostra exclusa est.

Ob. 3. — Christus sanavit *suggestione*. Nam *ubi eaedem sunt apparentiae, ibi eaedem causae sunt*. Atqui in sanationibus Christi et hypnotizantium eaedem sunt apparentiae. Ergo.

R. *Differunt* sanationes per suggestionem a miraculis Christi per haec: *Ipsa opera effecta* inveniuntur intra *limites valde restrictos eiusmodi morborum, ad quos sanandos mutatio in nervis vel phantasia sufficit,* porro vix habetur perfecta sanatio. — *Modus sanationis non est subitaneus,* sed per modum artis, physice plus vel minus lente in nervos, phantasiam influit. — *Subiecta* sunt ii hominis, quorum nervi neque multum obtusi neque multum excitati sunt. Excluduntur mente capti. Fiducia in subiectis requiri solet ut causa psychologica pro effectibus in phantasia, nervis. Christus, *si* in miraculis suis fiduciam requirebat, eam requirebat mere ut dispositionem moralem, unde v. g. aliquando sufficiebat fiducia amicorum. — *Hypnotizatores* studiis artis hypnotizatoriae se dant, experimentando procedunt. Etc.

Ob. 4. — Christo praesto erant *vires quaedam naturales, quae vix accuratius determinari possunt.* V. g. eius mens et corpus quam maxime sana erant. Porro « virtus de illo exibat (naturalis, physica) et sanabat omnes ». — *a*) Sanctus efficienter sanitatem efficit ! ! *b*) Agitur de *influxu liberae voluntatis* Christi, quem decebat a Christo tunc procedere, quando externa quaedam coniunctio cum eius persona *ostendebat,* hunc influxum sanationis revera ab eo procedere. *Petierunt* ab eo sanationes.

Ob. 5. — In miraculis Christi *non constat a*) de *specie ultima morborum, b*) de sanatione *perfecta* atque *stabili, c*) de *subitaneitate.* — Quoad *a*) N. *hoc necessarium esse* ad diiudicandum miraculum. *Saepe* iam *in singulis* sanationibus v. g. a lepra, cognitio generis sufficit; semper vero hoc sufficit, si *omnes casus simul* sumuntur, *praecipue cum circumstantiis moralibus* imprimis ipsius agentis. Quoad *b*) et *c*): Stabilitas et perfectio sanationis *certa est tum ex auctoritate Christi* concedentis quod petebatur, tum ex *persuasione populi,* tum ex *auctoritate evangelistarum,* aliorum (Quadrati). De subitaneitate morali constat ipsis expressionibus: « *subito* » etc., exultatione praesentium; neque ea vere deest in sanatione caeci nati in Bethsaida.

Propositio 8. — Constat de veritate theologica miraculorum Christi. — *p. 92-108.*

Argumenta ex auctoritate humana.

Ipsius Christi. — « Si autem ego *in spiritu Dei* eiicio daemonia... opera quae *dedit mihi Pater* ut perficiam ea ». Iesus provocat ad miracula ut ad *signa credibilitatis,* ea fidei in Deum ascribit etc. — Exclusum est mendacium ob momentum rei;

error ob exclusum influxum inordinatum voluntatis, ob rectas de miraculis ideas, mentis attentionem, mentem sanam, quae si deceptus esset, ei neganda esset, cum affirmet se ea patrare, *sicut viderit* « Patrem ea facientem ».

Generis humani. — Ii enim qui veritatem historicam et philosophicam miraculorum Christi agnoverunt, etiam theologicam affirmant, exceptis iis qui ut Iudaei odio vel ut ethnici praeiudiciis manifestis pleni erant.

Arg. e natura operum.

Desunt in iis signa debilitatis: *nulla potestas superior* impedivit Iesum; a nullo homine dependebat vel coactus est; non promisit ea, ad quae vires non sufficerent, sed infallibili securitate promissa exsecutus est. — *Tempus et locus non restricta erant,* sapienter tamen nonnisi in terra sancta ea operari solebat. *Omnes* morborum species sanavit; in ipsam animam separatam imperium exercuit, ita ut animae iterum invenirentur in statu vitae; celeritas maior apparere nequit; numerus: millia.

Desunt signa malitiae. Nihil mali in *operibus in se sumptis. Finis extrinsecus* non est ad peccata, quaestum, ostentationem, curiositatem, sed ad manifestandum potentiam, benignitatem Dei, instructionem religiosam, fundandam fidem. — *Doctrina, ad quam confirmandam referebantur* erat sancta. — *Modus externus* patrandi nihil inordinati in se habebat, sed erat cum invocatione Dei. — *Persona operans* sanctissima est. — *Effectus*: conversio mundi ad Deum vivum et verum.

Desunt signa insipientiae. *Ipsa opera in se ordinata erant. Doctrina* ad quam referebantur, nihil manifeste falsi continebat. Imo ea omnia e doctrina quae iudicari possunt, sapientissima sunt atque arctissimo nexu inter se cohaerent. *Modus patrandi* cum natura operis convenit: oratio, caeremonia influxum Christi significans. *Persona operans* sapientissima. *Opera convenientia* cum *muneribus* Christi, cum eo qua doctore, rege, sacerdote (mundante a sequelis peccati) etc.

Ob. 1. — Iesus in *Nazareth « non poterat »* sanare nisi paucos. — E rationibus convenientiae, quia « propter incredulitatem » non erant digni qui hoc donum reciperent.

Ob. 2. — Iesus non *poterat semper subito sanare.* Nam caecum

in *Bethsaida* per gradus sanavit. — N. ass. Ad rationem: N. consequentiam. Quam potentiam habeat, Iesus aliunde monstravit. Ratio videtur fuisse, ut crescat hominis fiducia, vel similis.

Ob. 3. — Iesus *miraculo in Cana incitavit ad ebrietatem.* — *a*) Convivae non erant iam *inebriati.* *b*) Sola praesentia Christi omnia arcebat, quae non decerent. *c*) Copia (5-7 hectolitr.) videtur fuisse pro *festo plurium dierum* vel etiam pro tempore sequente.

Ob. 4. — *Iniustum* est aliorum *damnorum causare, contra caritatem* illud *permittere.* Iamvero Iesus aut unum aut aliud fecit, eo quod *daemones in duo millia porcorum immisit.* — *a*) Christus *non effecit*, ut daemones porcos ingrederentur, *sed tantum permisit,* Mc. 5, 13. Caeterum non iniuste causasset, cum ius proprietariorum natura prius, agente legato Dei qua tali, ablatum esset. *b*) Permisit damnum ad *manifestandam malitiam daemonum* etc.

Ob. 5. — *Contra legem positivam* erat, *Sabbatis miraculoso modo sanare.* — *a*) N. Pharisaei hypocrisi ita legem explicabant. *b*) *Messias erat Dominus legis* positivae.

Ob. 6. — *In miraculis quae in materia inanimata fiunt, nullum momentum ad mores formandos invenitur.* — N. Est relatio *ad fidem divinam,* cum agatur de motivo credibilitatis.

Propositio 9. — Constat de veritate relativa miraculorum Christi. — *p. 108-30.*

Arg. ex ipsis verbis Christi.

1) **Quoad omnia miracula simul sumpta:** « Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » etc. Sermo in contextu est de sanationibus, resuscitationibus. Porro opera naturalia non possent esse motivum credibilitatis; virtutes morales intelligi nequeunt, cum Iesus apostolis dicat « qui credit... maiora horum faciet ».

2) **Quoad quaedam singula:** « Sed propter populum, qui circumstat, dixi [rogavi etiam externe, ut *suscitares* per me *Lazarum*], ut credant, quia tu me misisti ». — « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata... Tibi dico, surge ». Ita *ad paralyticum.*

Arg. e modis, qui a verbis Christi abstrahunt.

1) Iesus dicit se legatum, simul plus caeteris dono miraculorum insignitus est. Dedecet vero, impostorem vel stultum ita a Deo honorari.

2) Miracula *facta per preces Christi,* probant eius eximiam *sanctitatem.* Sanctitas Christi non stat nisi cum eximia *sapientia,* eximia sapientia non stat cum *errore de sua legatione.*

3) *Conciliabant ei reverentiam,* amorem, quamdam veritatis praesumptionem, cum deceret eundem eligi quo et potentia et sapientia Dei maxime manifestaretur. Quae omnia per se Christi praedicationem iuvabant.

4) Quaedam miracula, uti multiplicatio panum, quoddam *praemium ob doctrinam auditam constituunt.*

Obiectiones ex iis quae Iesus sive dixit sive egit sive agere omisit.

Ob. 1. — Io. 7, 17: « Si quis voluerit *voluntatem eius* (Patris) *facere,* cognoscet de doctrina mea, utrum a Deo sit... ». — Obedientia erga Deum neque omnino qua motivum aliquod credibilitatis, a fortiori non qua unicum exhibetur, sed qua *conditio ordinarie requisita, ut motiva credibilitatis vim suam in animum exerant.*

Ob. 2. — Christus saepe *iubet miracula reticeri.* — Christus pauca quaedam (5) miracula quodam tempore coram quibusdam abscondi voluit. Maior pars publice patrabatur. Rationes generales huius vetiti: prudentia ne concursu a caeteris occupationibus avocaretur, modestia etc. Etiam *rationes speciales* pro vetito in singulis casibus haberi videntur: ne extra Palaestinam multa operaretur, etc.

Ob. 3. — Christus verbis: « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis », et « Beati qui non viderunt et crediderunt », *reprehendit fidem* e miraculis haustam. — N. Reprehendit eos, qui *sive ob alia credibilitatis motiva non prompte crediderunt vel credere parati non erant,* vel eos qui credibilitatis iudicium tantum *ob ea miracula formant,* quae ipsi oculis propriis *viderunt.*

Ob. 4. — Christus *supponit fidem in legationem suam* ut conditionem sine qua non pro patratione miraculorum. — In *omnibus hominibus,* in quibus eam miraculis suis producere voluit, n.; in iis ipsis, *in quibus miracula patravit,* subd.: *in omnibus,* n.; *in quibusdam,* iterum subdist.; *eandem,* quam producere vult, n.; diversam secundum *obiectum credendum* vel *motivum credibilitatis* vel *intensitatem,* c.

Ob. 5. — Christus fundavit religionem suam super *remissionem peccatorum,* etc. — Ut super *finem eumque partialem,* c.; ut super motivum credibilitatis, n.

Ob. 6. — Christus miracula *ut rem minimi momenti* habuit. — Ut minoris momenti quam ipsam fidem, c., ut parvi momenti, n.

Ob. 7. — Si Iesus miraculis suam religionem credibilem reddere voluisset, *semper quando ei physice possibile erat, miracula patrare debuisset.* — N. Etenim iam unum miraculum absolute pro hoc fine sufficeret.

Ob. 8. — Ex eadem ratione *miracula maxima* patrare debuisset. At patravit tantum minima, sanationes quasdam. — *a*) N. *ma.* Miracula ut argumenta credibilitatis sunt signa; signa autem sunt *qua extraordinaria,* non qua magna vel parva in ratione operis effecti. *b*) N. *min.* V. g. resuscitationem mortuorum. Tot aegrotos simul sanavit, etc.

Ob. 9. — Ex eadem ratione miracula *in ratione miraculi clarissima* patrare debuisset. At hoc non fecit, cum inde a primis temporibus de ratione miraculi in his operibus disceptetur. — *a*) Dist. ma.: eiusmodi, quibus visis *ne physica quidem possibilitas dubitandi remansisset,* n.; quibus visis homines *bonae voluntatis facile certitudinem acquirunt,* c. — *b*) *N. min.* V. g. resuscitatio corporis iam incipientis corrumpi.

Ob. 10. — Christus noluit patrare *miracula indubia, ne ad fidem mediante miraculo necessitaret.* — *a*) N. Iesum non fecisse miracula indubia. *b*) Etsi omnia tam evidentia fuissent, ut evidentiora exsistere non possent, *fides* semper *libera* maneret.

Ob. 11. — Iesus non patravit miracula ad superandam persuasionem fidei, scilicet persuasionem de *aeterno valore legis caeremonialis.* — *a*) Haec persuasio non erat persuasio fidei, sed erat *iudicium falsum.* *b*) Retulit sua miracula ad id, ut *totam suam doctrinam credibilem redderet;* in quà doctrina abolitio legis caeremonialis continebatur.

Obiectiones ex aliis capitibus.

Ob. 1. — Si Iesus miracula fecisset, *omnes homines credidissent.* — *a*) Si haec difficultas valeret, sequeretur, *ne complexum quidem omnium motivorum credibilitatis esse validum argumentum.* *b*) *Fidem theologicam* adhibuissent, n. hoc sequi, ea enim essentialiter libera est; omnes sibi *iudicium credibilitatis formassent,* subdist.: etiam ii, qui *passionibus dediti, motiva credibilitatis* debite *ponderare nolebant,* n.

Ob. 2. — Miracula Iesu *non erant argumentum decisivum;* nam ne sufficiebant quidem ad demonstrandum pharisaeis ius Iesu, ut etiam *sabbatis sanaret.* — N. ass. Ad rationem additam: non sufficiebant ob *defectum argumento intrinsecum,* n.; ob malam voluntatem pharisaeorum, c.

Ob. 3. — Si Iesus tot miracula patrasset, *Deus etiam hodie tot patrare deberet.* Eadem enim est necessitas fidei, idem amor Dei. — *a*) *Multa* motiva credibilitatis *nobis praesto sunt, quae* istis tunc praesto non erant. *b*) *Plurima* miracula *etiam hodie* patrantur. *c*) Miraculorum Christi *vis perdurat.* Etc.

Ob. 4. — Etiam alii miracula fecerunt, quin eorum religio probaretur. V. g. Simon Magus. — Cf. Rep. p. 53 Ob. 2.

Ob. 5. — *Non sequitur:* Iesus *miraculum fecit, ergo Deus erat.* — Non sequitur, *si non dixisset se esse Deum et se miraculum ad hoc testimonium de se ipso probandum referre,* c.

Ob. 6. — Inter doctrinas Christi *falsae* inveniuntur, v. g. se mox venturum esse in nubibus coeli. Etenim non venit. Ergo Christianismus non est firmatus miraculis. — Falsa methodus est, *textum obscurum ad libitum interpetrari.* Potius quia sermo Christi firmatus miraculis est, scimus omnem interpretationem, quae eum falsitatis arguit, illegitimam esse.

Ob. 7. — Deus decreverat, ut is, qui *nomen Dei e templo surriperet, eo mediante omnia miracula, quae vellet,* patrare posset. Ergo Deus cum tali homine etiam ad eiusmodi miracula patranda cooperari debebat, quibus ille ad *doctrinam falsam probandam abuti vellet.* Iamvero Iesus per hoc nomen Dei miracula sua patrabat. — *Tota res fictio Iudaeorum* est, ut vim probativam miraculorum Christi effugiant.

Caput II. — Iesus Christus e mortuis rexurrexit. Quo miraculo testimonium eius de se ipso probatur.

[***Qual.*** — De fide divina catholica definita quoad factum, Nicaen. D. 54; de fide divina catholica quoad reliqua].

St. qu. — Resurrectio est mutatio corporis humani eiusdem numero e statu mortui in statum viventis, ita ut eadem numero anima informetur. — Agitur de resurrectione *ut miraculo,* abstrahendo a ratione vaticinii, quod scilicet ita evenit, uti erat praedictum. — Genuina probata sunt Mc. 16, 9-20, Io. 21. — *p. 139-40.*

Propositio 10. — Constat de veritate historica resurrectionis Christi.

Pars I. — Iesus vere mortuus est. — *p. 140-9.*

Arg. — Mortem Christi testantur testes fide digni:

Homines coaevi. Inimici Christi firmam hanc persuasionem habent. Nam *Pharisaei* Pilato dicunt: « seductor ille... adhuc vivens » i. e. quando antea adhuc in vita erat; Apostolis resurrectionem praedicantibus ne audent quidem, id quod tamen facillimum erat, obicere: « forte non mortuus erat ». *Centurio et milites* vi muneris testati sunt. — *Amici:* evangelistae; alii sepeliendo Dominum ritu Iudaeorum.

In quo testimonio reddito *non erat mendacium.* Non apud *inimicos:* non apud *Iudaeos,* nam ad fidem in eius resurrectionem, de qua explicite cogitabant, conferre nolebant. Non apud

milites, quia nullum motivum mentiendi impediebat, quominus id agerent, quod vi muneris agendem iis erat. — Non apud *amicos,* ob eorum probitatem.

Erat *debita scientia.* Erant *apte dispositi;* erant enim cultiores, vel in munere constituti. *Applicarunt sensus;* inimici, ne eum quem maximo odio prosequebantur, vivum relinquentes, ad fidem in eius resurrectionem conferrent; amici, ne eum quem maxime amabant, vivum sepelirent.

Confirmatur veritas testimonii eorum *causis* quae eo tempore, quo Christus mortuus esse dicitur, *mortem eius afferre poterant:*

Perpessiones externae et internae. Sudor sanguineus cum doloribus internis; flagellatio romana quae iam sola aliquando mortem causabat; caeterae perpessiones; deinde quod per tres horas in tali statu in cruce pendebat.

Christus saltem mortuus esset *vulnere lateris.* Quod profundum fuisse patet ex eo, quod largum erat (« mitte manum tuam »); necessario mortiferum erat, id quod habetur e fine militis, ut scilicet vulnere lateris externum obvium signum mortis iudici exhiberet; « percussos sepeliri carnifex non vetat ».

Conferebat quoque ad mortem accelerandam *mos sepeliendi Iudaeorum:* corpus totum involutum, plurima aromata.

Homines post Christum. Christiani, Iudaei; ipsi Rationalistae hodie theoriam de morte apparente ridere solent.

Ipse Christus a Patre *mandatum moriendi* habebat, Io. 10, 18. Iamvero *obediens* erat. — Porro Iesus proposuit resurrectionem suam ut motivum credibilitatis pro revelatione, ergo inclusa erat praedictio de morte sua. — In cruce pendens ait: « Pater in manus tuas commendo Spiritum meum ». — Anima Christi post resurrectionem reprehendit apostolos, quia « iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt ».

Angeli « *Resurrexit* ». Supponitur probata ratio verae apparitionis angelicae.

Ipse Deus cum persuasione de resurrectione, ergo de morte Christi, coniunxit meliores effectus in mundo. Apostoli miracula patrant, ut resurrectionem Domini credibilem reddant.

Ob. 1. — « Pilatus *mirabatur si* (Iesus) iam *obiisset* », i. e. dubitavit. — Mirabatur quod Christus tam *cito* mortuus erat, nesciebat enim

omnia quae praecesserant; at relationi Centurionis de Christi morte fidem adhibuit.

Ob. 2. — *Clamor validus est signum vigoris naturae;* ergo Iesus non poterat subito post mori. — Clamor ante mortem quibusdam naturalis videtur; si, quod melius dicitur, naturaliter fieri non poterat, habetur *miraculum*, quod, ut videtur, in signum libertatis in moriendo patratum est.

Ob. 3. — E latere Christi *post sic dictam mortem* percusso, *effluxit sanguis.* Ergo Christus mortuus non erat. — N. ass. Ad rat.: Multi in solo sanguine post mortem effluente ne miraculum quidem vident, sed rem, quae naturaliter fieri poterat. Utique aquam e latere fluentem nemo naturaliter explicare potest. Decebat, eiusmodi miracula in corpore Christi fieri.

Ob. 4. — Christus Magdalenae dixit « *noli me tangere* »; id quod *dolori* ascribendum est. — At Iesus caeteris mulieribus permisit, ut pedes suos amplecterentur. Forte Magdalenae tantum prohibuit, ne haereret in amplexu suo.

Ob. 5. — Aliquando e tribus crucifixis, cura adhibita, *unus superstes* remansit. — Non diximus, *ob solam* crucifixionem in se sumptam, debere omnem hominem post tres horas mori.

Ob. 6. — Christus poterat ignota vi *se ipsum* in sepulchro *sanare, lapidem removere,* permittere, ut resuscitatus putaretur. — *a)* V. probationem mortis. *b)* Ut unum miraculum fugias, in aliud incidis. *Impossibile erat, sine miraculo* se sanare, eo die pedibus in Emaus ire etc. *c)* Apostolos in re maximi momenti *decepisset,* nam se resuscitatum dixit.

Ob. 7. — Patres quidam Christi *mortem inter miracula referunt.* Ergo quomodo e causis suis repeti potest? — Etsi Christus esset mortuus ante illud tempus, quo naturaliter mori debebat, *tamen* e testimoniis positivis *de ea constare potest.* In omnibus perpessionibus Christi illud quasi miraculum supponitur, ut quamvis anima Deum videret, tamen corpus passibile esset.

Pars. II. — Iesus nova vita corporis donatus est.

Testes homines aevi apostolici.

Obiectum testimonii est vera resurrectio Christi.

— *p. 152-5.*

Dicunt eum *resurrexisse.* Iamvero unicus conceptus resurrectionis apud Iudaeos erat de resurrectione carnis eiusdem cum eadem anima. Cf. 2 Mach. 7, 11; Martha, de Lazaro; « cuius erit e septem (maritis) uxor (in coelo)? »; Apoc. Baruch, terram reddere mortuos uti erant in vita.

In specie testimonia agunt:

a) *De resurrectione corporis* e mortuis. Nam resurrectio Christi proponitur 1 Cor. 15, ut *exemplar resurrectionis caeterorum,* quae certo habebatur corporea. *Opponunt* vitam Christi vitae spiritus, qui carnem et ossa non habeat. Christi resurrectionem eam esse, in qua *anima eius erepta sit e Scheol,* corpus factum sit incorruptum (Petrus); eam, ut nunc non iam possit mori, « non visurus corruptionem » (Paulus). *Effectus rei corporalis* ei tribuunt, ut scilicet possit palpari, videri.

b) De resurrectione corporis *numerice eiusdem.* Etenim *sepulcrum vacuum* aliquid confert ad persuasionem de resurrectione; *Thomas* vult loca clavorum videre, ut identitatem agnoscat, ad eundem finem Christus ea ostendit. — Christus exhibetur ut *exemplar nostrae resurrectionis,* quae cum eodem corpore futura esse credebatur.

c) *De coniunctione eiusdem animae,* id quod nemo negat.

d) *De anima vere informante.* Nam dicitur: « praebuit seipsum *vivum* ». Faciunt eum *comedere, ut* ea actione *probet, se non esse spiritum.* Habetur *exemplar* resurrectionis nostrae.

Ob. 1. — Cum Christus resurrectionem suam annuntiaret, apostoli erant « *conquirentes, quid esset* ». — Eo non affirmatur, eos non habuisse conceptum resurrectionis, sed prima fronte dubios haesisse num ille sensu *proprio* an v. g. *metaphorice* a Christo *ad se ipsum tum applicatus fuerit.*

Ob. 2. — 2 Cor. 3, 17: « Dominus *Spiritus est* »: ergo secundum apostolos post resurrectionem corpus non habebat. — Sensus est: « Ille Dominus ad quem Iudaei converti debent, est Spiritus sanctus, *tertia persona Trinitatis* ».

Ob. 3. — 2 Cor. 5, 16: « Nunc *non iam novimus* (Christum) *secundum carnem* ». — I. e. « nunc post conversionem non diiudico Christum secundum *rationes carnales,* principia mundana ».

Ob. 4. — Gal. 1, 15, 16: « Ut revelaret filium suum *in me* », ergo in visione mere subiectiva. — I. e. « *mihi,* idque ita ut eius revelationis *effectus me totum pervadat* ».

Ob. 5. — 1 Cor. 15, 47: « Secundus homo *de coelo* »; ergo Christus corpus aliud e materia e caelo delata habebat. — I. e. Christus secundum naturam divinam non vero secundum corpus e coelo est.

TESTES IN HOC TESTIMONIO REDDENDO AUCTORITATEM HABENT.

Hi testes mentiti non sunt. — *p. 156-8; 166-7.*

a) Non aderant *motiva mentiendi.* Non *voluptates,* potius mortes eos expectabant. Non *honor privatus* inter paucos, qui multo minor erat quam ludibrium inter multos. Non *gloria gentis mundana,* cum religio christiana praecipuas praerogativas Iudaeorum destrueret. Non *indebitus amor Christi,* cum talis impostor qualem eum, si non resurrexisset, habere debuissent, vere amari non possit. Non *hominum putata felicitas et Dei honor;* nam si Christus non resurrexit, « inanis est ergo praedicatio nostra ».

Etsi motiva mentiendi adfuissent, in *apostolos agere non potuissent.* Nam sciebant, sibi mentientibus *Iudaeos nullam fidem adhibituros esse,* cum, si Christus non resurrexisset, eius corpus adhuc inspici potuisset. Nam illud *neque apostoli surripuerunt:* ob testimonium positivum contrarium Mt.; ob indolem eorum timidam eo tempore. Neque *terraemotus* illud sustulit; ad eum enim provocassent Iudaei; illum excludunt sudaria complicata. Neque *diabolus* illud abstulit; hic enim nolebat insigniter promovere religionem christianam.

Sciebant porro, *neque ethnicos sibi credituros esse,* cum ex omnibus veritatibus christianis haec ipsa resurrectio iis e testimonio Act. Ap. et S. Augustini difficillima videretur.

Apostoli non poterant habere spem, fore ut per totum tempus apostolatus *tot homines* quibus apparuisse dicebatur (semel 500), *in mentiendo,* non obstantibus perpessionibus, constantes mansuri essent.

Obstat tale mendacium *sanctitati apostolorum* aliunde cognitae (cf. quae dicta sunt quoad miracula Christi in genere Rep. p. 124-5).

Tandem ipsi Rationalistae concedunt, fraudem *psychologice excludi ob mutationem,* quae die *Paschatis* in apostolis locum habuit.

Ob. 1. — Epistula sic dicta Barnabae vocat apostolos « homines *omni peccato iniquiores* ». — De iis loquitur uti fuerant antequam a

Christo vocarentur, non vero, uti erant, quando testimonium reddebant. Caeterum magna *exaggeratio* est.

Ob. 2. — Synedrium, libri talmudici asserunt, apostolos Christi *corpus furatos esse.* — Synedrium, uti notum est, toties mentitum est de Christo; libri Talmudici de rebus ad Christum pertinentibus *nullam auctoritatem* historicam habent, cum fabulis plenae sint.

Ob. 3. — Qui *testantur* resurrectionem sunt *soli amici* Christi. — Amicitia per se *neque veracitatem neque scientiam* obiectivam, praecipue in re tam evidenti, *tollit.* Porro *Paulus* ipsa Christi apparitione ex inimico amicus factus est.

Hi testes debita scientia instructi erant.—*p. 159-63; 167-71; 171-7.*

Generatim hominem vivum recognoscere difficile non est.

Porro in hoc casu speciali *a*) Facultates cognoscitivae debite dispositae erant. Assumere, *sensus* testium tam diversorum aut *per annos* vitae Christi *indispositos fuisse* aut inter feriam sextam et diem dominicam *subitanea mutatione* factos esse indispositos, contra leges naturae est et omnem historicam certitudinem impossibilem reddit.

Phantasia ab hallucinationibus et illusionibus libera erat. Illae enim, utpote subiectivae affectiones morbosae singulorum per se *diversae* sunt *quoad obiectum;* hic *omnes* idem determinatissimum obiectum usque ad singula eius verba experiuntur. Illae *non* exhibent *novum sapientiae opus;* hic Christi resurrectio, vita et doctrina est *evolutio perfecta* vitae et doctrinae anterioris, cui porro prophetiae novae accedunt. Illae sunt *secundum dispositiones actuales* phantasiae, intellectus, voluntatis; hic minime, nam cogitant de oppresso, at exhibetur *gloriosus,* etc. *Circumstantias* quod attinet: Illae *excitationem supponunt,* hic testes *sobria* et *tranquilla mente* utuntur. Illae hominem *non subito* invadunt, relinquunt; hic apparitiones *subito* pleno in vigore *incipiunt,* subito *desinunt* esse. Illae *non eodem momento* in plurimis initium et finem habent; in his ita est.

Praeiudicia intellectus iudicium de *obiectivitate corporum* non turbant, nisi *progrediuntur ad hallucinationes* et illusiones. Has vero iam exclusimus.

Denique e ratione iam saepius repetita neque *diabolus neque anima Christi neque Deus* tales illusiones causavit.

b) *Testes facultates bene dispositas etiam rite applicarunt.*

— α) Erat *miraculum,* cuius momentum gravissimum sciebant; in ipsis apparitionibus gravia iis imponuntur mandata. β) *Evangelium effert,* eos invitante Christo vidisse manus, latus. Praeterea carnem Christi palpasse dicendi sunt. Cf. *Ignatius:* « et confestim ipsum tetigerunt ».

Ob. 1. — *Ingressus in vitam immortalem* est *supernaturale quid,* ergo non est obiectum experientiae sensilis. — N. sup., *obiectum testimonii* apostolorum fuisse ingressum Christi in vitam immortalem. Erat *mutatio corporis* eius *mortui in vivens.*

Ob. 2. — *Nemo* Christum *resurgentem vidit.* — Non necesse erat, ipsam resurrectionem videri, sufficiebat ut videretur *Christus vivens,* cum antea visus fuerit Christus mortuus.

Ob. 3. — *Circumstantiae* de resurrectione et apparitionibus Christi *indeterminatae* sunt. — Pro eo quod unice quaeritur, scilicet ut efformetur secundum eas iudicium securum *de signis vitae,* n.: pro multis aliis, quae de Christo resuscitato quaerere possumus, c.

Ob. 4. — *Circumstantiae* resurrectionis vel apparitionum narratae *inter se contradicunt.* — Etiam apologetice facile demonstratur, *nullam* esse contradictionem quoad id quod unice quaeritur, scilicet quoad *signa verae vitae.* Hoc iudicium per se non impediretur, etsi esset quaedam contradictio in rebus ad haec signa non pertinentibus, v. g. quoad tempus, locum apparitionis, dummodo error in memoria non fuerit ita magnus, ut qui eum profert dicendus sit non potuisse ita errare, si omnino vidisset Christum vivum. Quod *nullus ne minimus quidem error* ne in circumstantiis quidem secundariis relationum evangelistarum admitti potest, ex eo est quod relationes *inspiratae* sunt.

Quoad *quasdam apparentes difficultates in specie,* haec dici posse videntur: Tempus in quo Maria Magdalena ad sepulcrum accessit, erat diluculum diei dominicae. — Mulieres in ipsa via nemini narrant visionem quam viderant. — Mulieres caeterae prius quam Magdalena vident angelum, post hoc Magdalena vidit prius angelum, deinde Christum, deinde Christus seipsum videndum dat caeteris mulieribus.

Ob. 5. — Quidam evangelistae apparitionibus *tantum Ierusalem* assignant, quidam tantummodo Galilaeam. — Christus non dicit, se tantum in Galilaea apostolis appariturum esse; *tantum Galilaeam nominat,* quia ibi principaliter cum suis conversaturus erat. Ratio cur Galilaeam elegerit videtur fuisse maior securitas discipulorum ab hostilibus Iudaeis.

Ob. 6. — Verba Lc. 24, 49 « *Sedete hic* » (in Ierusalem) donec Spiritus Sanctus veniat, sunt *prolata die resurrectionis.* — N., die ascensionis. Quod vero Lc. diversas scenas coniungit simplici expressione « εἶπε δ'αὐτοῖς » ex eius consuetudine est. Male vero intelligi non poterat Lc. quia immediata postea, Act. 1, 3, ipse Lc. narrat, Christum per *40 dies* iis apparuisse.

Ob. 7. — Mc. *indirecte* dicit, Christum tantum in Ierusalem apparuisse. — N. Postquam in sua narratione brevissima de Ierusalem locutus est, tantum *nullam mutationem loci describit* usque ad finem. *Indicat tamen*, eam factam esse, cum angelos loquentes facit: « Praecedet vos in Galilaeam ».

Ob. 8. — Mt. indirecte dicit, Christum in sola Galilaea apparuisse. — Mt. tantum *unam apparitionem narrat,* eam scilicet, in qua Iesus in Galilaea mandatum dedit solemne propagandi regni Dei. Id quod cum *fine evangelii* Mt. (de regno Dei) cohaeret.

Ob. 9. — *Nemo chronologiam apparitionum* componere potest. — *a*) *Quid* inde? *b*) Certe prima apparitio (Petro), secunda (omnibus apostolis), aliqua alia (apostolis cum Thoma), ultima ante ascensionem locum habebant in Ierusalem. *Aliae intermediae forte omnes in Galilaea.* — Ratio cur apostoli *indeterminate* loquantur, praecipue relate ad locum et tempus, sita est in summa brevitate narrationum coniuncta cum eo quod quam maxime ipsa verba Christi et signa vitae ab evangelistis premebantur, caetera non tantopere.

Speciatim contra ipsas visiones atque argumentum ex iis haustum.

Ob. 1. — *Paulus* 2 Cor. 12, 2-4 nescivit *intimam naturam alicuius visionis* distinguere, num scilicet anima sua a corpore separata fuerit necne. — Haec ignorantia, habita *in statu mentis extraordinario,* non arguit, *apostolos* cum in statu ordinario mentis versarentur, obiectiva ab hallucinationibus distinguere non potuisse.

Ob. 2. — *Petrus* Act. 12, 9, 11 *nesciebat,* se realiter e carcere liberari. — Initio nesciebat, *mox illud scivit.*

Ob. 3. — Expressiones ὤφθην, ἑώρακα apud Paulum *significant* solas visiones *mentis.* — N.; etiam visum *corporeum* v. g. Col. 2, 1.

Ob. 4. — *Ex amore magno* connaturaliter *hallucinationes* de resuscitatione amati nasci debebant. — Aliquando in certis conditionibus subiecti per accidens oriri possunt. Eas in apostolis ortas esse *exclusimus.* Porro *praevalebat timor* aerumnarum, unde potius tales aerumnae etc. ut « illusionum » obiectum exspectandae erant.

Ob. 5. — *Timor impedit applicationem* sensuum. — Timor, quando apparebat Christus, ex modo loquendi Scripturae non erat nisi *admiratio* rei praeternaturalis. Caeterum neque omnis timor incapacem reddit tranquillae inquisitionis. Porro « timuerunt » tantum *initio* visionis, mox gavisi sunt.

Ob. 6. — Multae personae per decursum saeculorum *Christum atque Sanctos* in visionibus viderunt, amplexi sunt etc. *Nemo* tamen inde *concludit,* eos *cum corporibus* apparuisse. Ergo a pari. — N. par. Obiectum testimonii eorum generatim erat id solum, se *aliqua ratione* eos amplexos esse (phantasia etc.); *intimam rationem tamen harum apparitionum non testabantur.* Aliter apostoli.

Ob. 7. — *Christus* in eucharistia saepe visus est ut extensus, quam-

vis ibi non sit extensus. — Tantum id affirmatur a testibus, *ubi est eucharistia*, ibi imaginem pueri Iesu, vel mea pace aliquid aliud corporeum apparuisse.

Ob. 8. — In *sessionibus spiritisticis* spiritus *materializantur* et *affirmant se esse homines* mortuos. — Sunt eae apparentiae externae harum apparitionum, quae dicuntur, ex quibus rite ad *verum corpus informatum concludi* possit, praeterea veracitas eiusmodi spiritum *probata* est, n.

Ob. 9. — Corpus, quod *resistit* et *non resistit*, chimaericum est. — Corpus, quod per miraculum *uno tempore* resistentiam exercet, *alio tempore* non, n. Tale miraculum in Christo assumendum est.

Ob. 10. — Quod *subito* apparet, per *portas it, non est corpus.* — Non est corpus *in stato naturali*, c., non potest esse corpus in statu praeternaturali, n.

Ob. 11. — *Eodem iure* potest dici apparuisse *spiritum praeternaturaliter resistentem*, quo affirmatur, apparuisse hominem cum corpore aliquando praeturnaturaliter non resistente. — N. Nam *resistentia regula* est, oppositum exceptio ; *praedicta* erat resuscitatio ; *anima Christi* corpus resuscitatum esse affirmat etc.

Ob. 12. — Corpus *gloriosum videri, tangi, comedere non potest.* — N. *Cum maneat quantum*, per se tangi et videri potest ; *comedere* non debet, sed *potest*, ita tamen ut per digestionem nulla corruptio sequatur. Illud autem donum a Deo accepit, ut, si velit, miraculose impediat ne tangi possit.

Ob. 13. — *Raphael archangelus* comedebat, quamvis non haberet corpus informatum. Ergo argumentum e comestione non probat. — *Non comedebat vitaliter*. Non dixit, se ideo talem actionem ponere, ut probaret suam vitam corporalem. Porro providente Deo postea ab eo qui apparuit revelatum est, se esse spiritum. Aliter in Christo.

Testes alii. — *p. 163-6.*

Testes sunt **angeli**, fide certe digni : « resurrexit ».

Anima Christi, quae confitetur, se nunc *ut informantem* adesse in corpore eodem resuscitato : « ego sum (idem) ». Accedit eadem doctrina etc. Dicit se *resurrexisse*, in quo caetera includuntur.

Dicit se *idem* corpus habere ; nam ad demonstrandam identitatem vulnerum suorum cicatrices ostendit. Dicit se *vere informatum* corpus habere, nam ponit *actum* comedendi *ut demonstret* se esse *vivum* hominem, non spiritum.

Fuisse autem *aliquod obiectivum*, quod apparuit, habetur ex exclusione hallucinationum etc. ; non fuisse diabulum sub spe-

10

cie Christi, habetur ex ratione saepius dicta, porro ex miraculis prophetiis eo tempore ab eo qui apparebat factis etc.

Testis est **Deus**, eo quod providentia sua cum persuasione de resurrectione Christi *optimos effectus* in mundo coniunxit, *miracula* in testificationem resurrectionis per apostolos patravit.

Homines innumeri sani intellectus consenserunt in admittendo hoc motivo praecipuo credibilitatis, quod omnino cum officiis gravissimis connexum est.

Propositio 11 — Constat de veritate philosophica resurrectionis Christi. — *p. 177-80.*

Argumenta ex auctoritate humana. — 1) **Christi ipsius**: Ad resurrectionem ut ad maximum *motivum credibilitatis,* ergo miraculum, provocat. — 2) **Generis humani** : Ipsi *Ethnici* resurrectionem generatim absolute impossibilem habebant ; Augustinus : « in nulla re sic contradicitur fidei christianae, quam in resurrectione carnis... ut dicatur, fieri non posse, ut caro ista terrena possit in caelum ascendere ». Unde apologetae tot modis ipsam possibilitatem resurrectionis probare student. *Recentiores increduli* ideo eam ut non historicam reiiciunt, quia putant, eam vel absolute impossibilem esse. *Iudaei, Christiani illam* ad unum omnes miraculum habent.

Arg. ex natura operis. — Ad resurrectionem natura prius requiritur, ut vires physicae et chimicae ad vitae functiones necessariae, ipsa quoque organa in corpore mortuo denuo ea ratione disponantur, quae ad vitae functiones exercendas necessaria est. Iamvero *lex physica est, materiam non vivificatam, sibi relictam, ad aequilibrium tendere* non vero ad illas compositiones pro vita necessarias. *Neque homines viventes corpus mortuum ita disponere possunt,* id quod experientia patet.

Ob. 1. — Anima naturaliter *transmutat materiam non viventem in viventem.* — *Sub his conditionibus :* ut *a*) ipsa cum corpore proprio *coniuncta* sit, non ab eo separata ; *b*) *secundum dispositionem materiae* determinatas mutationes certo ordine inter se excipientes, certo quodam tempore durante, in materiam inducat.

Ob. 2. — *Omnes resurgent.* Ergo miraculum non est. — N. Etiam ea resurrectio omnium est *contra leges naturae.* Caeterum Christus etiam ante tempus lege divina caeteris praefixum resurrexit.

Propositio 12. — Constat de veritate theologica resurrectionis Christi. — *p. 181-6.*

Argumenta ex auctoritate.

1) **Ipsius Christi...** « Potestatem habeo iterum sumendi eam (animam). Hoc mandatum accepi a Patre meo ». — 2) **Omnium, qui ipsam resurrectionem Christi admittebant.**

Arg. e natura operis.

Opus in se. — Maxime splendet in eo *Dei potentia* in corpus, animam ; tum per resurrectionem in se, tum per miracula accedentia, uti est v. g. penetratio per portas. *Sapientia et sanctitas.* Manifestat ipsa resurrectio, si in se respicitur, Christi sanctitatem, cum sit praemium extraordinarium pro eo quod corpus eius fuerat perfectissimum instrumentum virtutis, Christi munus, ut nos a mortuis suscitet. Promovet hominum utilitatem. Est enim speciale *motivum fidei, compendium veritatum christianarum,* cum ea exhibeantur : Dei potentia, iustitia, bonitas ; immortalitas animae ; Christi natura humana, potentia ; mors, gloria ; pignus spei ; augmentum amoris ob divinam pulchritudinem et benignitatem, quae in resuscitato resplendet.

Circumstantiae operis. Fit tempore apto, retentis cicatricibus.

Effectus : 1) Apostoli praecipue resurrectione Christi cum optimo fructu usi sunt, ut religionem christianam in mundum inducerent : ut *motivo credibilitatis* (« fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis...) ; *compendio dogmatum* (comprehendebant Iesus munus suum his verbis : « testem esse resurrectionis »; « si credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ». — 2) Christiani primorum saeculorum praecipue ex hoc mysterio fortitudinem et fervorem in operibus bonis hauserunt. *Apostoli :* etenim « tetigerunt et crediderunt... propter hoc etiam mortem contempserunt ». *Martyres,* testante Athanasio : « Nimirum certo sciunt, se... incorruptos per resurrectionem fieri ». *In genere Christiani,* dicente Cyrillo Hier. : « Radix totius operationis est spes resurrectionis ». Iamvero illa persuasio *de resurrectione omnium multum pendebat a persuasione de resurrectione Christi,* ut ait August. : « Quod in Christo factum esse

credimus, hoc futurum speremus in nobis ». Cultus : dies dominica ; ars : Ionas. Concedunt Rationalistae ; v. g. Strauss : Resurrectio Christi est « verum Christianismi cor ».

Miracula a Deo patrata. Deus in approbationem praedicationis apostolorum multa miracula patravit (ut alibi probatur). Iamvero unum e praecipuis obiectis praedicationis erat resurrectio Christi : « Testis resurrectionis eius fieri ».

Propositio 13. — Constat de veritate relativa resurrectionis Christi. — *p. 186-93.*

Argumenta e verbis Christi.

Arg. generale.

Arg. — Christus *omnia sua miracula* retulit ad probandam suam legationem. Ergo etiam resurrectionem.

Argumenta specialia.

Io. 2, 19-21.

« Quod signum ostendis nobis, quia haec facis ?... *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud* ».

1) Sermo est *de resurrectione Christi :* Quod constat *a*) testimonio S. Ioannis. *b*) Apostolorum : crediderunt, recordantes horum verborum... « sermoni quem dixit Iesus de sua resurrectione ». *c*) Verbis textus. Nam primo *templum potest* significare corpus Christi. Philo ita vocat corpus Adae, Paulus corpus omnis hominis. Porro λύειν, ἐγείρειν potest significare occidere, resuscitare. Cf. vocabularium. Secundo, *aliae explicationes exclusae sunt.* Non poterat Christo esse persuasum, Iudaeos *templum materiale* destructuros esse, cum etiam immoderate illud amarent. Non significatur destruendum esse templum materiale, *erigendum spirituale* religionis christianae. Nam in hac explicatione deesset identitas inter rem destructam et reaedificatam ; non intelligeretur incisum illud « tribus diebus » ; non ea relatio inter rem destruendam et aedificandam, quae affirmatur.

2) Sermo est de *resurrectione* ut signo missionis messianicae. Ita immediate e contextu patet.

Mt. 12, 38-43. Signum Ionae.

1) Agitur de *signo credibilitatis.* Ita *exegetae* catholici antiqui et recentiores fere sine exceptione. *Internae rationes* hae sunt: Iudaei « signum » i. e. motivum credibilitatis petunt. Totus contextus 12, 13 sq. de signis credibilitatis est. Christus rationem signi explicat: « sicut enim fuit Ionas, ita erit... ».

2) Hoc signum resurrectio est. Nam agitur de re futura « erit ». Ergo non de praedicatione poenitentiae, quippe quae continuo praesens fuerit. — De re quae *non tantum in ultimo iudicio* locum habebit; est enim sermo de motivo *credibilitatis.* — De re *miraculosa.* Est enim signum, in quo porro similitudo cum miraculo in Iona invenitur. Saltem agitur de *liberatione miraculosa a morte,* id quod immediate e verbis patet. — Imo de *resurrectione* post mortem secutam. Nam « *cor terrae* » significat Scheol, locum ipsarum animarum post mortem. Nullum aliud factum e vita Christi habetur, cui haec verba applicari possent. Tandem pro hac explicatione habetur consensus *exegetarum* catholicorum.

Arg. quod a verbis Christi explicitis abstrahit.

Praemium extraordinarium Christi arguit sanctitatem eius extraordinariam. Iamvero cum *hac error de sua legatione stare non potest,* tum ob alias rationes, tum ideo, quia persuasio de legatione sua est quaedam radix sanctarum operationum Christi. Atqui *resurrectio Christi est quoddam praemium extraordinarium* pro Christo. Erat enim *initium gloriae* eius: « sic intrare in gloriam suam ».

Ob. 1. — Si resurrectio Christi fuisset motivum credibilitatis pro toto populo iudaico, se debebat toti populo *vivum ostendere.* — Aut directe, aut *saltem indirecte* mediantibus testibus publicis ab eo ad testandum hoc factum missis et per ipsa miracula approbatis, c.; necessario directe, n. Iudaei postquam Christum reiecerant, non iam erant populus eius unde non iam tali speciali favore digni erant.

Ob. 2. — N. T. postulat fidem in Christum resuscitatum *ante habitam experimentalem scientiam* de facto resurrectionis. Ergo resurrectio non erat motivum credibilitatis. — *Sequitur* tantum, eam *non fuisse unicum motivum credibilitatis.* Nempe ob motiva credibilitatis quae prae-

cesserant, iam credendam fuerat verbis Christi resurrectionem tertia die praedicentis, verbis angelorum.

Ob. 3. — Persuasio de resurrectione Christi non *sufficit ad salutem*. — At *iuvat* ut praecipuum quoddam motivum credibilitatis.

Ob. 4. — Verba *Christi Io. 2, 19-21* eo tempore quo proferebantur, a Iudaeis recte intelligi non poterant. — *a*) P. prob. — *b*) Tr. Iam ad eum finem sapienter proferri poterant ut *interim memoria eorum retenta,* accedente eventu intelligerentur et ita resurrectio Christi, postquam facta fuerat, iis mediantibus ut signum credibilitatis teneretur.

Scholion. — Christus cum corpore resuscitato *etiam S. Paulo apparuit.* Hoc ex eo scitur, quod Paulus etiam ex visione sibi facta, resurrectionem Christi demonstrat. *p. 93-4.*

Sectio 3. — Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur plurimis eius vaticiniis. — *Lith.* De revelatione christiana, *p. 254-78.*

[**Qual.** — De fide divina catholica definita. D. 1790. Quae definitio saltem principaliter intelligenda est de iis vaticiniis quae iam impleta sunt, cum ea proponantur uti motiva credibilitatis quibus fides nostra rationabilis ostendatur].

Quae vaticinia Christi consideremus. — Ut idea quodam modo completa de Christo ut propheta habeatur, omnes species vaticiniorum eius consideramus, etiam talia, quae nondum plene completa sunt sed adhuc in eo sunt ut continuo compleantur, imo etiam talia, quae ex ipsa eorum natura usque nunc implenda non erant. Ne tamen tractatio amplior evadat, non omnia vaticinia ex omni specie consideramus, sed tantum principaliora. — Cum praecipue eiusmodi argumentum pro legatione Christi quaeramus, quod non supponat aliud argumentum iam probatum, principaliter ea vaticinia consideramus, quae a Domino de tempore usque nunc iam elapso facta sunt, quorum impletio proinde directe in ipsis eventibus praedictioni correspondentibus cognosci potest, non vero tantum indirecte ex aliis motivis credibilitatis ut aliquando futura certo demonstrari potest.

Ratio cur thesis ponatur. — Primo, quia est argumentum in se splendidum. Iam a Iustino Apol. (I) n. 30 MG 6, 375; *Otto* 1^3 92 ea vocatur « μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις », maxima et verissima demonstratio. Secundo, ea ab apologetis

ultimi saeculi saepe omissa vel tantum insinuata est. Id quod minus convenire videtur.

Divisio. — Cum vaticinia sint miracula in ordine intellectus, argumentum ex iis formatum eam divisionem retineat necesse est, quae in argumento e miraculis connaturalis est. *Praemisso ergo quodam conspectu etsi non completo vaticiniorum Christi, ex ordine tractabimus veritatem historicam, philosophicam, theologicam, relativam vaticiniorum Christi.*

Quid sit veritas historica vaticiniorum. — Veritas philosophica et theologica vaticiniorum in eo consistit, quod consonantia perfecta inter verba quae uti certa prolata esse iam supponitur, atque eventus, quos iis adamussim respondere item iam supponitur, non e viribus naturae sed e solo lumine divino explicari potest. Sequitur, ad veritatem historicam probandam ea omnia pertinere, unde constet, verba illa uti certo complenda prolata fuisse atque eventus adamussim iis respondisse.

Propositio 14. — Constat de veritate historica vaticiniorum Christi et eventuum qui iis correspondere dicuntur.

Pars I. — Conspectus vaticiniorum Christi et eventuum qui iis correspondere dicuntur.

Vaticinia Christi de rebus ante mortem suam.

Saepe claris verbis Iesus antea annuntiavit, *miraculum quoddam determinatum* a se patratum iri. Ita v. g. piscationem utramque miraculosam, Lc. 5, 4; Io. 21, 6. Resuscitationem filiae Iairi Mt. 9, 24; Mc. 5, 36, 39; Lc. 8, 50, 52. Sanationem caece nati, Io. 9, 7. Mundationem leprosorum Lc. 17, 14. Resuscitationem Lazari Io. 11, 3, 6, 7, 23-6, 41-2. — Eventus semper verbis mox sequentibus narratur.

Semper miracula Christi comitabatur praedictio implicita, quippe cum Christus se plane certum de iis mox secuturis exhiberet. — Eventus ipso facto miraculoso continetur.

Iesus praedixit *illa plurima et diversissima miracula,* quae *apostoli in primo eorum itinere apostolico* patrarunt, Mt. 10, 1, 8; Mc. 6, 7; Lc. 9, 1, 2. — Eventus v. Mc. 6, 12; Lc. 9, 6.

Similem potestatem Iesus tradidit 72 discipulis quos ad praedicandum misit, Lc. 10, 9. — Eventus Lc. 10, 17-9.

Quoad suum solemnem ingressum in Ierusalem: « Ite in castellum quod contra vos est et statim introeuntes illuc invenietis asinam alligatam et pullum cum ea ». Mt. 21, 1-3; Mc. 11, 1-3; Lc. 19, 29-31. — Eventus verbis immediate sequentibus narratur.

Praedixit *quasdam circumstantias coenae paschalis,* scilicet apostolis obviam fore hominem amphoram aquae portantem, patrem familias vero « coenaculum grande stratum » iis monstraturum esse, Mt. 26, 17-8; Mc. 14, 12-5; Lc. 22, 7-12. — Eventus verbis immediate sequentibus refertur.

Vaticinia Christi de morte sua.

Iam initio vitae publicae *coram Nicodemo* professus est, *se crucifigendum* esse, etsi tum temporis ea praedictio nondum tam clare intelligi potuit, Io. 3, 15; Cf. 8, 28: 12, 32-3 de explicatione expressionis « *exaltari* oportet Filium hominis ». Cf. Knabenbauer ad l.

Clare coram discipulis praedixit, mortem suam fore *violentam.* Ita post confessionem *Petri* de sua divinitate, Mt. 16, 21; Mc. 8, 31; Lc. 9, 21-2; postea quando in itinere « praetergrebantur Galilaeam », Mt. 17, 21-2; Mc. 9, 27-30; Lc. 9, 44.

In scena illa Caesareae Philippi adiecit, se ante mortem *multa pati* debere atque a proceribus populi sui reprobandum esse.

Cum in Ierusalem ad ultimum pascha ascendebat, adiunxit has circumstantias: « tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus et *condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus et illudent ei et conspuent eum et flagellabunt eum* », Mt. 20, 17-9; Mc. 10, 33-4; Lc. 18, 32-3.

Duobus diebus ante mortem illud quoque addidit, se *post biduum* in paschate *crucifigendum* esse, Mt. 26, 1.

Edixit, *se a Iuda Iscariote esse tradendum;* id iam habetur Io. 6, 65, 71-2 post sermonem eucharisticum; magis explicite Mt. 26, 21-5, 46. — Eventus Mt. 26, 47-50; Mc. 14, 83-6; Lc. 22, 47-8; Io. 18, 3-12.

Se *ab omnibus discipulis relinquendum* esse, Mt. 26, 31; Mc. 14, 27. — Eventus Mt. 26, 56; Mc. 14, 50.

Imo *Petrum* in *nocte passionis, antequam gallus bis cantaverit, ter se esse negaturum,* Mt. 26, 34; Mc. 14, 30; Lc. 22, 34; Io. 13, 38. — Eventus Mt. 26, 57-8, 69-75; Mc. 14, 53-4; 66-72; Lc. 22, 54-62; Io. 18, 13-7, 25-7.

Cum singula e narratione passionis notissima sint, non semper indicavimus quibus locis eventus describatur.

Vaticinia Christi de sua resurrectione et ascensione.

Praedixit se *resurrecturum* esse. — Id iam in primo paschate coram Iudaeis edixit, etsi minus clare, sub figura *templi* iterum excitandi, Io. 2, 18-22. Id repetiit applicans ad se *signum Ionae,* Mt. 12, 39-40 et 16, 4; Lc. 11, 29-30. Cf. Rep. p. 148-9. Semper praedicationem de resurrectione sua ipso hoc termino adhibito coniunxit cum praedictionibus mortis, quam coram discipulis edidit. Cf. quae mox diximus.

Se resuscitandum esse *ante universalem resurrectionem mortuorum.* Nam suam resurrectionem offert ut signum credibilitatis pro Iudaeis adhuc tum temporis, quando signum datur, convertendis, Mt. 12, 39-40.

Se resurrecturum esse *apostolis adhuc in vita constitutis.* Nam Mt. 16, 32 ait: « Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam »; 17, 59 vero: « Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius hominis a mortuis resurgat ».

Resurrectionem suam habituram esse locum *tertio die* (seu post tres dies et tres noctes secundum aliam hebr. expressionem pro die tertio) inde a morte sua. Cf. multos locos ex antea dictis. Ampliora in diff. huius theseos.

Se in *Galilaea* discipulis suis appariturum esse, Mt. 26, 32; 28, 7; Mc. 14, 28; 16, 7. — Eventus Mt. 28, 16-7; Io. 21, 1-23.

Se Petro summum principatum traditurum esse, Mt. 16, 16-9. — Eventus Io. 21, 15-8.

Se videntibus discipulis in coelum ascensurum esse, Io. 6, 63. — Impletio Act. 1, 1, 9. Cf. Io. 7, 33; 20, 17; 14, 2, 3.

Vaticinia Christi de opere suo, ecclesia.

De causa efficiente atque de propagatoribus ecclesiae.

Se ipsum aedificaturum esse ecclesiam, eamque fundaturum esse supra Petrum, Mt. 16, 16-9. — Eventus Io. 21, 15-8 aliisque in locis de ecclesia agentibus.

Eam *nonnisi post mortem* suam universaliter fore agnoscendam. Io. 12, 23-5; 32-3. — Vide paucitatem asseclarum ante mortem Christi, subitaneam vero conversionem millium in prima predicatione apostolorum.

Causam huius mutationis *fore Spiritum Sanctum* quem post glorificationem suam ipse apostolis missurus sit, Lc. 24, 49; Act. 1, 5-8; Io. 14, 26. — Eventus Act. c. 2, et deinceps.

Ecclesiam *propagandam esse per apostolos illos 12* atque eos, quos sibi in collegium asciverint vel qui eorum successores futuri sint. Mt. 28, 20. — Eventum pro quibusdam apostolis, praecipue pro Petro et Paulo collige partim ex Act. ap. Caetera ex historia ecclesiae.

Ex apostolis *Petrum cum senuerit crucis martyrium* subiturum esse, Io. 21, 18-9. — Eventus Euseb. h. e. l. 2 c. 25 ed. Schwartz I, 176.

Duos filios Zebedaei calicem persecutionum bibituros esse, Mt. 20, 23; 22, 23; Mc. 10, 39, ita tamen ut mors Ioannis secutura non sit, Io. 21, 18. — Impletio de Iacobo v. Act. 12, 2; de Ioanne v. eius flagellationem Act. 5, 40-1, eius relegationem ad insulam (Patmos) Apoc. 1, 9, eius perpessiones Romae exantlatas Tertul. de praescr. c. 36, Kirch Enchiridion n. 170, 3.

De mediis quibus ecclesiae finis obtinetur.

Iesus promisit, semper omnes eas doctrinas atque caetera sanctificationis media, i. e. praecipue sacramenta atque sacrificium, in ecclesia indefectibiliter permansura esse, quae ipse instituit. Mt. 28, 20.

Uti in tractatu 4° videbimus, inter ea media praecipue premit primatum, Mt. 16, 18.

Membra ecclesiae vitam spiritualem praecipue ex eucharistia hausturos esse, Io. 6, 52.

Eventum discimus ex universo dogmate catholico atque historia ecclesiae.

De effectibus ecclesiae.

Quoad eius *extensionem.* — Eam *praedicatum iri inter omnes gentes,* Mc. 13, 10. — Id quod impleri coepit iam aevo apostolorum atque inde ab eo tempore, teste historia missionum, ratione semper ampliore impletur.

Plurimos semper fore ecclesiae asseclas inter gentes, Mt. 11, 31; Io. 10, 16; 12, 32; Mt. 13, 31-2 de parabola grani sinapis; Mt. 28, 20. — Eventum vide in sectione 4ª de miraculo morali ante Constantinum, in historia ecclesiastica, quae statum ecclesiae per decursum saeculorum exhibet.

Quoad *intensionem fructuum bonorum.* — Quamvis non omnes fideles iustitiam sectaturi sint, uti iam docetur Mt. 23, 24-30, 37, nihilominus fidem etiam miraculorum in ecclesia remansuram esse, imo ecclesiam, eo quod semper omnia mandata et consilia Domini certo quodam gradu observatura sit, mundum esse renovaturam. Cf. textus in thesibus de sanctitate ecclesiae a Christo promissa, Parabola de fermento Mt. 13, 33; Lc. 13, 21. — Eventum correspondisse v. in thesi de sanctitate morum in ecclesia resplendente.

Vaticinia Christi de poenis synagogae a se infligendis atque de parusia sua.

Prophetiae quas usque nunc consideravimus, clarae, imo multae ex iis clarissimae erant. Eae vero, quae de destructione Ierusalem atque praecipue eae quae de parusia Christi sunt, multa obscura in se habent. Unde in multis quae continent diversas explicationes nactae sunt. Neque de ea re plane inter doctos semper convenit, quae signa ex iis quae Dominus in sermonibus suis eschatologicis enumerat, solam destructionem urbis, quaenam solam parusiam, quaenam utrumque eventum praecedere dicenda sint. Porro quoad prophetias de parusia de impletione nondum agi potest. Unde non omnia, sed tantum quaedam determinata vaticinia de destructione urbis, quasdam

lineas generales de parusia proponemus. Quibus ob rei momentum eas difficultates adiungemus, quibus recentiores demonstrare nituntur, Iesum falsa de sua parusia pronuntiasse.

De poenis synagogae.

A Iudaeis « *auferetur regnum Dei* et dabitur genti facienti fructus eius » Mt. 21, 43, i. e. ecclesia, per synagogam reiecta, ad ethnicos transferetur ibique fructus uberes habebit. Cf. Mt. 8, 11-2; 22, 1-14. — Testibus Act. ap. et historia ecclesiae priorum temporum Iudaei qua natio religionem christianam inde ab initio reiecerunt, unde apostoli ad ethnicos se converterunt atque apud eos uberrimos fructus perceperunt.

Pseudoprophetas recipient, Io. 5, 43. — Cf. v. g. Teudas, Simon Magus, Iudas Gaulonitides, de quibus cf. Ios. Fl. Antiq. 20, 5, 1-2; Bel. iud. 2, 13. 5. — Bar Cochba anno 135. Cf. Knabenbauer ad l.

Destructionem Ierusalem *maxima atque plane extraordinaria mala* comitabuntur, Mt. 24, 1-22; Mc. 13, 1-26; Lc. 21, 1-24. — Cf. notam narrationem Flav. Ios. De bel. iud. horroribus plenam.

Eo tempore Ierusalem destruetur, quo *adhuc Sabbatum in ea ditione servatur,* Mt. 24, 20. — Ierusalem partim destructa et templum combustum est anno 70; 131 sub Hadriano Ierusalem plene destructa est.

Modus destructionis: « Circumdabunt te inimici tui vallo » Lc. 19, 43. — Impletio Ios., Bel. iud. 5, 11. 4-5; 5, 12. 2. Priore loco narratur, Romanos aggeros extruxisse, quos tamen Iudaei destruxerint; posteriore, Romanos murum 39 stadiorum aggeribus substitisse.

« Et *captivi ducentur in omnes gentes* » Lc. 21, 24. — Cf. Ios. Bel. iud. 7, 9. 2: « Quicumque autem infra septimum decimum annum erant venditi sunt ».

De parusia.

Ante iudicium universale signa horroris plena praecessura esse. Seipsum autem ministerio angelorum resuscitaturum esse omnes gentes, atque « venturum esse in nubibus coeli » ad iudicium ipsum habendum.

Pars II. — Christus eas praedicationes protulit, quae in evangeliis ei attribuuntur, iisque eventus revera respondit.

A. Christus eas praedictiones protulit.

Omnes praedictiones Christi quas novimus, *in evangeliis* continentur. Atqui evangelistae in iis referendis fide digni sunt. Ergo. — Prob. min.

ARGUMENTUM GENERALE.

Uti ex Introductione in S. Scripturam constat, evangelistae in *substantialibus evangeliorum referendis fide digni sunt.* Iamvero *omnes praedictiones Christi ad haec substantialia pertinent.* Ergo. — Prob. iterum min.

Ea certe ad substantialia evangeliorum pertinent, quae directe et quam maxime pertinent *ad finem ob quem scripta sunt.* Atqui hoc de vaticiniis Christi dicendum esse non uno modo patet.

Io. principaliter ad eum finem scripsit, *ut divinitatem Christi efferret.* Iamvero e mente Ioannis *praedictiones* Christi *ad eius divinitatem manifestandam plurimum conferunt.* Id tum per se patet tum e diversis verbis Io sequitur. Intra alia v. g. 16, 13-4 docetur Spiritum Sanctum quae ventura sunt apostolis nuntiaturum esse. At unde ea hausit? « De meo accipiet et annuntiabit vobis ». Unde « ille me clarificabit ».

Mt. evangelio suo praecipue haec probare intendit: Iesum esse *Messiam, qui simul sit Filius Dei naturalis; ecclesiam esse regnum Messianicum; minime esse mirandum quod Iesus a populo suo non agnoscatur.* Cf. Cornely[6] n. 597. Iamvero e mente Mt. relatio vaticiniorum Christi ad hunc triplicem finem multum conferebat. — In filio Dei naturali premit Mt. eius infinitam scientiam (Mt. 11, 25-7), eius nomine alios vaticinari (Mt. 7, 22). Quomodo ergo tot tamque splendidas *manifestationes eius divinae scientiae,* quae vaticiniis continentur, non uti tales proponere vult? — Vaticiniis de ecclesia partim proprietates ecclesiae describit quae semper in ea inveniuntur, partim *fata* eius. Incredulitas populi electi *minus mira* bonis videbitur, *si* Christus et reprobationem populi et eius causam et poenas his in terris sustinendas *praedixit.* Tandem hac ipsa praedictione iudicii de

populo israelitico atque caeterorum, quae de parusia sua vaticinatus est, multiplex eaque vivida assertio munerum messianicorum Christi continetur.

Mc. rationem potentis Filii Dei in Christo Ethnico-christianis ante oculos ponit. *Lc.* tum Iudaeo-christianis tum Ethnico-christianis scribens Matthaei et Marci fines coniungit. Cf. Cornely[6] n. 618. Unde patet cur vaticinia Christi premant.

Pro evangelistis narrationes de vaticiniis Christi maximi momenti esse, *praeterea ex his* patet:

a) Saepius *efferunt, res ita evenisse* uti Christus praedixerat. Ita quoad circumstantias de ingressu in urbem, de ultima coena praedictas, quoad traditionem Iudae Io. 6, 72.

b) Aliquando quoque observant, *angelos vel ipsum Christum apostolis vaticinia* eorumque impletionem in *memoriam revocasse.* Ita vaticinium de resurrectione tertia die, Lc. 24, 6-7; de apparitionibus in Galilea, Mc. 16, 7; Mt. 28, 7.

c) Referunt *apostolos impletionis vaticiniorum meminisse,* v. g. Petrum recordatum esse vaticinii de sua negatione, Mt. 26, 75; Mc. 14, 72; Lc. 22, 61; apostolos omnes praedictionum de resurrectione Domini, Io. 2, 22.

d) Narrant, *Iesum quaedam vaticinia data opera uti motiva credibilitatis protulisse.* Cf. partem de veritate relat. vaticiniorum Christi.

e) Extollunt *alias species mirabilis scientiae Christi,* prementes eas ad gloriam Christi facere. Id quod in aliis thesibus ostenditur. Ergo e paritate rationis etiam hoc mirabile prophetiarum donum ad Christi gloriam illustrandam referunt.

f) Scientiam de miraculo mox secuturo, *ut unum quid cum ipsa gloria miraculorum narrant.* Cf. Io. 6, 6: « sciebat quid esset facturus ». Gloriam autem miraculis manifestatam data opera exponere intendunt.

Specialia quaedam quoad aliqua elementa, quae ad fidem humanam narrationum de vaticiniis Christi requiruntur.

Cf. argumentationem eiusmodi evolutam relate ad narrationes de miraculis Christi Rep. p. 122-7. Hic quaedam summa capita considerantur.

Hae narrationes interpolatae non sunt.

Vaticinia illa *plurima* sunt, per totum evangelium *sparsa, intime connexa* cum Christi doctrinis, cum factis et fatis tum ipsius Christi tum aliorum. — Primum et secundum ex ipso conspectu evidens est. Quoad tertium quaedam exempli causa accipe.

Praedictio eorum generatim fit *ob quandam utilitatem practicam, quam Christus e circumstantiis connaturaliter haurire intendit.* V. g. cur Dominus suas perpessiones praedicit? Ne fides discipulorum iis visis scandalum patiatur. Cf. Io. 13, 9; 14, 28-9; 16, 4; Lc. 22, 29. Cur tamen eas non exponit clarissime nisi post confessionem Petri? Quia hac confessione facta specialior firmitas fidei in apostolis locum habuisse censenda est, Mt. 16, 21. Quando praedicit, apostolos se relicturos esse? Postquam fidem suam firmam confessi sunt, atque ideo id tunc facit, ne quid sibi praesumant, Io. 16, 31-2. Quando Petri negationem praedicit? Postquam Petrus, debilitatis suae non sat conscius, confessus fuerat: « Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego » Mc. 14, 29.

Sine vaticiniis de morte Christi non capis, cur Petrus Mt. 16, 22 Iesu consilium dederit ne ad patiendum se accingat; sine prophetiis Iesu de resurrectione sua non intelligis, cur Iudaei custodiam usque ad tertium diem eius sepulcro apposuerint, etc.

In vaticiniis *maxima pars doctrinae de ecclesiae proprietatibus* continetur; in vaticiniis plurima ex iis quae Dominus *de suo munere iudicis et regis universalis* docet.

Evangelistae in iis proferendis mentiti non sunt.

Perpende, quantopere a mendaciis deterreat *obiectum tot vaticiniorum.* Multa scilicet versantur in *ignominiosa ignavia apostolorum* tempore Christi exhibenda. Multa in pronuntianda *poena populi atque ipsius urbis sanctae plena destructione, gentium electione,* quae — si humano modo rem consideramus — prophetam eiusque religionem summo odio apud suos exponere debebant. Multa in praedicenda *ecclesiae extensione, fertilitate* in fructibus, miraculis apostolorum in evangelii annuntiatione.

Haec autem, supposita apostolorum mala fide, atque proinde persuasione haec futura non fore, non potuissent iis utilitatem afferre sed eos atque suam religionem suumque prophetam risui exposuissent. Id quod apostoli non videre non poterant.

Evangelistae, cum illa vaticinia Christo ascribebant, neque inculpabiliter errabant.

Doctrina quam vaticinia continent vel ad quam inculcandam proxime referuntur, *tam sublimis* est, *tam propria Christi, sive respicis id quod docetur sive modum quo docetur,* ut evangelistae ea vaticinia invenire non potuerint. — Quoad doctrinam quam continent cf. v. g. doctrinam de suis, Messiae *perpessionibus,* de proprietatibus ecclesiae quae mundum renovet. de pane vitae, de fide et operibus quae in ultimo iudicio requirantur, atque generatim de ratione parusiae. Quoad formam in qua haec doctrina profertur, considera v. g. quod magna pars vaticiniorum de ecclesia et de parusia ipsis illis incomparabilibus *parabolis* continetur.

Elementa externa quae speciatim vaticinia respiciunt partim sunt eiusmodi, quae etiam pro miraculis valent, uti *Diatessaron, citationes Patrum ante tempus codicum*. Tales citationes cf. v. g. Ep. Barnab. 5, 12 de Mt. 26, 31 et Mc. 14, 27; Didache 16, 1 de Mt. 24, 42, 44 et Lc. 12, 35; ib. 16, 3-5 de Mt. 29, 10-3. Cf. The New Testament in Apostolic Fathers, Oxford 1905 p. 20, 31-2; Iustin., Dial. c. 35 et 82, de Mt. 24, 5, 11, 24. — In specie id attendendum est, *haereses vel doctrinas alias falsas primi et secundi saeculi in vaticiniis Christi falso explicatis suum fundamentum quaesivisse,* vel saltem aliqua vaticinia ut prolata a Christo supponere. V. g. Montanistae toti innitebantur in vaticinio de adventu Paracleti, quem in suis prophetis operari affirmabant. Cf. loci apud Hilgenfeld, Ketzergeschichte pag. 572-3. Mani quoque eam prophetiam in se solo impleri docebat. Sententia Papiae, Irenaei, aliorum qua phantastica quaedam de statu ultimo rerum hic in terra proferuntur, connaturaliter supponunt, Dominum quaedam de istis temporibus ultimis praenuntiasse.

Sensus horum vaticiniorum in genere clarissimus est.

Quamvis quaedam vaticinia quae de adventu Christi agunt nondum plene intelligamus, tamen plurima vaticinia quae afferemus sensum quam maxime planum atque determinatum continent. Cf. v. g. de *negatione Petri,* de *tempore et circumstantiis mortis, resurrectionis suae,* etc. Cf. conspectum.

Christus haec omnia vaticinia non cum probabilitate sed cum omnimoda certitudine edixit.

1) Iesus professus est, *omnia sua verba divinam auctoritatem habere,* ideoque certissima esse. Cf. Rep. p. 92-4. Ergo idem de vaticiniis suis pronuntiavit.

2) Iesus ex una parte *legationem suam divinam ut certam proposuit;* ex alia parte *pro ea saltem ad quaedam vaticinia sua ut ad argumentum per se stans provocavit* unde plena persuasio oriretur. Ergo etiam hoc argumentum ut certum proposuit. Iamvero hoc argumentum ut certum non proposuisset, si ipsam assertionem de futuro tantum ut probabilem proposuisset. Differentia autem nulla quoad certitudinem praedictionum eius innuitur.

3) Aliquando ipsa verba vel forma grammatica speciali ratione certitudinem exprimunt. Ita v. g. « amen, amen » Mt. 18, 30, frequentissime praesens loco futuri.

4) Postquam Iesus vaticinium Mt. 24, 34 protulit: « Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant », haec solemnia verba addit v. 35: « *Coelum et terra transibunt, verba autem mea* (οἱ δὲ λόγοι μου) *non praeteribunt* ». Praeterirent, si fallacia ostenderentur. Quod effatum natura sua generale est. Unde non tantum illud vaticinium, sed omnia vaticinia complectitur, eaquae ideo quia verba Christi sunt. Ergo Iesus maximam firmitatem iis omnibus ascribit.

B

Pars II. — Verbis Christi eventus respondet.

Quoad ea quae iam evenire debebant.

1) *Quoad ea, quae usque ad descensum Spiritus S. in evangeliis et Act. Ap. narrantur.* Primo, ad narrationem horum eventuum ea applicanda sunt, *quae mox de humana auctoritate evan-*

gelistarum in referendis ipsis prophetiis Christi diximus. Par enim causa est. Secundo, multa ex iis iam antea a nobis *ex specialibus rationibus* ut historice certissima *demonstrata* sunt, v. g. miracula Christi, eius mors, resurrectio.

2) *Quoad caeteros eventus.* — In conspectu vaticiniorum Christi quem dedimus, aut eos *fontes speciales,* e quibus eorum impletio constat, indicavimus, aut ad alias *theses* remisimus in quibus in decursu theologiae speciatim fundamentalis eiusmodi eventuum historicam veritatem data opera probamus.

Quod ea quae temporibus abhinc futuris evenire debent.

1) Iesus aliis motivis credibilitatis, v. g. *miraculis probavit omnia sua verba a Deo procedere.* Ergo etiam assertiones eius de futuro tempore a Deo processerunt. Ergo, prout docet theodicea, eventus iis correspondebit.

2) Iesus quaedam vaticinatus est quae iam evenerunt, atque has prophetias data opera ad id retulit, ut iis probaret, se esse eum quem se dicebat. Iamvero affirmabat de se ipso se in omnibus verbis suis, ergo etiam in omnibus praedictionibus, veritatem divinitus credendam hominibus revelare. Ergo *quibusdam vaticiniis probavit, omnes quoque caeteras prophetias suas implendas esse.*

3) Simili ratione iam *Patres* saepe argumentati sunt. V. g. S. Augustinus, de catech. rudibus c. 24 n. 45 ML 40, 341-2 haec habet: « Omnia ergo haec, sicut tanto ante praedicta legimus, sic et facta cognoscimus [scilicet ea omnia quae iam evenerunt]; et quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic nos, *quia omnia ista ita completa sunt*, sicut ea in libris legimus, qui longe antequam haec implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et praesentia iam videntur, *aedificamur ad fidem, ut etiam illa quae restant,* sustinentes et perseverantes in Domino, *sine dubitatione ventura credamus* ». Cfr. quoque De civ. Dei l. 21 c. 7 n. 2 ML 41, 719-20; Tertul. Apol. c. 20 ML 1, 388-91.

Adversarii veritatis historicae vaticiniorum Christi eorumquae difficultates.

Diversi modi quibus procedere solent.

Saepe ne ipsi quidem negare audent, eos eventus, qui praedicti esse referuntur, revera locum habuisse, v. g. mortem Christi eiusque circumstantias. Hoc si obtinent, *negant, Iesum eos aut omnino praedixisse aut saltem eius verba fuisse tam determinata quam referuntur, aut ea ut certa fuisse prolata.* Loquuntur de nucleo quodam, qui postea determinatus fuerit, de coniecturis quae postea certitudinis speciem assumpserint. — Ut vero explicent, quomodo factum sit ut evangelistae eas narrationes de vaticiniis conscriberent, quae a veritate obiectiva tantopere alienae sunt, ad eas fere diversas theorias recurrunt, quae ab adversariis miraculorum Christi confinguntur, ut explicent quomodo narrationes evangelistarum de miraculis Christi ortae fuerint.

Aliquando e contra adversarii *affirmant, Iesum hanc vel illam praedictionem utique edixisse* eamque uti determinatam, uti certam; *edicunt autem eventum iis non correspondisse.* Praecipue insistunt in eo ut probent. Iesum praedixisse, se adhuc ea aetate vel generatione hominum ad iudicium universale venturum esse.

Aliquando adversarii *tum eventum tum praedictionem eius negant.* Ita procedunt v. g. quoad resurrectionem Christi eiusque praedictiones.

Eas difficultates afferemus, quae fere maioris momenti videbantur. *Eas ita disponemus, ut inter se iungamus eas quae circa idem factum versantur, sive contra historicitatem praedictionis sive contra historicitatem eventus afferuntur.*

Difficultates dispositae secundum singulas quasdam praedictiones atque facta iis correspondentia.

Quoad negationem Petri.

Ob. 1. — Mc. 14, 30 habet: « Amen dico tibi (Petre), quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem *bis* dederit *ter* me es negaturus ». Caeteri autem evangelistae Mt. 26, 34; Lc. 22, 34; Io. 13, 38 tantum habent: « antequam Gallus *cantet* », id quod interpretandum sane est, « *antequam prima vice cantet* ». — Conc. textus et nego explicationem. *Galli cantus*, ἀλεκτοροφωνία, est terminus technicus, etiam auctoribus profanis notus, quo significatur *tertia inter quatuor vigilias noctis,* quae est ab h. 12-3. Sumitur vero hoc nomen a fine huius vigiliae, *quippe cum galli in illis terris Orientis circa horam tertiam cantare soleant.* Ubique iam circa mediam noctem cantare prima vice solent. At « cum *tempus gallicinii primi fere cum media nocte* (fine secundae vigiliae quae vocatur « media nox ») *coincidat, ubi simpli-*

citer de galli cantu sermo est, illud secundum gallicinium intelligitur ». Unde caeteri evangelistae breviorem terminum technicum elegerunt, Mc. tempus accuratius descripsit. Cf. Fonck ad v. « gallus » in Lex. bibl. II col. 365. Plura Knabenbauer in Mt. ad 26, 34.

Ob. 2. — Secundum Christi verba Petrus eum *ter* erat negaturus, id quod sane non positive sed exclusive intelligendum est. Iamvero *saltem quinque negationes Petri numerantur:* Mt. 26, 57, 58, 69, 71-5; Mc. 14, 66; 69-72; Lc. 22, 54-7, 58-62; Io. 18, 16-7, 25-7. — Tres illae negationes praedictae necessario intelligendae sunt *ut soli tres actus physice distincti, p. prob.;* intelligi possunt ut *tres quasi scenae, quae singulae diversos actus physicos moraliter unitos complecti possunt,* c. Primum tempus illud erat, in quo una ancilla quaedam occasionem negationi dedit; secundum, in qua alia ancilla tentavit, qua in occasione etiam alii quam illa ancilla cum Petro locuti sunt; tertium tempus illud est, in quo accesserunt ii qui astabant, qua in occasione etiam unus e servis Pontificis cum Petro egit. Cf. Knabenbauer ad Mt. 26, 69-75 p. 476-84, praecipue p. 683.

Quoad mortem Christi.

Si Christus *mortem* suam praescivisset, eam *evitasset.* Ita Celsus, Orig. c. Cels. l. 2 n. 17 MG 11, 831; ed. Koetschau Corp. Berol. 2, 146. — Ac *si summum bonum esset, mortem evitare!* Iam Orig. l. c. respondet, honestissimum esse, « despecta vita volentes mortem pietatis causa occumbere ». Ipse vero Iesus edixit, se ad redimendos homines se ipsum in sacrificium offerre.

Quoad resurrectionem Christi.

Ob. 1. — Iesus cum resurrectionem suam praedixit, non intellexit veram corporis sui resuscitationem, sed *tantum indeterminatam quandam suae rei victoriam.* — N. Nam *a*) Adhibet in omnibus locis vocem « resurrectio » vel « resurgam ». Iamvero haec vox *ex usu loquendi Iudaeorum nonnisi hanc significationem habet. b*) *Etiam circumstantiae sermonis* eundem sensum postulant. Etenim cum *de flagellatione et morte corporis* sermo sit, sine dubio resurrectio immediate post in eadem phrasi sequens nonnisi de corpore intelligi potest. *c*) Si de animae glorioso quodam statu sermo esset, non capitur *cur eius initium ad tertium diem post mortem differatur. d*) Ipsi *pharisaei, nullo dubio admisso,* verba Iesu ita interpretati sunt. Cf. quae mox de tempore resurrectionis dicemus. *e*) Angeli Lc. 24, 7 verba ita explicant.

Ob. 2. — Christus Mt. 12, praedixit, se inter mortem et resurrectionem suam per tres dies et noctes fore in corde terrae. Atqui camera *sepulcralis, quippe* quae omnino in superficie terrae sita esset, *sane non potest dici cor terrae.* Ergo falsa praedixit. — N. suppositum, cor terrae significare sepulcrum. Significatur Scheol, ubi anima Christi eo tempore commorata est. Cf. De revel. christ. p. 189.

Ob. 3. — Cum Iesus de resurrectione sua loqueretur, *discipuli « nihil eorum intellexerunt »* Mt. 16, 22; 17, 22; Mc. 10, 32; Lc. 18, 34; 19, 45. Intellexissent sane, si de ressurrectione corporis locutus esset, quippe quae notio Iudaeis familiaris esset. — Apostoli semper recta intelligentia horum verborum orbati erant, n.; initio, subdist.: quasi verba Christi in se non fuissent clarissima, n.; ex *praeconcepta idea de Messia non morituro*, qua stante necessario sensus a vero diversos verborum Christi indagabant, c. Cf. Io. 12, 34; Knabenbauer in Lc. 18, 34 p. 517; Wilmers n. 347, 350; Mazzella n. 283-4. Christi morte secuta et sepulcro iam vacuo invento apostoli in veram resurrectionem Christi credebant ob ipsa ea verba Christi, quae angeli in memoriam revocabant.

Ob. 4. — *Discipuli* diebus inter mortem et resurrectionem Christi *ne recordati quidem sunt* horum vaticiniorum. Atqui hoc psychologice impossibile est. — A recordatione *impediti fuisse videntur eo quod ea verba nondum de vera resurrectione corporis intellexerant.* Praeterea mala inexspectata praesentia omnes cogitationes eorum absorbebant.

Ob. 5. — Lc. 24. 24-7 Christum resuscitatum ita agentem exhibet: Ut discipulos in Emaus euntes ad fidem in resurrectionem suam perducat, *Christus tantum ad vaticinia prophetarum provocat, non ad sua;* eos tantum reprehendit, quia erant « tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae ». — *a*) Cum Christus coram discipulis istis duobus *in ipsa via absconditus manere vellet*, apte ad sua ipsius vaticinia provocare non poterat. Facile enim cogitassent, unde peregrinus ille ea vaticinia nosset atque ita periculum fuisset, ne ante tempus determinatum Iesum recognoscerent. *b*) At *alia in occasione Iesus etiam ad sua vaticinia provocavit.* Ita ipse Mt. 28, 10 ait: « Nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaeam ». Quibus verbis iis in memoriam revocare videtur verba in ultima coena prolata Mt. 26, 32: « Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam ». Angeli vero, a Christo Deo et homine missi, uti motivum fidei in resurrectionem Christi sola eius verba mulieribus et discipulis afferunt: Lc. 24, 6-7: « Recordamini qualiter locutus est vobis.. Quia oportet Filium hominis tertia die resurgere ». Mc. 16, 7: « ...dicite discipulis eius et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis ».

Ob. 6. — Expressio « *tertia die* » *se resurrecturum* esse, non significat sensu proprio tertium diem sed habet *sensum magis indeterminatum* « post breve tempus ». Hic enim sensus subest locis Lc. 13, 31 et 32 bis; Os. 6, 3; 4 Reg. 20. 5. — N. Sensum illum proprium eruimus ex ipsis circumstantiis textuum de quibus agitur. Cui non obest quod sensus improprius aliis quibusdam locis Scripturae forte subest atque praeterea e locis parallelis e lit. talmudicae constat. (Exempla v. v. g. Schanz, Lc. ad l. p. 376 nota 3).

At de facto nulla ratio est, cur sensus proprius relinquatur *4 Reg.*

20, 5: « Sanavi te (scilicet Ezechiam) et tertio die ascendes ad templum Domini ».

Sed *Lc. 13, 32:* « Ite et dicite vulpi illi (Herodi): Ecce eiicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras et tertia die consumor », item *33:* « Veruntamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem » sensus magis indeterminatus tum sententia communissima exegetarum catholicorum et acatholicorum tum rationibus contextui intrinsecis constat. Etenim evidenter non tantum « hodie et cras » sed multis diebus et ante et post sanitates perfecit. Unde etiam illud « tertia die » non sensu proprio sumendum est. Simile quid de versu 33 dicendum videtur. Quidam eas expressiones sumunt pro tempore qua determinato, quidam ideam brevitatis eius adiungunt. (Lc. 13, 32-3. Cf. Knabenbauer, Lc. ad l. p. 428-9; Schanz, Lc. p. 376-7).

Locum Os. 6, 3: « Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos et vivemus in conspectu eius » exegetae generatim de tempore brevi secuturo explicant (V. g. ita recenter etiam van Hoonacker, Les douze petits prophètes, 1908 p. 62). Knabenbauer (Proph. Min. I p. 82), vero probabile habet, resurrectionem spiritualem populi eo loco promissam a propheta depingi coloribus eius sanctificationis, quae ad montem Sinai post praeparationem duorum dierum revera tertia die per institutionem foederis veteris secuta est.

Ob. 7. — Iesus aliquando dicit se « *tertio die* » resurrecturum esse, aliquando vero se « *post tres dies et tres noctes* » vel « *post tres dies* » resuscitandum esse. Iamvero prior expressio « tertio die » ad summum fere 34-57 horas complectitur, cum Dominus feria 6ª post horam tertiam mortuus sit; expressio vero « post tres dies et tres noctes » vel « post tres dies » saltem 72 horas complectitur. *Ergo Iesus in aliqua circumstantia huius vaticinii praedicenda erravit.* — N. min. Expressio *secunda omnino idem significat quod prior* illa exhibet.

a) Ita *ipsi Pharisaei rem intellexerunt.* Mt. 27, 63: « Seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore ». Certe ingens odium quod erga Dominum nutriebant, impediebat, quominus tempus brevius pro custodia sepulcri constituerent, quam secundum Iesu verba necessarium habebant. Nihilominus custodiam tantum usque ad tertiam diem (inclusive) expostulant. Certissimum ergo est, eos praedictionem Domini sensu proprio intellexisse.

b) Accedit ea ratio intrinseca, quod Iesus *terminos* « *tertia die* » et « *post tres dies et tres noctes* » *inter se convertit.* Iamvero, ut nemo negat, secundus terminus sensu proprio sumendus est atque illud tempus significat, quod inter primum et tertium diem interiacet; ergo etiam prior ille sensu proprio sumendus est.

c) *Etiam in V. T.* hi termini inter se convertuntur. V. g. 1 Reg. 30. 12 refertur, quendam Aegyptium non comedisse panem neque bibisse vinum « tribus diebus et tribus noctibus ». V. 13 vero refertur, hunc Aegyptium tantum nudius tertius a Domino suo relictum esse. Tob. 3, 10 narratur, Saram ieiunasse « tribus diebus et tribus noctibus ». Nihilominus ea secundum 3, 12 iam tertia die hoc ieiunium compleverat. Est. 4, 16 regina Esther suos hortatur: « Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus et ego... similiter ieiunabo et tunc ingrediar ad regem ». Intravit autem ad regem secundum 5, 1 « die tertio ».

d) Idem testatur versio LXX. Deut. 14, 28 habet « μετὰ τρία ἔτη ; 1, 12 vero de eadem temporis parte adhibet terminum ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ.

e) Ipsi Iudaei diserte principium ponunt: « Dies et nox constituunt tempus, et pars temporis est sicut totum ». Tract. Schabb. 12. 1.

f) Eadem est sententia exegetarum. Cf. Lightfoot, Hor. hebr. et talm. in Mt. 12, 40 Op. omnia Ultraj. 1690. II, p. 325. Filion in eundem. 1.

Ob. 8. — Si *apostoli audivissent vaticinia de resurrectione Domini sui tam cito secutura, non ita animo cecidissent* post passionem eius, ut Petrus eum negaret, caeteri fugerent. — *a*) Obiectio supponit, apostolos et intellexisse recte verba Domini et eorum, prout recte intellecta fuissent, recordatos esse. Iamvero vidimus, neutrum locum habuisse. *b*) Caeterum negatio et fuga *ex metu mortis vel perpessionum imminentium oriebantur.* Hic vero per se cum spe de triumpho Christi mox secuturo non pugnat.

Ob. 9. — Si Iesus praescivisset resurrectionem suam tam brevi locum habituram esse, *ipse in horto non potuisset esse immersus tanto dolori.* — *Tristitia* maxima de ingentibus malis praesentibus teste philosophia et experientia *componi potest cum certa spe de liberatione mox futura.* Iamvero mala quae animam Christi in horto affligebant immensa erant. De quibus cf. v. g. Stentrup, Christol. II, p. 1008; Knabenbauer, Mc. in 14, 36 p. 384, ubi alii auctores citantur.

Quoad destructionem Ierusalem.

Ob. 1. — « Tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre licet ». Unde assumi potest, *Mc. et Lc. prophetias de destruenda urbe ex eventu secuto sive formasse sive complesse.* Ad minus concedendum est: « Eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, (dicendum esse videtur), ipsius saltem evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum ». — *Primo,* nego *secundum traditionem hoc tempus tardius conscriptioni evangeliorum Mc. et Lc. attribui posse.* Cf. Introd. et Decr. Com. Bibl. 26 Iuni 1912 in Act. A. S.

1 Iulii 1912 p. 464. Affirmari debet « Evangelium Lucae praecessisse librum Actuum Apostolorum (Act. 1, 1-2) et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (Act. 28, 30-1), eiusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum ». Ib. resp. VII. Difficultates quas posuimus continent ad verbum ea, quae Com. Bibl. in resp. VI reiecit. *Secundo, etsi evangelia post eventum scripta essent, tamen nequaquam ideo affirmari posset, eos verba Domini non ita referre uti ea elocutus est,* atque uti ea in tot aliis prophetiis iam tunc temporis completis adamussim retulerunt. Obstat probata scientia et veracitas evangelistarum.

Ob. 2. — Iesus praedixit, Ierusalem tam funditus esse destruendam, ut hostes in ea « *non relinquant lapidem super lapidem* » Lc. 19, 44. At *adhuc tempore Cyrilli Hieros. rudera quaedam templi atque tempore Iuliani apostatae fundamenta inveniebantur.* Illud v. Cyr. Hier. cat. 15 n. 15 MG 33, 890-1, hoc Ammianus Marcellinus, Hist. l. 23 c. 1. Exstabant adhuc tempore S. Chrysost. Cf. adv. Iud. or. 5 n. 11 MG 48, 901. Porro Titus quasdam turres et partem muri non destruxit. Cf. Flav. Ios. Bel. iud. 7, 1. 1. — Haec *locutio emphatica* videtur iam impleri ea destructione quam refert Flav. Ios. l. c., in quo dicit: « Totum vero reliquum civitatis ambitum ita soli aequavere qui eum diruebant, ut ne quidem unquam habitatam fuisse vix fidem faceret eo accedentibus ». Qua ratione Romani secundum Flav. Ios. urbem funditus everterunt (κατασκάπτειν) ib. Non necesse est, eam espressionem omnino materialiter impleri.

Quoad parusiam Christi.

Ipsa difficultas primaria cum capitibus diversis, quibus eam probare student:

Obiicitur: Iesus praedixit, *se, adhuc superstite ea generatione Iudaeorum quae tunc vivebat,* ad iudicium universale esse rediturum. Iamvero hoc evidenter non accidit.

Maior probatur tum *singulis quibusdam textibus* quibus se venturum esse Dominus praedicit, tum indole doctrinae Iesu, qua vetuerit ullam curam rebus temporalibus impendi, ab instituenda auctoritate ecclesiastica abstinuerit etc., tum eo quod *apostoli* eandem doctrinam de parusia Domini docuisse dicuntur. — Haec ultima ratio tractatur in thesi de infallibilitate apostolorum; secunda partim in thesibus de ecclesia partim in aliis partibus theologiae sive specialis sive fundamentalis refutatur; unde hoc loco nonnisi prima refutanda est.

Singuli textus qui obiciuntur:

Ob. 1. — Iesus praedicavit Mt. 4, 17 « *Appropinquavit regnum Dei* ». — Nunc proxime instat, hac generatione vivente veniet regnum Dei, quod eschatologicum esset, n.; iamiam in *proximo est regnum Dei hic in terris fundandum,* ecclesia, quod utique in eschatologicum suo tempore mutabitur, c.

Ob. 2. — Mt. 16, 28: « Sunt *quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo* ». — Ad iudicandum orbem in universali iudicio, n.; « *quasi indutum regia sua dignitate* » (Zorell, Zahn), c. Quidam verba de transfiguratione, quidam de destructione Ierusalem, quidam de effectibus dominii Christi in ecclesia explicant. Attendendum est ad duplicem significationem vocis regni malkut, βασιλεία), abstractam et concretam, quae iterum in diversas dispescitur. Abstracta = regia potestas eiusve effectus, dignitas; concreta = ditio, populus unitus. Cf. Esther 5, 1: vestivit se malkut i. e. vestimentis regiis. De significationibus malkut, βασιλεία cf. Zorell. N. T. Lex. gr. ad v.; Zahn, Mt.[2] in 3, 2 p. 121-7.

Ob. 3. — Mt. 10, 23: « *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* ». Iamvero « civitates Israel » sunt civitates Palaestinenses; « non consummabitis » significat, nondum omnes civitates (sive praedicationis sive refugii inveniendi causa) visitaveritis; « venire » dicit parusiam. Ergo Dominus iamiam ad parusiam venturus est, quando apostoli adhuc in Palaestina conversioni concivium insistent. — Nego hanc explicationem. Praecipue *duplex* alia *explicatio* a probatis auctoribus proponitur.

Prima: *Civitates Israel* utique sunt civitates *Palaestinenses*. At *adventus Christi non est parusia sed quidam alius effectus eius potentiae,* qua apostolos ex angustiis persecutionis eripit. Rationes: Ita naturalis sensus expressionis « civitates Israel » retinetur. Porro « venire » Dei in V. T. diversos effectus specialis providentiae significat; cur ergo Dominus non ita loqui poterat?

Secunda: « Venire » Filii hominis significat parusiam. *Civitates Israel* significant eas *civitates in toto orbe, in quibus etiam Iudaei habitant.* Unde sensus est: Usque ad parusiam supererunt Iudaei, qui convertendi sint. Rationes pro hac explicatione: « Venire » Filii hominis apud Synopticos est terminus technicus pro parusia. « Civitates Israel » eam significationem universaliorem certe habere possunt. Imo eam habere debent. Nam v. 18 « in testimonium illis et *gentibus* » certe supponit, apostolos iamiam extra Palaestinam laboribus apostolicis insistere. Tandem ita hoc versu idem sensus habetur, quem Paulus docet Rom. 11, 27. — Hunc sensum statuunt v. g. S. Augustinus, e recentioribus Knabenbauer, Schanz.

Ob. 4. — Mt. 24, 34 Iesus ait: « Amen, dico vobis, quia *non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant* ». Iamvero « generatio haec » significat homines eius aetatis; « haec omnia » significat ea omnia de quibus inde a v. 4-32 sermo erat, in quibus sine dubio etiam de signis ante ultimum iudicium et de ultimo iudicio agitur. Ergo Iesus affirmat, *homines eius aetatis fore testes universalis iudicii.* Hic textus ab egregiis interpretibus diversam explicationem nactus est, quibus suam probabilitatem relinquimus. Praecipue attendendae sunt hae.

Sunt qui ita respondeant: Conc. ma. et primam partem minoris.

nego vero secundam. Scilicet, expressio « *haec omnia* » *ea sola respicit quae Dominus de destructione Ierusalem dixerat,* non vero omnia quae in sermone praecesserant, scilicet tum destructionem urbis tum iudicium universale. Rationes quaedam: oppositio inter: « *haec* omnia » v. 33 et 34 et « de die autem *illa* » v. 36, quae certe iudicium universale significat. Porro collatio inter v. 3 « haec », scilicet, quae in v. 2 de destructione Ierusalem dicta erant, et v. 34 « omnia haec ». Tandem « generatio *haec* » semper significat praesentem aetatem.

Alii textum ita interpretantur: « *Generatio haec* » *significat iudaicam nationem:* « omnia haec » signa tum ante destructionem Ierusalem eamque ipsam tum signa ante ultimum iudicium illudque ipsum. Rationes: « Generatio » simpliciter saepe gentem iudaicam significat; cur non cum addito « haec »? « Omnia haec » in versu 33 et 34 non potest referri ad ea sola quae in decursu sermonis de destructione urbis dicta sunt. Oppositio non est inter « haec » et « illa » sed inter « *omnia* » haec quae Iesus antea commemoraverat, et « illam » diem *solam.* Sensus ergo enuntiat id novi, *iudaicam nationem usque ad finem mundi permansuram esse.* Cf. Rom. 11, 12. — Alii etiam aliter.

Ob. 5. — Iesus Mt. 24, 44 ait: « *Estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est* ». Quo textu ex una parte tum apostolis viventibus tum omnibus hominibus post eos uti rationem vigilantiae seu praeparationis ad iudicium divinum assignat: « quia qua nescitis hora Filius hominis veniet ». Ex alia parte his verbis de parusia loquitur. Ergo *Iesus docet suam parusiam forte apostolis viventibus locum habituram esse vel eam forte quovis temporis puncto venturam esse.* — Loquitur de solo actu ultimi iudicii, n.; *loquitur de solo ultimo iudicio pro iis qui eo veniente vivent, de iudicio vero in articulo mortis pro iis, qui antea moriuntur, c.*

Rationes, cur eadem locutio has diversas hominum classes complectatur hae videntur esse. Primo, non sumus certi quando moriemur. Secundo, eadem est praeparatio ad mortem, atque ad ultimum iudicium, quia tales inveniemur in iudicio universali, quales inventi sumus in morte. Tertio, iudicium universale nonnisi repetit solemniter, omnibus manifestat, ob resurrectionem factam ad ipsum corporis statum applicat eam sententiam iudicis, quae iam in particulari iudicio lata erat. Optime ergo una locutio complectitur et *actum praeparatorium qui necessario ad actum ultimum transmittit, et actum completum, qui praeparatorium confirmat, manifestat atque quasi complet.*

Idem habet Aug. ep. 199 ad Hesychium de fine saeculi c. 1 ML 33. 906: « . . . Cur itaque omnibus dicit quod ad eos solos pertineat qui tunc [in universali iudicio] erunt, nisi quia eo modo ad omnes pertinet. quomodo dixi? Tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis christianus ne imparatum inveniat eum

Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suae vitae huius ultimus dies ».

Propositio 15. — Constat de veritate philosophica vaticiniorum Christo.

Arg. — Ex auctoritate humana Christi.

Iesus originem praeternaturalem (imo divinam; cf. verit. theol.) suorum vaticiniorum *affirmavit* primo eo quod *omnia sua verba* ad Deum ut causam praeternaturalem reduxit; secundo eo quod prophetias suas uti *motiva credibilitatis* adhibuit; tertio eo quod speciatim omnes prophetias *e Spiritu* repetit Io. 16, 73: « Ille (i. e. Spiritus veritatis) quae ventura sunt annuntiabit vobis », ipsum Spiritum vero a se illam scientiam accepisse affirmat: « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis » Io. 16, 14.

Iamvero si Christus in hac re tanti momenti decepisset, malus fuisset, si deceptus fuisset, in his prophetiis, quae tam frequentes erant, tantopere circa suam operationem Messianicam versabantur, vere stultus fuisset atque insanus. Haec autem a Christo aliena erant. Cf. Rep. p. 117-9.

Arg. — E natura rei.

Argumentum sumimus ex impossibilitate praevisionis naturalis, vel convenientiae accidentalis inter verba Christi et eventus.

Eventus illi praevideri non poterant viribus humanis.

1) Ea facta particularia quae Iesus praedixit, absoluta cum certitudine praedixit. Iamvero eiusmodi facta ad summum nonnisi magna cum verisimilitudine praedici possunt.

2) Plurima *futura libera cum talibus determinationibus* praedixit, quales nullo modo in circumstantiis vel in inclinationibus liberae voluntatis praecognosci possunt. — V. g. si negationem Petri respicis, unde sciri poterat eum non obstante fuga sua quam Dominus etiam praedixerat, in talibus periculis fore constitutum; eum quamvis, loquente ad eum Domino, plenus fervore esset, tantae ignaviae cessurum esse; eum non tantum a

Christo recessurum esse, verum etiam negaturum esse, se nosse hunc hominem; eum hac nocte negaturum esse, non semel vel bis sed ter, non ante gallicinium neque postea, sed ipsis gallicinii horis? — Quot voluntates liberae determinatissimae praevidentur illo uno vaticinio, Christi integram religionem per totum orbem propagandam atque immutabiliter conservandam esse! Etc.

3) Accedit quod multa ex iis quae Iesus praedixit *longe erant ab humana expectatione,* v. g. infidelitas Iudaicae nationis usque ad finem mundi, ethnicis populis antea in ecclesiam ingredientibus.

4) Plurima alia, quae praedixit, *miracula moralia* sunt, uti ea quae de ecclesiae propagatione atque fructibus praedicta sunt. Cf. Rep. sectio 4ª mox proponenda. Multa quoque miracula *physica* praedicta sunt, uti in conspectu vaticiniorum vidimus. Iamvero patet, miracula in naturalibus rerum dispositionibus praevideri non posse.

Eventus illi non sunt hausti e vaticiniis prophetarum anteriorum.

Non negamus, quaedam ex iis, quae Iesus vaticinatus est, si solam materiam respicis, potuisse hauriri ex prophetis antecedentibus, v. g. mortem violentam Christi. At de facto Iesus ipse omnia e suo sibi proprio lumine divino hausit. Etenim

1) *Multa facta* e prophetis V. T. *cognosci nullo modo poterat,* v. g. martyrium Petri, ecclesiam supra Petrum aedificandam esse.

2) Multa quoad substantiam quidem e V. T. hauriri poterat, non vero *quoad circumstiantias* quas Christus praedixit. V. g. e Daniel 9, 27 concludi quidem poterat, Ierusalem esse destruendam, non vero eam vallo esse cingendam. Iamvero sat innaturale est, Deum animae Christi lumen supernaturale indidisse ad cognoscendas circumstantias factorum, pro ipsis factis vero cognoscendis eum ad libros V. T. remisisse.

3) Iesus, quod caput est, *ad omnia vaticinia sua uti ad motiva credibilitatis provocat.* Ergo omnia sine discrimine lumini supernaturali ascribit.

Ob. 1. — Ob tot exempla in historia populi Israelitici, porro ob odium semper crescens procerum erga Iesum, ob conspirationem erga

eum iam factam, *Iesus sane fortissime coniectare poterat, se mox esse occidendum.* — *a*) Cum absoluta certitudine mortem suam violentam praedixit. Quid *si antea mortuus esset? b*) *Statim ab initio vitae publicae* suam violentam mortem eamque crucis praedixit Cf. Io. 3, 15. *c*) Unde scire poterat *tam determinatas circumstantias,* v. g. se non esse tumultuarie occidendum idque lapidatione, prout id Stephano accidit, praesertim cum Iudaei diversis vicibus ante ob blasphemiam eum lapidare voluerint, atque ipse quoque ob blasphemiam mortis condemnatus sit, etc. Unde, se a gentibus condemnandum esse, cum eae usque ad id tempus nullum impedimentum ei creassent? Quam parva fuerit spes Iudaeorum, Iesum fore a Pilato condemandum, patet ex multis quae Pilatus eorum petitioni opposuit. Etc.

Ob. 2. — Iesus de causa sua desperaverat. Iamvero *Iudas Iscariotes optimus eius amicus erat* Unde *ne res sua quasi tabescendo moreretur* atque ipse quoque aeternae oblivioni daretur, *cum eo composuit, ut ab eo Iudaeis traderetur* atque ita martyrii gloria circumdatus rem suam ad victoriam ducere posset. Quibus rebus stantibus sane proditionem Iudae facile « praedicere » poterat. -- Impia haec inventio hausta est e vitis Christi vel potius *e fabulis Romanensibus* de vita Christi, quales a Venturini atque similibus conscriptae sunt. Ab ipsis cordatis e Rationalistis rideri solet.

Ob. 3. — Iesus ipse prophetiis suis *provocavit ad vaticinia V. T.*, v. g. Lc. 18, 31 pro passione sua ; 26, 31 pro fuga discipulorum, etc. — Ad eum finem ut doceret, se suam cognitionem ex iis hausisse, n. ; *ut aliquando monstraret eadem quae ipse praedicat iamiam in V. T. praenuntiata esse,* c.

Propositio 16. — Constat de veritate theologica vaticiniorum Christi.

Evidens est, eam cognitionem, quae determinatas hominum liberas voluntates cum omnimoda certitudine tenet, non posse ultimatim ab ulla causa creata procedere. At cum de veritate theologica vaticiniorum probanda agitur, non tantum probandum est, eam praescientiam, de qua sermo est, esse huiusmodi, verum etiam demonstrandum est, eam non fuisse a Deo primo alicui spiritui communicatam, qui eam nomine proprio homini communicaverit, sive bonus ille spiritus fuerit, sive indifferens, sive malus (cfr. Tract. de revel. in gen. prop. 23 n. 125). Hae conditiones pro veritate theol. vaticiniorum in vaticiniis Christi evidenter explentur. Id constat

Ex auctoritate.

1) *Ipse Christus* totam suam doctrinam, atque proinde etiam vaticiniorum tum cognitionem tum elocutionem ad Deum uti causam reduxit. Cf. Rep. p. 92-5. Id quod *saltem* de Deo *ut causa morali* intelligendum est.

At Iesus sua vaticinia ad Deum *ut unicam causam physicam* reduxit. Etenim diversis vicibus professus est, se universa quae docebat, in Deo viso videre, ergo nulla angelorum mediatione ea percipere. Quae veritas cum alio loco in dogmate ex professo tractetur, hos locos breviter accipe: Io. 6, 46: « Non quia Patrem vidit quisquam (ex hominibus), nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem ». 8, 38: « Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis ». E quo loco etiam patet, Iesum in humana sua natura, in qua docebat, hanc cognitionem habuisse. Qualis naturae sit illa visio Dei praecipue sume ex Io. 1, 18: « Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris (Patri aequalis, ipse eum vidit, et proinde eum uti talem) ipse enarravit ». Cf. dissertationem optimam Toleti ad h. l. in Com. ad Io.

2) *Homines sapientes omnium aetatum* ad vaticinia Christi uti ad sigillum *divinum* eius legationis provocarunt.

E natura operis.

Si vaticinia solum in se ipsis considerantur.

Uti vidimus Rep. p. 50-2 miracula iam tunc ad Deum ut causam saltem moralem reducenda sunt, si ea ex una parte saltem externe ad legationem alicuius probandam referuntur, si porro ex alia parte in iis nullum signum debilitatis, malitiae, defectus sapientiae apparet, sed omnia ad Dei potentiam, sanctitatem, sapientiam commendandam conferunt. Etenim rationes, quas in eo loco pro argumento e miraculis ita instituendo attulimus, non minus pro aliis actionibus miraculosis valent. — Iamvero in vaticiniis Christi, simili ratione atque in miraculis Christi (cf. Rep. p. 132-4):

1) *Deest signum omne debilitatis.* — Nulla potestas ap-

paret, quae vaticiniorum Christi aut cognitionem aut elocutionem impedire potuerit.

2) *Desunt signa malitiae, imo omnia sanctitatis plena sunt.* — Praeterquam quod, sicut in miraculis Christi, doctrina ad quam probandam referuntur et persona a qua proferuntur, sanctitate eminent; *in ipsis vaticiniis nihil mali* unquam continetur. — *Finem* si respicis non eduntur ad ullum finem malum vel saltem profanum, sed tantum ad id ut diversis modis eam doctrinam eumque legatum Dei commendent, a quo cognitio de Deo uno atque sanctitas in toto mundo sparsa est. Qui modi in sequenti parte de veritate relativa enumerantur. — *Modus* ea edicendi is est, ut ea, sicut omnia verba sua, data opera ad Deum referret. — *Effectus* tandem: quod multum adiuvarunt ad religionem hanc sanctissimam et persuasionem de perfectionibus Dei in mundo firmandam.

3) *Desunt signa insipientiae, imo omnia in iis plena sunt sapientia,* ita uti quasi quodquam speculum sint infinitae Dei sapientiae. — *Nihil falsi* in illis unquam demonstrari poterat, quamvis tot eventus in iis praedicti sint. Praedixerunt *res plurimas;* res *omnis generis:* physicas, morales, naturales, miraculosas, res quae *prope* erant, res quae in plurimis *saeculis futuris* latebant. — Formant systema praedicationum optime tum inter se connexum tum mira coniunctione cum vaticiniis V. T. sociatum. *Inter se connexa* sunt. Nam omnia, quae magni momenti sunt in vita redemptoris vaticiniis illustrantur. ingressus regius in urbem; coena paschalis, in qua tanta mysteria instituit; praecipue vero mors, qua nos redemit, resurrectio et ascensio qua redemptionem complevit; ecclesia, qua suam redemptionem nobis applicat; parusia in qua tum regis tum redemptoris munus ad culmen perducet. *Cum vaticiniis V. T.* connexa sunt. Etenim ea quae illa de Messianicis temporibus annuntiant, complent atque determinant.

E natura personae quae vaticinia edidit.

Si iam aliunde probatum supponitur, humanam naturam Iesu Christi in unitatem personae Verbi esse assumptam, novum argumentum habetur, pro assertione, Iesum vaticinia sua non immediate ab angelis et tantum mediate a Deo sed pror-

sus immediate a Deo accepisse. Etenim theologi docent, animam Verbi in experimentalibus quidem a rebus creatis perficiendam fuisse quoad scientiam acquisitam, in iis vero quae talia non sunt debuisse immediate a Deo illustrari. Cf. S. Th. 3 qu. 12 a. 4; Suarez ad hunc locum.

Propositio 17. — Constat de veritate relativa vaticiniorum Christi. — *Cf. Rep. p. 52-4.*

E verbis Christi.

1) Iesus L. 22, 29 *explicite* praeditionem traditionis Iudae ad id retulit ut testimonium suum de se ipso probaretur: « Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, *credatis quia ego sum* » scilicet is quem me esse dixi. De hac significatione termini « quia ego sum » cf. Io. 8, 24.

2) Io. 5, 36 opera, i. e. miracula sua, ea opera « quae nemo alius fecit » 15, 24, *ad suam legationem probandam retulit* (cf. Rep. p. 134-7). Quae certe non in tantum probant, in quantum in ordine physico versantur, sed in tantum, in quantum et visibilia et praeternaturalia sunt. Iamvero utrumque elementum etiam pro prophetiis valet. Praeterea multae *prophetiae cum miraculis in unum quoddam morale concretae erant.* Cf. quae diximus Rep. p. 151-2. Unde Iesus provocando ad miracula, *implicite* etiam ad multas prophetias provocasse videtur. — Imo Ottiger I p. 756-7 putat, terminum illum generalem « opera », scilicet miraculosa, complecti omnia facta insignia a Cristo edita, ergo etiam omnes prophetias saltem si eventu iam completae spectantur.

E natura vaticiniorum Christi.

1) *Favores extraordinarii* divinitus dati ei homini, qui affirmat, vitae suae finem legatione divina absolvi, ad eum finem a Deo referuntur. Iamvero *ea series vaticiniorum maximorum sane inter favores extraordinarios providentiae divinae Christo collatos numeranda est.* Ergo.

2) Deo indignum est, medio obiective falso felicem statum religionis christianae promovere. Iamvero persuasione de veritate vaticiniorum Christi *fides et vita christiana de facto multis modis adiuta est.*

3) *Obiectum vaticiniorum* est praecipue mors, resurrectio, opus Christi seu ecclesia, poena inimicorum Christi et ecclesiae. Ergo *ea* iis glorificantur, *quibus Iesus legationem suam qua est redemptor, doctor, rex divinitus missus toti generi humano,* quam *maxime exercet atque applicat.* Ergo Deus iis vaticiniis legationem Christi commendat. Ergo ea obiectiva veritate nititur.

Ex auctoritate apologetarum.

Hi enim inde ab initio vaticiniis Christi usi sunt ad eius legislationem probandam. Cf. litteratura in tract. De theologia generatim p. 277-8.

Sectio IV. — De argumento e miraculis moralibus.

Divina religionis christianae origo demonstratur mira morum immutatione, quae in regno Romanorum usque ad initia regni Constantini Magni locum habuit.

[***Qual.*** — Certa ob argumenta; communissima. — Conc. Vat. 1794 definit valorem argumenti similis, at generalioris].

Adv. — Gibbon, Baur, Renan, Havet, Harnack etc.

Expl. term. — Immediate ex argumentis sequitur, *id quod credebant Christiani,* debuisse *esse a Deo revelatum.* Inter quae sane principalem locum tenet *testimonium Christi de se ipso,* in quo testimonio probando versamur. — *Mores* intelligimus et ipsos *actus voluntatis* cum suis debitis complementis, et *persuasiones, in quantum a voluntate pendent.* — *Regnum Romanorum* eas terras dicimus, quae a mari Atlantico usque ad Euphraten, ab oris septentrionalibus Galliae usque ad deserta Africae atque cataractas Nili extenduntur. Numerus habitatorum a doctis diversa ratione recensentur a millionibus c. 50 usque ad c. 100. *Constantinus* solus regnavit inde ab anno 312.

Ratio cur thesis pro tempore ante Constantinum ponatur, in eo est, quod et miraculum morale iis temporibus speciatim fulgebat, et adversarii religionis contra miraculum morale sociale iis temporibus attributum multis modis insurgunt.

Propositio 18. — Constat de veritate historica maximae mutationis morum.

Pars. I. — Extensio mutationis.

Numerus Christianorum.

Statistica quaedam. — *Saltem fere dimidia pars* hominum christianismum profitebatur in Armenia, ubi erat religio status, Edessa, Asia minore, Europa (parte Thraciae). — *Magna pars* in Antiochia et Caelesyria, Cypro, Alexandriae, in Aegypto atque Thebaide, oris Achaiae, Thessaliae, Macedoniae cum insulis, Gallia meridionali, Romae, in Italia inferiore, partibus Italiae mediae, Africa consulari et Numidia, Hispania. — *Minor omnino pars* quam in provinciis secundo loco recensitis inveniebatur in maiore parte caeterarum provinciarum.

Testimonium generale Maximini Dazae. — In rescripto ad Sabinum ait Diocletianum et Maximianum vidisse « *cunctos fere homines* relicto deorum immortalium cultu ad Christianorum sectam se applicuisse ».

Conditio Christianorum et vitae status.

Inter Iudaeos. — Ipso tempore apostolico « multi » e sacerdotibus cultisque hominibus Christi fidem suscipiebant, inter quos erat S. Paulus.

Inter Gentiles. — *Tempore apostolico* v. g. Sergius Paulus, Dionysius Areopagita, Aquila eiusque uxor Prisca, Thessalonicae atque Beroeae non paucae « matronae nobiles », in Bithynia « multi omnis ordinis », Romae e genere Domitiani Titus Flavius Clemens consul eiusque uxor Domitilla, alii nobiles, uti ex inscriptionibus in catacumba Domitillae eruitur.

Posteriore tempore. — Romae sat multos *divites et nobiles* se Christianis addixisse supponit v. g. Hermas. Inter quos erat Apollonius, plures e gente Pomponia. Idem secundum Eusebium l. 5 c. 2 dic de tempore Commodi. — Saeculo 3 in ipsa aula imperatoria multi Caesarini Christiani erant, praecipue sub Alexandro Severo et Philippo, qui cognominatur Arabs, et primis Diocletiani temporibus. Quo imperante Christo iamiam adhae-

rebant praesides provinciarum; porro magna pars ipsius aulae imperatoriae, ipsa Diocletiani uxor et filia.

Doctrina animi atque cultura praestabant multi ex iis, quos recensuimus. Adiungatur iis v. g. Iustinus philosophus; Tertullianus, celeberrimus iureconsultus; Origenes, qui omnium, etiam ethnicorum, oculos mirabili sua doctrina et eruditione in se attraxit. Recole episcopos ut S. Cyprianum, Dionysium Alexandrinum; longam seriem apologetarum praecipue inter Graecos. Cf. Tract. De ipsa theol. p. 43-8.

Pars II. — Intensio mutationis.

Testimonia quaedam generalia.

Origenes c. C. 3, 29: « Deus effecit ut *ubique terrarum ad convertendos corrigendosque* homines evangelium Iesu praepolleret... in mundo tamquam luminaria sunt. Ecquis enim non fatetur eos, *qui in ecclesia deteriores sunt, et in meliorum comparatione peiores, praestantiores esse multis eorum, qui in popularibus coetibus vivunt?* » Enumeratis criminibus achristianorum affirmat 4, 27, haec apud Christianos non esse, aut, *si, inveniuntur, non certe inter eos qui ad coetum conveniunt, qui precibus publicis intersunt nec ab illis arcentur;* nisi forte quis inter alios furtim irrepsisse deprehendatur.

Plinius: Ep. X, 96 testatur, *se nullum eorum criminum, quorum Christiani accusabantur, in iis invenire potuisse,* nisi immodicam superstitionem. Qua voce veram religionem christianam designat. Eos « se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent ».

Singula quaedam.

Relationes ad Deum.

Obiectum cultus.

Christiani solum Deum cultu latriae colebant, sanctos cultu duliae.

Sacerdotes vero *ethnici* collegiis inter se uniti, oraculis, auguriis, mysteriis, ritu non raro obscoeno homines in *Polytheismo*

retinere curabant. — *Respublica* ad cultum numinum patriorum ut status publici fundamentum, ad cultum ipsorum imperatorum *impellebat.* — Qui cultus *cum omnibus quasi vitiis* nexu indissolubili *coniunctus* erat. — Denique hic cultus *cum ipsis institutionibus atque gaudis per se honestis* in concreto connexus erat, uti cum theatris, servitio militari, tribunalibus etc. Ipsi *diaboli* oraculis suis ad bellum contra Christianos excitabant.

Modus cultus.

Inter Christianos cultus praecipuus exercebatur per virtutes theologicas, e quibus speciatim consideramus fidem.

Motivum formale fidei.

Auctoritas Dei erat motivum fidei. — Ne hanc amplecterentur, generatim *opponebatur superbia* humana; speciatim *eo tempore; animi cultura* praecipue e parte nobilium, philosophorum, ad superbiam inclinans; late regnans *scepticismus; mysticismus* falsus, quo Neoplatonici fucatae revelationi favebant.

Quae auctoritas Dei praeterea *proponebatur per homines:* per prophetas, qui Christi revelationem praeparaverant; per ipsum Christum verum hominem eiusque apostolos; per episcopos ut huius veritates infallibiles custodes. Qui homo Christus, uti nuntii praecipui caeteri primi religionis christianae, erat *peregrinus, barbarus, iudaeus, faber incultus, a gente sua reiectus.* Quas singulas circumstantias hominibus eius temporis non paucas difficultates creasse, ex scriptis apologetarum clare scimus.

Obligationem veram haec religio imponebat, ut scilicet haec omnia crederentur, omnia contraria damnarentur. Id quod *aetati syncretisticae vehementer displicebat.*

Ut via unica ad salutem aeternam proponebatur. Unde ethnicos etiam bonae voluntatis pulsabat anxia cura, *quid esset de parentibus,* de toto humano genere ante hanc religionem exortam defunctis.

Materia fidei seu veritates credendae.

Omnibus eadem doctrina proponebatur. Id quod plurimis, praecipue cultis, *verae sapientiae derogare videbatur.* Unde plebem christianam uti gentem « in angulis garrulam » despiciebant. Cf. v. g. Iust. Apol. II, 10

Singulas veritates credendas si respicimus, credenda erant mysteria maxima. Quoad *Deum:* Trinitas, incarnatio, quae quantopere difficilia visa fuerint, sectae antitrinitariae demonstrant. — Quoad ipsum *hominem:* resurrectio futura, aeternitas poenarum. Utraque veritas plurimos habebat osores. *Veritatis practicae* proponebantur *plurimae atque difficillimae* idque ipsis catechumenis: plurimae virtutes exercendae, vitia omnia fugienda. Quae uti semper ita praecipue ea aetate difficillime credebantur, quae moribus atque persuasionibus corruptissima erat. Quam difficultatem ex parte credendorum apologetae saepe extollunt. — Inter res plurimas credendas *non paucae* erant quae, uti multa in Scriptura, *inter se pugnare* iam ethnicis *videbantur*. Quae Celsus, Porphyrius, alii obiciebant.

Bellum extrinsecum contra fidem.

Hoc bellum multum augebat eas difficultates fidei intrinsecas, quas hucusque exposuimus.

Iudaei *conviciis* doctrinam christianam persequi solebant, *difficultates scientificas* e V. T. movebant.

Haeretici *diversae speciei,* uti Gnostici, Montanistae, Antitrinitarii, Novatiani atque similes, Manichaei *plurima scripta* componebant contra diversissimas verae religionis doctrinas, easque principales. Porro quia ipsi quoque ut Christianos se dabant, ipsum nomen christianum risui exponebant, ob vitia saepe infamia asseclarum suorum veram Christianorum virtutem suspectam reddebant.

Ethnicorum animis plurimae *calumniae* de religione christiana quasi insculptae inhaerebant. Erant autem relate ad Deum *atheismus, cultus capitis asinini, magia.* Relate ad proximos *libera sexuum permixtio* in conventibus religiosis, *infantium occisio atque devoratio.* Relate ad statum civilem, esse eos *inimicos civitatis,* quippe qui deos, incolumitatis auctores, non venerarentur, imo ex hac omissione omnia mala a diis iratis inflicta oriri; eos esse reos criminis laesae maiestatis, quippe qui imperatorum numina non colerent.

Plurima alia contra religionem christianam, quaeque difficiliora saepe videri poterant, protulerunt *scriptores* Fronto, Lucianus, Celsus, Porphyrius, Hierocles, generatim Neophythago-

raei, Neoplatonici. *Ethnicismum* vero benigne interpretari atque in *Christianismum quendam non dogmaticum,* simillimum ei qui hodie late regnat, *trasformare studebant.*

Speciatim ipsa **confessio fidei** maximam fortitudinem requirebat. Ob eam enim Christiani sustinebant maximas perpessiones tum ex parte familiae, praecipue si filii vel uxores Christum sequebantur, tum *ex parte republicae.* Etenim

1) Ob facillimam cooperationem ad idololatriam vel eius instans periculum, *a multis officiis,* statibus, honoribus, divitiis, quasi necessario *excludebantur,* vel si ea officia habebant, in continuis periculis versabantur. Unde media in pace ecclesiae martyria militum christianorum inveniuntur.

2) Diversis *modis violentis a fide profitenda abducebantur.* Morti tradebantur sive ob ipsam fidem Christianam profitendam, sive ob aliquid, quod cum ea inseparabili modo erat connexum. Modus iuridicus procedendi contra eos diversus esse poterat, *Edicta* severiora ediderunt contra Christianos Nero, Traianus, Mc. Aurelius, Septimius, Maximinus Thrax, Decius Traianus, Valerianus, Diocletianus. — Persecutionum effectus hi erant: *Millia omnis sexus, aetatis, conditionis,* sive fortunis spoliabantur sive ad carceres atque metalla damnabantur; millia mortis crudelissimae poena plectebantur; generatim animi eorum qui Christiani fiebant vel ut tales se confitebantur, ad acerbissima sustinenda parati esse debebant.

Nobilissima omnium virtutum *moralium* est *religio.* Quam monstrabant cultu frequentissimo, precibus continuis, quibus coelestia bona postulabant.

Relationes ad homines.

Quoad omnes virtutes simul.

α) Eas exercebant *ob Deum,* uti saepe v. g. de eleemosynis premitur a Cypr. « de opere et eleemos. ». Virginitatem ideo colebant ut facilius Deo atque ecclesiae servirent. Premi vero solebat motivum timoris Dei aeterna poena plectentis, spei aeternae beatitudinis resurrectione consequendae, caritatis. — β) Debita cum *prudentia* eas colebant. Quae praecipue ex eo elucet, quod opera caritatis coniungebant cum debita sui abnegatione,

eleemosynam cum iniuncto laboris manuum officio, desiderium mortem pro Christo subiendi cum vetito, ne se ipsi proderent iudici.

Quoad singulas quasdam virtutes.

Caritas. — 1) *Subsidiis* sustentabant *episcopos suos et doctores, pauperes christianos* qui laborare non poterant, viduas, pupillos. Iuvabant eos, qui ob susceptam religionem christianam officiis suis valedicere debebant vel *in carceribus atque fodinis* miseram vitam agebant. E pluribus exemplis sume hoc: Ecclesia Carthaginiensis teste Cypr. ep. 60, ut Christianos a latronibus Numidicis abreptos redimeret, celerrime c. 20,000 libell. ital. collegit atque ad plura largienda parata erat. — Quam maxime florebant hospitalitatis officia, quae ob pericula fidei in commercio cum ethnicis tanti momenti erant. — Quae caritas etiam *alienas ecclesias* ordinario modo amplectebatur. Ita Antiocheni adiutorium praestiterunt Palaestinensibus. Romana ecclesia ecclesiis in toto orbe haud paucas eleemosynas mittere solebat. Cf. quae in epistolis Dionysii Corinthii, Dionysii Alexandrini referuntur.

2) At quod plus est, *se ipsos* aliorum curae impendebant. Saepe *ieiunabant,* ut haberent quod darent. Diaconi *pauperum* domos visitabant eosque, praecipue senes, fovebant. — Imprimis viduae atque in Oriente diaconissae *infirmos* visitabant et curabant. *Peste infectis* etiam ethnicis, qui a suis saepe derelicti erant, cum ipsius vitae periculo ministrabant, in quo officio non pauci mortui sunt. Exempla habes apud Euseb. 7, 22; Pontium, Vit. Cypr. 9. Similia in magna fame et peste sub Maximino Daza Christianos fecisse refert Euseb. 9, 8 — *Pueros egenos* praecipue pupillos atque eos *qui expositi fuerant,* educabant. Id quod ipsa nomina multorum, qui in catacumbis sepulti sunt testantur. — Non raro etiam a dissitis regionibus veniebant ad *carceres* ut inclusos ob testimonium fidei foverent. Quae servitia tam frequentia erant, tam cognita, ut Licinius ea legibus inhiberet.

Castitas. — Castitatem *in matrimonio* uti in aliis statibus Christiani magna cura servabant. E testibus v. g.: Aristides, Apolog. 17, 2 affirmat, Christianos *liberos esse a criminibus*

contra naturam, quibus Graeci atque Romani tantopere indulgebant. Iustin., Apol. I, 15.

Virginitatem quod spectat: *multi utriusque sexus* in omnibus ecclesiae partibus *per totam vitam* a matrimonio, virginitate servata, abstinebant. Imo iam *statum quendam publicum* in ecclesia formabant.

Infantes. — Christiani non tantum non exponebant infantes, verum non raro eos ipsos quos Ethnici exposuerant colligebant eosque saepe adoptabant. Qui infantes saepe sub directione episcopi simul educabantur. Eodem odio quo expositionem infantum etiam abortum prosequebantur; cf. v. g. Athenagoras 35.

Servi. — *Baptismatis, sacerdotii* (etiam ante liberationem a servitute), *ipsius episcopatus* participes fieri poterant. *Matrimonio* iungebantur, idque ita, ut communes unitatis atque indissolubilitatis leges etiam pro ipsis valerent. — Ecclesia servos ad omnem etiam heroicam virtutem educavit.

Status civilis. — Quamvis saepissime iniuste vexarentur, Christiani tamen debita obedientia societatem publicam prosequebantur. Praecipue vitium illud debellabant, quod digno humanae naturae statui atque vero reipublicae bono tantopere repugnat, *servilismum, despotismum.*

Ecclesia. — In rebus directe spiritualibus *Christiani subiecti erant* episcopis atque severae disciplinae ecclesiasticae. Qui episcopi aliquando e statu inferiori imo servili atque iuniores aetate erant. Quibus etiam in rebus fidei obediebant. *Episcopi* vero, uti historici concedunt, *generatim officia* sua, quae ea aetate saepe cum maximis difficultatibus coniuncta erant, cum iactura omnium bonorum huius vitae *fideliter explebant.*

Pro conversione ethnicorum Christiani plurima egerunt. Iam iis temporibus *scholas* instituerant, quae praecipue ethnicis instruendis destinatae essent. Ita Edessae pro Persis; Alexandriae, ubi Pantaenus, Clemens, Origenes, has scholas regebant. Magno fervore multi superiores ecclesiastici conversioni ethnicorum incumbebant. Recole S. Gregorium Thaumaturgum. Denique etiam ex iis temporibus referuntur *missionarii,* qui ad ethnicas partes, solius evangelii praedicandi gratia, proficiscebantur. Hi omnia sua vendere solebant. Cf. Orig. c. C. 3, 9; Euseb. 3, 37, 2.

Obiectiones contra eam rationem, qua terminus a quo in thesi exhibitus est.

Ob. 1. — *Cultura* Graecorum et Romanorum sane *praeclarissima* erat! — Abundabant *bonis quibusdam secundariis humanae vitae,* quae ad finem eius minimi momenti sunt, c.; habebant bona primaria, quae ad finem hominis maximi momenti sunt, n. De qua distinctione cf. De Rep. p. 79-80.

Ob. 2. — Doctrinae Stoicismi, Neoplatonismi optimae erant. — Haec difficultas aliaeque multae similes, praeoccupatae sunt iis quae in arg. primo partis sequentis de veritate philosophica et theologica dicemus.

Obiectiones contra eam rationem, qua terminum ad quem in thesi exhibuimus.

Ob. 1. — *Omisimus ea peccata,* quae etiam in Christianis iis temporibus inveniebantur. Praeterea *bona potuissent esse etiam magis extraordinaria* atque universalia. – Merito haec aliaque similia non consideravimus. Ea *mala* quae in quibusdam inveniebantur, *non possunt impedire, quominus ea bona* quae aderant, *vires naturae superaverint.* Imo suo modo conferunt, ut rationem miraculi moralis etiam magis manifestam faciant. Nam evidens reddunt, ipsam naturam humanam in se iis temporibus non minus ad sensibilia inclinatam fuisse, quam in genere alias. — *Neque miraculum morale eo tollitur, quod etiam splendidius cogitare quis posset.*

Ob. 2. — Secundum Salvianum *regnum Romanum saeculi quinti,* quod tamen christianum erat, *renovandum erat ipsis barbarorum moribus.* Ergone tam cito res mutatae erant? — *a*) *Facile explicatur, cur in Christianis saeculi 5 multo plura mala inventa fuerint* quam inde a saeculo primo usque ad tertium. In causa erant: pax diuturna; ethnicorum plurima turba conversa, quorum emendatio a moribus ethnicis lento passu progrediebatur; turbatus omnis ordo frequentibus barbarorum incursibus, etc. *b*) Salvianus probare intendit, etiam Christianos a Deo iuste ob peccata sua affligi. *Bona eorum silentio premit.* Erant tamen iis temporibus plurimi sancti sacerdotes (Cf. v. g. Aug. de morib. eccl. cath. et Manich.); millia fortissimorum martyrum in ipsa persecutione Vandalorum; is populi christiani status, ut « *quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis* (*ethnicis*), tamen non usque adeo se a delictis putent alienos, ut nec temporalia pro iis mala perpeti iudicent dignos » (Aug. de civ. Dei l. 1 c. 9 n. 1). Erat is rei publicae christianae vigor, ut Christiani ipsos barbaros ad religionem christianam converterint. *c*) Caeterim Salvianus l. 3 c. 1 de Christianorum emendatione spem concipit; *quod vero paganis loquitur,* « *profuturum esse desperat* » (Similes difficultates v. De revel. christ. Lith. p. 51-6).

Propositio 19. — Constat de veritate philosophica et theologica huius mutationis.

Utramque hanc veritatem simul probamus *per modum unius*. — Et sane spiritum malum in hoc effectu producendo excludi, evidenter patet. Nam primo haec mutatio ex ipsa eius essentia ex integro *finibus mali spiritus opposita* est. Deinde ii, in quibus hae virtutes resplenduerunt, uti in vitis et moribus eorum gloriosis patet, *ad Deum verum recurrebant, ut robur* pro tali vitae et mortis genere *acciperent*. Unde probata veritate philosophica huius mutationis veritas eius theologica iam certa est.

Arg. I. — E refutatione causarum naturalium, quas adversarii afferunt.

A priori.

Ob. — *Omne phaenomenon historicum historice*, i. e. e causis naturalibus *explicandum est*. — Obiectio nihil est nisi applicatio principii aprioristici « *Miracula fieri nequeunt* » ad ordinem miraculorum moralium.

E parte causae efficientis.

Ob. 1. — *Unitas rei politicae* atque *culturae* Romanorum plurimum ad religionem christianam propagandam conferebat. — Ut facilis redderetur *praedicatio externa*, c.; mutatio morum interna, n.

Ob. 2. — « Sufficiebat zelus apostolorum ». — *a*) *Unde* zelus ita purus, ardens, nisi ex influxu praeternaturali divino et veritate factorum, in quibus fides fervidorum apostolorum innitebatur? *b*) Zelus apostolorum id quidem explicat, motiva credendi et se emendandi multis fuisse *proposita*, non vero illud, plurimos difficillimam illam fidem et sanctitatem *amplexos esse*.

Ex parte religionis propositae in genere sumptae.

Ob. 1. — « Religio christiana *ob ipsam suam rationabilitatem tantopere omnibus placere*, tantopere omnes homines impellere debebat ». — Responsum generale: *a*) *Unde ergo bellum horrendum per saecula contra religionem christianam? b*) Cor-

ruptis non placebant ea, quae de relinquendo Polytheismo, de castitate, de iustitia divina in aeternum puniente etc. docebantur. *c*) Aliud est aliqua complacentia in bono, aliud efficacia in prosequendo bono honesto, imo sanctitate quam maxime ardua. Falsam methodum arguit, tantum *partem materiae considerandae* oculis submittere.

Ob. 2. — Eandem difficultatem sub hac forma proferunt: Nihil magis naturale est, quam sequi veritatem. Atqui Christianismus continebat veritatem, v. g. de Monotheismo, sine molestis illis catenis legum Iudaicarum. Ergo debebat vincere. — Nihil magis naturale, i. e. secundum normam naturae rationalis, c.; secundum vires naturae, quae in hoc statu rerum normam naturae rationalis sequi non solent, n.

Ob. 3. — Corruptio iis temporibus in infinitum aucta erat. Unde connaturaliter debebat *reactio* sequi, i. e. homines debebant se ad nobilia impulsos sentire. — *a*) N. *consequentiam.* Quo maior est corruptio, eo generatim difficilior fit conversio. Alias nullum esset medium securius ad conversionem, quam peccata peccatis cumulare. Id unum concedi potest, maximum quendam criminum gradum aliquando aliquid conferre ad eum effectum, ut miseria ex peccatis orta magis vivide sentiatur. At *cognitio miseriae,* experientia teste, *non dat robur emendationis,* quod habitu malo quasi exstinctum est, sed tantum solet esse dispositio ad id, ut auxilium aliunde oblatum suscipiatur. *b*) Aliud sane est, in genere *taedio* criminum affici, aliud determinatam *religionem christianam amplecti,* in ea se emendare atque magnum virtutum gradum adipisci

Motiva quaedam determinata enumerantur, quae ad mutationem sufficientia fuerint.

Ob. 1. — Pauperibus eleemosynae, servis libertas promittebatur. — *a)* At pauperibus non dabantur eleemosynae, nisi *secundum mensuram prudentiae;* praecipue in eo insistebatur, ut manibus pro victu laborarent. Servis ab initio *non dabatur libertas,* imo insistit Paulus, ut ne desiderent quidem libertatem. *b) Status civilis* tum plurimas eleemosynas elargiebatur, tum multos servos liberos declaravit ob electiones politicas. *c)* Omnes eleemosynae atque dona externa id ad summum efficere poterant, ut

homines *externe se aggregarent ecclesiae,* non vero ut interne crederent, vitam emendarent, imo saepe martyrium subirent, heroicam sanctitatem acquirerent. Sed haec ipsa in servis, in pauperibus visa sunt.

Ob. 2. — *Divitibus* offerebantur *dignitates eeclesiasticae,* uti episcopalis, sacerdotalis. — *a)* At *multo magis retrahebat necessitas obediendi* etiam episcopis humili loco natis. Haec obedientia ad omnibus continuo praestanda erat, dum dignitates paucorum essent. *b)* Retrahebant *pericula specialia,* quae clericis, episcopis tempore persecutionum imminebant. *c)* De facto *generatim episcopi boni* erant, quales esse non poterant, si ob motivum ab adversariis suppositum externe se ecclesiae aggregassent.

Veritates credendae quae cum aspirationibus hominum eius aetatis convenerint.

Ob. 1. — *Nova* placebant; veteres formae ethnicismi taedium excitaverant. — Plurimae *aliae novae religiones* oriebantur vel in regno Romano propagabantur, uti cultus Mithrae cum suis tauriboliis etc.

Ob. 2. — *Unitas Dei* placebat. — *a)* At haec etiam a non paucis *philosophis* statuebatur; etiam a *Iudaeis* tenebatur. *b)* Ille unus Deus proponebatur *ut postulans fidem* in tot revelationes, in libros integros inspiratos, quae fides tot difficultates creabat; ut *iudex severissimus,* qui internam sanctitatem postulabat etc. Sub his aliisque respectibus cor humanum ab hac doctrina refugit.

Ob. 3. — *Etiam Christiani* habebant suum *Polytheismum mitiorem,* scilicet cultum Sanctorum! Ergo habebant unum simul Polytheismum. Deum et quid plus attrahere poterat? — Factum quod obicitur non ideo aliquid probabilitatis acquirit, quia recentissime quoque a quibusdam doctis asseritur. Essentialem differentiam statuebant inter angelos et sanctos invocandos, Deum vero adorandum. Pro uno Deo vindicando mortui sunt millia martyrum.

Ob. 4. — Doctrina *de immortalitate animae* placebat. Cui enim non placet, in aeternum vivere? — *a)* At etiam *aliae* religiones similia affirmabant. *b)* Porro docebatur immortalitas beata

illa quidem pro bonis, *at malorum gravissimorum plena pro malis.* Cum maior pars male viveret, doctrina in concreto non placebat. *c)* Tandem aeternitas vitae proponebatur *sub forma resurrectionis mortuorum,* cui doctrinae vel ut possibili vehementissime contradicebatur.

Ob. 5. — Christianismus *mysteria* proposuit. Mysteriosa autem semper placent, quam maxime autem iis temporibus accepta erant. Recordare mysteriorum Mithrae, Eleusinorum etc. — *a)* Curiosa eaque non omnibus communicanda, quae mysteria dicebantur, utique placebant; *doctrinae sublimes, quae* captum humanum superant, ob solum verbum Dei firmissime *credi debent,* superbiae humanae minime placebant. *b)* Si illa fides fuisset res tam naturalis, *unde tot haereses* cum tanto numero asseclarum? Iam eiusmodi doctrinae difficiles, quae sensu stricto mysteria non sunt, uti creatio, origo mali etc. tot haereses diversas excitabant. Cf. Gnosticismi formae, Manichaeismus. *c) Mysteria* stricte talia offendebant. V. g.: Homo pauper Iudaeus, a suis crucifixus, proponitur ut verus unus Deus, ut centrum totius novae religionis eiusque institutionum.

Ob. 6. — *Magia* iis temporibus attrahebat. Iamvero religio christiana in suis sacramentis magiam offerebat. — Etiam hoc, quamvis recentissime iterum iterumque dictitatum, non ideo sapientium est. Ethnici adamabant utique *externos ritus, qui, nulla supposita interna sancta animi dispositione, promittebant remissionem peccatorum* vel bona alia, terrena. At minime amabant illum peccati dolorem, qui ad sacramentum baptismi requiritur, illas praeparationes longas et duras, quibus Ecclesia Catechumenos praeparare solebat.

Ob. 7. — Religio christiana *afferebat doctrinam de moribus* eamque *sublimem.* Quomodo talibus mundus inhiaverit vides ex eo, quod tot homines Stoicismo adhaerebant. — *a)* Etsi placebat bene dispositis, displicebat male dispositis. Quorum maior erat numerus. *b)* Porro ipsa maxima sublimitas habebat, unde ipsos bene dispositos terreret.

Ob. 8. — Placebat *condonatio peccatorum* promissa, atque eo plus placebat, quo maius erat pondus peccatorum quo premebantur. — *a)* Dist.: In quantum promissa erat ipsa condonatio, c.; *in quantum* ut conditiones sine quibus non, *postulabat*

fidem et veram conversionem, n. *b)* Porro complacentia non dat efficaciam conversionis.

Ob. 9. — *Neoplatonismus* simillimus erat Christianismo. Quid ergo mirum, si eius asseclae Christianismum complectebantur? — N. antec. Erat doctrina *Pantheistica;* v. g. Plotini systema erat dynamismus pantheisticus. Concedebant, *deos esse venerandos* secundum morem patrium. Cur philosophi prae caeteris Christianismo resistebant?

Ob. 10. — *Stoicismus* simillimus erat Christianismo. — N. antec. Ea vera, quae Stoicismus proponit, tantum *ut probabilia* proponit. *Deum transcendentem non habet,* sed pantheisticum. *Deos venerandos* docet. Immortalitatem animae non admittit, sed ad summum quandam temporalem vitam post mortem. *Doctrinas morum plurimas falsas tradit,* v. g. honestatem suicidii, affectus non moderandos sed eradicandos esse. Etc.

Arg. 2. — Ex unica causa mutationis ostensa, scilicet influxo divino.

1) Probatur specialis influxus divinus **in ipsa persuasione de veritate religionis christianae** formanda. — « Sine speciali illo influxu tot hominibus non fuisset persuasum, veram et amplectendam esse religionem christianam. Quoties enim agitur de obligatione, qua cupiditates refrenantur, gravia incommoda sensibilia et praesentia imponuntur, licet commoda futura et spiritualia promittantur, homo nihilominus ita comparatus est, ut quamvis obligatio illa argumentis solidis moraliter certa demonstretur, eam tamen saepissime non ut certam admittat, sed aut absolute neget, aut saltem aliquando in dubium vocet. Si fortasse dici possit, paucos quosdam rationis imperio ita esse submissos, ut veritatem, ubicumque affulget, percipiant, id tamen in plerisque locum non habet, praesertim quum agitur de negotio, quod gravissima secum vehit onera. Hinc fit, ut *voluntas in intellectum ita influat, ut eundem impediat* non tantum quominus veritatis propositae argumenta *perpendat,* sed etiam quominus veritati, quamdiu non est penitus evidens, *assensum praestat.*

At religione christiana praedicata non unus alterve, *non pauci tantum fecerunt, quod ab hominum consuetudine abhorret,*

sed quamplurimi. Nullis videlicet incommodis internis et externis nullisque obstaculis impediti sunt, quominus rationes quibus religio vera demonstratur, perpenderent et veritati cognitae assensum praestarent firmissimum et constantem. Ergo simul cum rationibus illis alius influxus effecit, ut homines praestarent, quod alias non praestant. Manifestiora haec sunt e doctrina de gratia eiusque necessitate ». Wilmers, De relig. rev. p. 534.

2) Probatur specialis influxus **in voluntatis infirmitate roboranda et difficultatum horrore superando.** — « Etsi *sola argumentorum vi* persuaderi hominibus potuisset, ut veram crederent religionem christianam, tamen sola illa vi *induci non potuissent, ut eiusdem legibus se submitterent et omnia eius praecepta implere sedulo et constanter niterentur.* Homo enim suis viribus permissus experientia quotidiana edoctus merito repetit illud: " Video meliora proboque, deteriora sequor ,,. Haec autem voluntatis infirmitas tanto maior est, quo remotiora e sensibus sunt bona, quae sectari et quo magis sensibus blandiuntur, quae aversari iubetur. Quum igitur homines religionem suscipiunt, quae non unum alterumve vitium, sed *quaecunque sunt mala* evitare iubet, atque ad hoc onus sebeundum *nonnisi spiritualibus et invisibilibus bonis propositis* invitat, manifestum est, eosdem divino auxilio adiutos praestare, quod natura humana sibi soli commissa praestare non potest ». ib.

Iamvero vidimus *homines plurimos eiusmodi religionem suscepisse, professos esse, in vita sua expressisse,* idque *in difficultatibus maximis,* quae non tantum mensurandae sunt ex sublimitate religionis susceptae et infirmitate naturae humanae in genere, verum etiam ex plurimis illis difficultatibus, quae ex circumstantiis specialibus oriebantur, puta ex corruptione ethnicismi in regno Romanorum, ex pugna, quam pagani atque haeretici contra fidem movebant, quaeque Christianos cogebat, ut ad mortem usque certarent. Quas circumstantias particulares parte I exhibuimus.

Arg. 3. — E persuasione apologetarum.

V. g. *S. Athanasius,* De incarn. Verbi n. 27-9, n. 53. « Quod argumentum non admittere idem prorsus est, ac si quis ex mundi operibus Deum eius opificem non cognosceret ». —

Quam maxime huic argumento insistit *S. Chrysostomus*, Demonstr. adv. Iud. et gent., quod Christus sit Deus: Demonstrationem pro existentia Dei ex creatione ethnicos non ferre. « Quaenam igitur sunt ea, quae ipsum fecisse gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod Christianorum genus ipse fundaverit, quod universas per orbem ecclesias condiderit. Hinc eius potentiae argumentum ducemus... » — Conc. Vat. 1794.

Propositio 20. — Constat de veritate relativa huius mutationis.

Arg. — *1)* Vidimus parte secunda, adiutorium speciale divinum necessarium fuisse ad formandam ipsam persuasionem de religione christiana ut vera. Ergo aderat influxus divinus in ipsum iudicium credibilitatis et credentitatis efficiendum. Atqui *impossibile est, Deum miraculoso modo influere in falsam persuasionem producendam*. Ergo ea vera est; ergo ea, quae credit, obiective vera sunt.

2) Virtutes exercitae normas suas et motiva sumebant a persuasione de Christo ut legato Dei. Ab eius enim doctrina, in quantum habebatur ut divina, tota vita Christianorum dependebat. Cf. Rep p. 92-4 Atqui *repugnat, eiusmodi effectus dependere a persuasione falsa*, sive ii considerantur ut simpliciter et in universum boni, imo ut meliores iis omnibus, qui independenter ab hac persuasione umquam in orbe conspecti sunt, sive — id quod eos fuisse demonstravimus — ut miraculoso modo boni. Hanc argumentandi rationem valere demonstravimus Tract. De revel. in abstr. prop. 30 p. 123.

Ob. 1. — Illa mira morum mutatio dependebat a cognitione unius Dei, damnationis aeternae pro peccatis gravibus aliisque singulis quibusdam veritatibus, quas religio christiana proponit, non *vero a persuasione, Iesum* in omnibus doctrinis suis *fuisse legatum a Deo missum* ideoque universam eius religionem divinitus revelatam esse. Ergo *eae singulae particulares veritates tali morum mutatione sane uti verae non autem uti revelatae demonstrantur, a fortiori non divinitas integrae religionis christianae probatur.*

R. — N. antec. Mutatio illa dependebat et a robore in voluntatem divinitus immisso et ab influxu connaturali veritatum omnium principalium religionis christianae. Iamvero *a)* Illud *robur petebatur a Christo Filio Dei*, exspectabatur mediantibus iis mediis quae ab ipso

divinitus instituta esse credebantur. *b) Inter persuasiones maximi momenti* erant *mysteria,* uti Trinitas, liberaeque Dei actiones, uti inspiratio totius Scripturae qua regulae fidei, etc. Haec *nonnisi fide* teneri possunt. Caetera autem multa, quae per se rationi impervia non sunt, *in complexu suo* ab hominibus uti generatim sunt, in hoc ordine rerum *uti certa teneri non possunt, nisi ob revelationem* (cf. Rep. p. 36-8 de necessitate revelationis). Tandem positive scimus, Christianos ea omnia certitudine fidei ob Christi testimonium tenuisse.

Ob. 2. — *Etiam aliae religiones,* uti *Ethnicismi* haec vel illa forma, *Buddhismus, Mohamedanismus celerrime propagatae sunt, idque ita, ut mores hominum mutarent.* Nihilominus negamus, ea morum mutatione eas religiones ut divinas probari. Ergo a pari mutatio morum in regno Romano ante Constantinum non probat divinitatem religionis christianae.

R. — *a)* Iam abstrahendo ab applicatione alicuius motivi credibilitatis positivi ad dictas religiones, constat eas esse falsas. Eae enim omnes *quaedam continent, quae ipsi religioni naturali adversantur.* Unde, si quid in earum propagatione invenitur, quod putas te viribus naturae humanae sibi relictis explicare non posse, habes *influxum praeternaturalem spiritus mali.*

b) Nego paritatem. Etenim nequaquam argumentati sumus e *celeri magnaque morum mutatione cuiuscumque generis illa fuerit,* sed e mutatione morum omnium *in melius, idque ea in mensura iisque in circumstantiis* illam mutationem in melius per se impedientibus, *ut haec mutatio vires humanae naturae sibi relictas superare censenda sit.* In istis vero religionibus amplectendis aliquando quidem habetur mutatio ab uno vel alio malo particulari ad unum vel aliud bonum particulare; aliquando a bono meliore in bonum minus; aliquando a bono in malum; aliquando a malo in peius; aliquando plures tales mutationes simul habentur. Patet autem, ad tres illas mutationes in deterius vel malum, humanam naturam, utpote ad sensibilia inclinatam, sibi sufficere. At neque ullum principium habetur, unde probetur, ad priorem mutationem ab aliquo malo in aliquod bonum particulare humanam naturam sibi non sufficere. Imo hoc e dogmate constat. — Accedit, quod *adiumenta externa* illis religionibus propagandis praesto erant. Inter quae non minimum locum occupare solebat favor principum atque arma.

c) Ethnicismi formae, si evolutio humani generis sub Ethnicismo constituti universim sumitur, generatim *in peius mutatae* sunt. Porro iis saepe mythi ac ritus, vix mores mutabantur. *Quaedam particularia: Buddhismus,* si eius prima institutio respicitur, non est religio, sed quoddam philosophicum *systema scepticismo atque nihilismo deditum.* In ea forma vero, in qua multos milliones asseclarum sortitus est, non est nisi quaedam Polytheismi forma. Mores populorum, qui ei se addixerunt, universim sumptos, non ad meliorem statum eduxit. *Mohamedanismus,*

in quantum populos antea *christianos* occupavit, est *mutatio a bono ad plurima mala.* In quantum vero apud nationes *antea paganas* propagatus est, *a) non* potest demonstrari, persuasionem de unitate Dei et quae cum ea essentialiter cohaerent, dependere *a persuasione de legatione divina Mohamed in omnibus suis doctrinis proferendis;* unde ea legatio neque tali mutatione probari potest. *b)* Mores non tam interne mutati sunt, quam externe, additis quibusdam observantiis. — Plura cf. De revel. christ. Lith. p. 75-80.

TRACTATUS IV.

DE ECCLESIA UT INFALLIBILIS RELIGIONIS REVELATAE MAGISTRA.

Cf. H. van Laak, De Ecclesia ut infallibilis religionis revelatae magistra, ad usum priv., Prati, 1911. — Id., De Ecclesia et Traditione, Lithogr., pp. 456, Romae 1908.

Introductio. — *p. 1-40.*

Connexio huius tractatus cum eo, quem de revelatione christiana tradidimus.

Demonstravimus, Iesum Christum revelationem divinam humano generi *impertivisse*. Quaeritur, num efficaciter voluerit, illam infallibiliter *custodiri* atque, si id voluit, *quale medium* inter plura, quae ei sane possibilia erant, ad hunc scopum elegerit. Respondemus hoc tractatu, Iesum etiam ad hunc finem ecclesiam catholicam instituisse eamque in sua revelatione custodienda atque explicanda dono infallibilitatis insignivisse. Qua ratione novum elementum theologiae fundamentalis demonstrabimus. Ea enim omnia demonstret necesse est, quae praerequiruntur ut dogmatica tradatur. Est autem dogmatica scientia dogmatum. Dogmata vero sunt veritates a Deo revelatae et ut tales per ecclesiae infallibile magisterium propositae.

Duplex tractatus de ecclesia in theologia proponendus, in theologia fundamentali unus, alter in dogmate.

Unum in theologia fundamentali proponendum esse, ex dictis iam patet. *Alterum in dogmate* proponendum esse, inde evidens est, quia multo plura de ecclesia revelata sunt, quam ea, quae requiruntur et sufficiunt, ut demonstretur, eam revelationem infallibiliter custodire, idque certis quibusdam viis a Deo

ordinatis. Inter talia v. g. continetur, ecclesiam solam accepisse potestatem peccata condonandi. — Simili modo duo tractatus de Christo in theologia traduntur. Unus, in theologia fundamentali, quo id solum necessario probatur, Iesum revelationem humano generi impertivisse; alter in dogmate, quo omnia quaecumque de Christo revelata sunt, docentur, v. g. eum humanum genus a peccato originali redemisse.

De distinctione vero horum duorum tractatuum de ecclesia tenenda sunt haec:

1) *Distinguuntur fontibus et consequenter methodo demonstrationis.* Etenim tractatus dogmaticus utitur fontibus demonstrationis dogmaticis, qui sunt: ut regula fidei remota Scriptura, in quantum est inspirata vel revelationes continet, et traditio divinitus revelata; ut regula vero fidei proxima auctoritas divinitus data ecclesiae catholicae, ut infallibiliter custodiat atque explicet ea, quae Scriptura et traditione docentur. Unde in tractatu dogmatico supponitur, hanc duplicem fidei regulam iam antea esse demonstratam.

Tractatus vero de ecclesia ad theologiam fundamentalem spectans Scripturam praecipue N. T. non adhibet uti formaliter est verbum Dei inspiratum, sed secundum ea quae in diversis partibus praecedentibus theologiae fundamentalis iam probata sunt, sive simpliciter uti est fons historica fide dignus; sive etiam uti continet revelationem veram, quam a Christo humano generi propositam esse forte iam demonstratum fuerit; sive etiam in quantum omnia in ea, quae ad religionem spectant vera sunt, quippe quae ab apostolis eorumque adiutoribus sint conscripta, quos in his rebus scribendis personaliter infallibiles fuisse antea forte iam probatum fuerit.

Alia vero quae praeter Scripturam dicto modo consideratam in tali tractatu ad demonstrandum assumuntur, eatenus adhibentur, quatenus antea methodo philosophico-historica demonstratum est, ea humana fide digna esse.

2) *Distinguuntur fine et consequenter amplitudine materiae probandae.* Finis tractatus non dogmatici is solus est, ut demonstretur ea praerogativa ecclesiae catholicae, ut infallibiliter custodiat atque explicet revelationem quam Christus olim ecclesiae suae tradere dignatus est. Consequenter in hoc tractatu omnia

alia munera ecclesiae non considerantur. Finis vero tractatus dogmatici is est, ut quaecumque fontes de ecclesia docent, ea omnia demonstret. Inter quae primum locum illa veritas occupat, quod sola ecclesia media possidet intrinsece proportionata ad beatitudinem supernaturalem seu visionem beatificam (i. e. fidem et sacramenta), ad quam in Adam quidem eramus primitus destinati, et ad quam post eius lapsum per Filium Dei redemptorem iterum sumus vocati. — Unde locus proprius tractatus dogmatici de ecclesia est immediate post tractatum de Verbo incarnato atque de redemptione per Christum peracta.

De duplici methodo demonstrationis in eo ipso tractatu, qui ad theologiam fundamentalem pertinet.

Exhibetur utraque via. — Una via qua demonstretur ecclesia catholica, in quantum est veritatis revelatae magistra, ea est ut haec veritas cum omnibus suis determinationibus ex ipsis verbis Christi, e revelatione christiana iam agnita, demonstretur.

Alia via haec est: Ecclesia Romano-catholica affirmat se esse magistram infallibilem revelationis, quam Deus hominibus communicaverit. Cuius testimonii credibilitas ut probetur, ex ordine considerantur ea credibilitatis motiva, quae in tractatu de revelatione christiana ad eam ipsam revelationem applicavimus. Talia sunt v. g. miracula physica, moralia etc.

Hac duae viae inter se comparantur. — 1) Via e revelatione Christi iam agnita est magis scientifica, quam via e motivis credibilitatis. Est enim cognitio infallibilitatis ecclesiae per eius causam, i. e. per voluntatem Christi quam ipse nobis patefecit. Ipse enim ea, quae circa infallibilitatem ecclesiae suae disposuit, scilicet et factum infallibilitatis et rationem qua in ecclesia invenitur et causas eius intimas nobis explicite vel implicite revelavit. — E contra via e motivis credibilitatis est e sola testificatione externa de infallibilitatis facto.

2) Nihilominus via e motivis credibilitatis magnam utilitatem in se habet. Nam per se hominibus post Christum viventibus magis notum est illud testimonium, quod aliqua societas historice de se reddidit atque nunc reddit, quam verba quae Christus de Ecclesiae suae essentia, dotibus, notis protulit.

Deinde quaedam motiva credibilitatis de ecclesia Romano-catholica possunt esse saltem non difficiliora, imo forte faciliora cognitu, quam applicatio verborum Christi ad eandem ecclesiam. Porro haec motiva credibilitatis iis quoque inservire possunt, qui revelationem humano generi per Christum vel per prophetas factam nondum agnoscunt. Tandem melius est, rem tanti momenti, quanti est infallibilitas ecclesiae, duobus modis tenere quam uno solo.

3) Materia pro utraque via demonstranda partim eadem est. Non pauca, quae de facto essentiam vel proprietatem ecclesiae ingrediuntur, simul sunt motiva credibilitatis. V. g. sanctitas heroica membrorum quorundam ecclesiae et partem facit notae sanctitatis et est miraculum morale, cui inest veritas relativa ad demonstrandum, ecclesiam eiusque doctrinam a Deo commendari.

4) Ex dictis patet decere, in tractatu completo de ecclesia utramque viam proponi.

5) Quodsi quaeritur, quae via prior proponenda sit, initium faciendum esse videtur ab ea, quae e revelatione Christi iam probata procedit. Nam, ut vidimus, magis scientifica est. Ex quo ordine utique non sequitur, cum de via practica agitur qua homines ad iudicium credibilitatis de ecclesia catholica ut magistra veritatis perducendi sunt, non saepe cum fructu alteram viam prius proponendam esse.

His dictis, antequam demonstrationi initium damus, nihil iam reliquum esse videtur, quam ut pauca de diversissimis significationibus vocis « ecclesia » exhibeamus.

De significationibus vocis ecclesiae. — *p. 3-5.*

Etymologice Ἐκκλησία derivatur ab ἐκ καλεῖν = evocare, atque proinde evocationem seu coetum eorum significat, qui, vocatione collecti, in unum convenerunt. Vi etymologiae idea vocationis premitur, quod elementum in etymologia vocis συναγωγή deest.

Usus vocis huius in literatura tum sacra tum profana diversus est. Significantur: 1) *quaecumque multitudo in unum conveniens,* v. g. Ps. 25, 5 « ecclesia malignantium », Act. 19, 40 ethnici in theatro contra Paulum strepentes. — 2) *Conven-*

tus politicus vel iudicialis, v. g. Polybius, Hist. 4, 37; 1 Mach. 5, 16; Act. 19, 39. — 3) *Societas religioso-politica Mosaica.* Saepe additur Iahwe, Israel, similisve determinatio. V. g. Deuter. 23, 3; Act. 7, 38. Praecipue hac voce LXX vertunt hebr. kahal, dum hebr. *ᶜeda* frequentius vertant συναγωγή. Kahal, ut videtur, vox solemnior est, magis populum qua formaliter et solemniter collectum atque specialiter ad Deum relatum premit. — 4) *Societas religiosa a Christo fundata.* In evangeliis tantum semel Mt. 16, 18 « aedificabo ecclesiam meam » ut versio vocis aramaicae a Christo adhibitae. In reliquo N. T. saepius, imo semper, nisi e contextu aliud constat, v. g. 1 Tim. 3, 14. 15 « in domo Dei... quae est ecclesia Dei viventis ». — 4) *Pars essentialis huius societatis a Christo fundatae.* In evangelio bis Mt. 18, 17 pro ecclesia regente, item ut versio vocis quum Christus adhibuit; pro subditis Act. 28, 28 « regere ecclesiam Dei ». — 6) *Pars integralis huius societatis a Christo fundata.* Ita frequentissime, idque aut in plurali aut cum addito, unde ratio partis eluceat, v. g. Gal. 1, 2 « ecclesiis Galatiae », Rom. 16, 5 « domesticam ecclesiam eorum ». — 7) *Pars societatis sive Mosaicae sive a Christo collectae, quae actu ad cultum divinum celebrandum collecta est.* V. g. 3 Reg. 8, 22 « ante altare Domini in conspectu ecclesiae Israel »; 1 Cor. 11, 18 « convenientibus vobis ἐν ἐκκλησίᾳ ». — 8) *Collectio omnium, qui sive per donum fidei sive per aliud donum permanens cum Christo coniunguntur.* Forte haec significatio in Scriptura non occurrit, at saepissime penes Patres. — 9) *Aedificium, in quo membra ecclesiae Christi cultum divinum celebrant.* Ita videtur inde a saeculo 3°. — 10) *Secta quae ab ecclesia catholica defecit,* at generatim cum aliquo addito, quo separatio significetur, v. g. ecclesiae Photianae.

Unde 1) *vox ecclesiae in Scriptura sensu religioso non adhibetur nisi pro societate a Deo fundata,* sive V. sive N. T.; in N. T. vero tantum pro societate a Christo fundata, si sine addito sumitur, vel pro eius parte essentiali vel integrali, si cum addito sive explicite apposito vel facile subintelligendo legitur. — 2) *Vox synagogae sensu religioso in N. T. tantum significat societatem Mosaicam* V. T., vel consessus eorum qui ei adhaerebant vel aedificia pro eis. Quae vocum distinctio, iam inde ab iis tem-

poribus ad ipsas illas societates distinguendas introducta videtur. — Hebr. 10, 25 ; Iac. 2, 2 ; Act. 7, 38 non certo opponuntur huic usui.

Pars I. — Ecclesia infallibilis revelationis magistra probatur e revelatione christiana iam agnita.

Divisio huius demonstrationis.

Demonstrandum est, Christum Ecclesiam ut infallibilem revelationis magistram instituisse ; unde prius ostendendum est, eum omnino Ecclesiam instituisse. Demonstrandum est, Christum de ecclesiastica infallibilitate ita providisse, ut ea vi muneris instructi sint caput Ecclesiae, Petrus eiusque successor omnis, iam per se solum, et episcopi cum eo coniuncti ; unde prius ostendendum est, Christum haec duo munera ecclesiastica instituisse. Prius ergo proponitur integra constitutio iuridica Ecclesiae ; secundo loco Ecclesiae infallibilitas atque ordo in quo communicata est. Cum vero amplitudo obiecti infallibilitatis plene nonnisi a subiecto cognosci possit, cuius infallibilitas iam cognita sit, prius de subiecto infallibilitatis agemus, deinde de eius obiecto. Unde hunc accuratiorem divisionis conspectum subiicimus :

Liber I. Consideratur *constitutio iuridica* ecclesiae catholicae divinitus instituta.

1) Ecclesia a Christo instituta est uti *societas* veri nominis atque ut talis perenniter duratura.

2) *Primatus* divinitus institutus est, isque est in aeternum permansurus. Qui perseverat in Romano Pontifice.

3) *Munus regendi episcoporum* divinitus uti perenne institutum est. Quod in episcopis Ecclesiae catholicae perseverat.

4) *Nullum aliud munus regendi* divinitus constitutum est.

5) *Vis primatus* Romani Pontificis ulterius *determinatur.*

6) E doctrina proposita deducitur, quae sit *relatio Romani Pontificis ad Episcopos,* sive in quantum suis sedibus praesident, sive in quantum in Concilio universali congregati sunt.

Liber II. Consideratur *ordo infallibilitatis* in doctrina christiana tradenda.

1) Quaecumque Christus mandavit, usque ad ultimum iudicium per collegium apostolorum eorumque successores infallibili veritate proponentur.

2) Determinatur ulterius *subiectum per quod* doctrina Christi infallibiliter docetur. Docent infallibiliter:

a) Vi muneris { Caput ecclesiae seu Romanus Pontifex. Episcopi cum eo coniuncti, sive per orbem dispersi sive in concilio coadunati sunt.

b) Ut instrumenta quae pastoribus in docendo inserviunt { Patres. Theologi.

c) Resplendet infallibilitas pastorum in consensu fidelium.

Appendix: Quid de ratione naturali, quid de historia.

3) Determinatur amplius *obiectum quod* infallibiliter proponitur.

a) Obiectum *primarium* formant veritates per se revelatae.

b) Obiectum *secundarium* formant varia genera veritatum, quae connexa sunt cum iis, quae per se sunt revelatae.

LIBER I. — DE CONSTITUTIONE IURIDICA ECCLESIAE.

Conn. mat. — In tractatu de revelatione vidimus, Christum praecipisse, ut omnes homines omnium temporum religionem revelatam ab ipso praedicatam fide susciperent et opere complerent, eumque apostolos misisse qui humanum genus ad id perducerent. Qua ratione certe, si abstrahimus a maiore vel minore unitate, qua illius coetus membra constringuntur, atque a ratione societatis stricte vel late talis, aliquem unicum coetum religiosum in toto orbe usque ad finem saeculorum instituit. Nunc quaerimus, num hic coetus religiosus a Christo institutus sit ut societas veri nominis idque ita, ut in hac ratione societatis in aeternum perseveraturus sit.

Notio. — Demonstratio constitutionis alicuius societatis eo absolvitur, quod probatur, eam esse societatem stricte talem eamque potius hanc quam illam regiminis formam habere.

Ordo procedendi — Sufficit quidem statim probare, in coetu illo, quem societatem sensu stricto esse nondum probatum est, hanc vel illam regiminis formam v. g. monarchicam inveniri. Ubi

enim est certa quaedam regiminis forma, ibi sane auctoritas est; ubi autem auctoritas est, ibi certe societas sensu stricto est. Nihilominus prius probamus ipsam rationem societatis, deinde formam regiminis. Hic enim ordo pro connexione idearum videtur connaturalior; praeterea textus, quibus formam regiminis a Christo institutam esse demonstramus, eam quodam modo facilius probant, si iam supponitur in iis agi de societate sensu stricto; tandem plurimi auctores ita procedunt. Breviter autem agemus, utpote demonstrationem non necessariam aggredientes.

Sectio I. — De ecclesia in forma verae societatis perenniter instituta.

Adversarii. — Protestantium liberalium magna pars, porro Modernistae clare omnem ideam de vera societate fundanda a Christi mente removent. Quidam recentiores Protestantes affirmant, Christum tantum ideam (ideale) ecclesiae statuisse, quam ut realizent omnes operam dare debeant, quam tamen, utpote homines imperfecti, nunquam assequi valeant.

Non vero hoc loco refutamus omnes Protestantes orthodoxos. Multi enim ex iis saltem iis quae explicite docent, concedere solent, Christum societatem veri nominis permanentem instituisse.

Ordo thesium. — Priore thesi refutabimus factionem quandam extremam, quae statuit, regnum coelorum quod Christus annuntiavit, non esse coetum externum ex hominibus colligendum, sed aut mere eschatologicum aut mere internum. Secunda thesi probabimus, Christum coetui, quem ex hominibus colligendum praecepit, rationem verae societatis indidisse. Adiungimus thesi tertia, e mente Christi hanc rationem societatis in coetu ab eo instituto esse perennem.

Propositio 1. — Regnum coelorum, quod Christus annuntiavit, non est mere eschatologicum, neque mere internum, sed coetus externus, qui his in terris Iudaeos atque ethnicos complectetur atque usque ad finem saeculorum durabit. — *p. 43-65.*

Demonstrantur omnes partes simul e vaticiniis Messianicis. — Regnum Messianicum exhibetur uti regnum externum,

quod his in terris late diffundendum sit atque per certa tempora duraturum. Iamvero, uti probavimus, Christus professus est, se esse Messiam. — *Iam partes singulas demonstremus:*

Pars I. — Regnum Dei, quod Christus annuntiavit, non est mere eschatologicum, verum etiam his in terris invenitur.

Adv. — Plurimi praecipue inde a tempore Reimarus; recentiores antesignani eorum sunt Ioh. Weiss et Loisy.

Arg. — *a*) Secundum Lc. 11, 20 et 16, 16 regnum Dei vero quodam sensu *iam adest in Palaestina*, in medio nationis Iudaicae: « Porro si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei ». « Lex et prophetae usque ad Ioannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit ». Uti futurum illud semper evangelizabatur per prophetas; ergo sermo est de quadam huius regni praesentia tunc temporis. — *b*) Secundum Mt. 13, 32 regnum Dei *crescere debet* ut granum sinapis. — *c*) In eo *usque ad ultimum iudicium invenientur boni cum malis permixti*, qui tantum in ultimo iudicio inter se separabuntur. Id quod Dominus docet in parabola de tritico et de zizaniis Mt. 13, 24-30, de sagena in qua inveniuntur pisces boni et mali Mt. 13, 47-50, de virginibus fatuis et prudentibus Mt. 25, 1-13. — *d*) *Hic in terris* regnum Dei *a Iudaeis ad alios transferetur*: « auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius » Mt. 21, 43. Unde cum Iesus ait Mt. 8, 11. « Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum; filii autem regni eicientur in tenebras exteriores », verba haec praecipue intelligenda sunt de ethnicis, qui e regno Dei his in terris constituto ad regnum Dei in coelis convolant.

Ob. — Christo firmissime inhaesit persuasio, se *subito post mortem suam ad iudicium universale rediturum* esse. Porro *Iudaei* tempore Christi *non habebant aliam ideam* de regno Messianico quam eschatologicam; iamvero Christus id solum praestare volebat, quod Israelitae sperabant. — R. **Priorem** rationem falsam esse probatum est in thesi de vaticiniis Christi Rep. p. 168-71. Neque **secunda** subsistit. Etenim in literatura apocrypha apocalyphica et a literatura Rabbinica eorum temporum

« mundus futurus » quidem [saltem saepe] dicit retributionem nunquam mutandam iustorum et peccatorum, Messianismus vero seu regnum Messianicum generatim sortes futuras populi Israel in hoc mundo respicit. Praeterea Iudaei Io. 6, 14-5 Iesum, utpote quem tunc Messiam putarent, rapere atque regem facere volebant, et Mc. 11, 10 ei in civitatem sanctam solemniter ingredienti acclamant : « Benedictum *quod venit*, regnum patris nostri David ».

Pars II. — Regnum coelorum in terris manifestandum, quod Christus annuntiavit, non est mera interna perfectio animarum, sed coetus hominum externus, qui ethnicos quoque complectetur atque usque ad consummationem saeculorum durabit.

Adv. — Plurimi Protestantes liberales.

Arg. — Cf. Pars I numerus c. Pro diffusione inter Iudaeos et paganos, imo late per orbem, addatur numerus d. et parabola de grano sinapis.

Ob. 1. — Dominus Lc. 17, 21 ait : « *Ecce enim regnum Dei intra vos est* », i. e. in animis vestris. — R. 1) Quodsi hic locus ita esset intelligendus, nihil aliud sequeretur, quam Christum aliquando ea ratione de regno Dei locutum esse, uti S. Paulus locutus est Rom. 4, 12 : « Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto », *imponendo* scilicet translatione frequentissima *nomen causae etiam effectui*. — 2) De facto autem sensus hic esse videtur : *Regnum Dei externum iam in medio nationis vestrae existit, cum ego rex huius regni iam adsim*, iamque in eo sim ut illud fundem, unum elementum eius post aliud instituam. Rationes hae fere sunt : *a)* Ἐντὸς ὑμῶν, etsi non in Scriptura, tamen apud profanos auctores haud raro in hoc sensu reperitur. — *b)* Hoc loco ita accipi debet cum effectus regni Dei, iustitia, pax etc. in animis pharisaeorum, ad quos Dominus loquitur, eo tempore non inveniretur. — *c)* Congruit contextus immediatus. Pharisaei interrogant et de regno Dei externo et de tempore, quando adveniat ; Iesus respondet de utroque. Cum autem Iesus ideas eorum praeconceptas de indole terrena, de externo splendore regni Messianici sciret, docet eius indolem non esse eiusmodi ut cum externa pompa, sed ita ut cum humilitate veniat. « Interrogatus autem a pharisaeis : quando venit regnum Dei, respondens eis dixit : non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent : ecce hic aut ecce illic ». Non cum observatione, i. e. « non eo modo aspectabili, quo illi exspectant, non μετὰ περιφανείας ἀνθρωπίνης, uti fit in terrenis regibus... Neque dicent : ecce hic aut ecce illic, uti scilicet dici potest de rege victore, qui in certa civitate vel regione sedem collocat, milites et as-

seclas ad se vocat, stipendia et praemia suis distribuit. Dictum es postea: ecce hic, ecce illic (v. 23), quando pseudochristi miseram Iudaeorum plebem decipiebant ». — *d)* Lc. 11. 20 Iesus idem premit: « si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei ». — *e)* Similem explicationem sequuntur v. g. Albertus M., Iansenius, a Lapide, Schanz, Knabenbauer, etc.

Ob. 2. — Essentia Christianismi sita est in iustitia animae. Atqui quod extra essentiam Christianismi est, id ab intima mente Christi alienum est. Ergo regnum Dei externum a mente Iesu alienum est. — Prob. ma.: Ad essentiam Christianismi id solum pertinet, quo Christianismus a Iudaismo distinguitur. Atqui Christianismus a Iudaismo non distinguitur eo quod regnum Dei concipitur ut coetus externus, distinguitur vero per iustitiam internam. Ita v. g. Harnack.

R. Nego maiorem probationis allatae. Etenim *a)* V. g. Monotheismus communis est Iudaismo et Christianismo. Ergo praeter mentem Christi est? praeter essentiam Christianismi? — *b)* Interna ratio cur ea maior neganda sit haec est: Christianismus est religio eaque positivae institutionis. Unde ad essentiam Christianismi pertinent *α)* omnia sine quibus vera religio esse nequit, sive naturalis ea est sive positiva; *β)* quaecumque ab auctore religionis perenniter instituta sunt. — Alia quaedam in obiectione non recte dicta hic transmittimus.

Ob. 3. — « Nucleus » praedicationis Iesu de regno coelorum secundum Harnack *hic est:* Regnum coelorum *a)* ab ipso Deo proficiscitur, *b)* est bonum pure religiosum, scilicet *interna connexio cum Deo vivo*, *c)* totum hominem penetrat. — R. Si expressione « nuclei » id intelligeretur, salutem animae a Christo proponi ut finem regni Dei, c.; si — id quod in contextu insinuatur — id adversarius intelligi vult, Iesum ipsum regnum externum ut rem parvi momenti, pro opere suo non essentialem, proposuisse, n. Etenim Christus et finem voluit, et certum unum solum medium, ad hunc finem utique non absolute e natura rei sed ex libera dispositione divina ut necessarium, instituit.

Ob. 4. — His ultimis temporibus praecipue Sohm, Kirchenrecht, 1892 p. 958, ad id progressus est ut statuat *metaphysice repugnare, quominus Ecclesia sit iuridice organizata.* Inter alia has forte maioris momenti rationes adducit. si eas tamen recte intelligo: *a)* Ecclesia est unitas religiosa; atqui unitas religiosa nequit simul esse iuridice organizata. — *b)* Ecclesia, utpote spiritualis, a spiritu Dei libere spirante regitur; atqui cum eiusmodi influxu absolute pugnant normae iuridice immutabiles pro organizatione Ecclesiae. — R. N. ass. Ad rationem priorem. Unitas constituitur religiosa per *finem* religiosum; iam vero *ad eum finem religiosum organizatio iuridica conferre potest.* Ergo Deus eam ut partem suae religionis hominibus praescribere potest — Ad rationem alteram. Poterat Deus cultu non semper eodem, mediis salutis non semper iisdem singulos fere ad se perducere. At sane non repugnat, quominus revelatione earundem veritatum, usu eorundem in

omne tempus mediorum salutis totum humanum genus ad se trahat et proinde talem fidem taliaque media salutis immutabiliter ipsi communitati praescribat. Id quod eum fecisse partim demonstravimus, partim demonstrabimus. *Cum his mediis, quae omnibus Ecclesiae filiis communia sunt, Deus diversis diversa gratiae suae auxilia prouti vult dispertit.*

Propositio 2. — Iesus Christus coetum religiosum, quem ex hominibus colligendum esse praecepit, in ratione verae societatis instituit. — *p. 49-57.*

Arg. 1. — Ex eo quod Christus promisit, se coetum stabilem auctoritate praeditum fundaturum esse.

Postquam Christus Mt. 16, 18 dixerat: « super hanc petram aedificabo ecclesiam meam », i. e. coetum, populum meum collectum, Mt. 18, 15-9 haec ait: « 15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. 17. Quodsi non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. 18. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo ». Hoc textu exibentur

1) *Vincula societatis,* quibus eius membra colligantur. — *a*) Haec iam innuuntur eo, quod peccator nominatur « frater ». Qua voce edici videtur, hominem membrum esse novi populi Dei de quo fundando agitur. Qua ratione terminus adhibetur in Vetere Testamento de Israelitis et in epistulis N. T. de eo, qui ad ecclesiam Christi pertinet in oppositione ad ethnicos. *b*) Etsi ab hac ratione abstrahis, res ideo certa est quia adicitur ut contrarium notionis « frater »: « sit tibi ut ethnicus et publicanus ». Verba enim haec significant, hominem, qui antea non erat ut talis habendus, nunc ut « talem esse habendum, quomodo Iudaei habere solebant ethnicos et publicanos. Qui a coetu religioso Iudaeorum, a synagoga exclusi erant (et Iudaeus si publicanus factus fuerit iubebatur expelli)... Christus hisce verbis excommunicationem quam dicimus fieri debere declarat, quia

clare id enuntiat fierique iubet quod excommunicatione efficitur et fidelibus illa sententia lata iniungitur ». Knabenbauer ad l.

2) *Potestas puniendi, et in genere auctoritas ad regendam societatem.* — Modus connexionis incisi « Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis... » cum praecedente non potest esse alius, quam ut hoc incisum rationem contineat, cur decisio, quae in illo expressa est, rata et firma habenda sit. Ergo in se continet potestatem puniendi a Christo iis collatam, ad quos sermo dirigitur. — At cum expressio de vinculis moralibus non tantum alligandis verum etiam solvendis agat, intelligi debet de generali potestate determinandi et imponendi id quod ad finem societatis de qua agitur, pertinet. Hanc autem potestatem vocamus auctoritatem in societate.

3) *In societate a se fundanda.* — Etenim *a*) « ecclesiam non posse significare synagogam (id quod Beza, Calvinus, Fritzsche volebant) interpretes quoque protestantes evidens esse affirmant (cf. Keil, Weiss, Mansel) » — *b*) Ratio est, quia Christus potestatem illam non promittit superioribus synagogae, sed aliis, suis discipulis, sive eos interim ut repraesentantes coetus ipsius consideras sive ut iudices immediate a Christo constitutos. *c*) Accedit nomen « ἡ ἐκκλησία » quod Christus iam Mt. 16, 18 ad societatem illam unam a se fundandam applicaverat. — *d*) Tandem merito considerandus esse videtur contextus apud Mt.; nam etiam sequenti capite 19 de iis agitur, quae ad novum regnum pertinent: de matrimonio in Novo Testamento, de statu perfectionis. — *e*) Eodem modo textum explicat inter Protestantes v. g. Zahn, ipse Harnack.

Arg. 2. — Ex institutione huius societatis per Christum factae.

Textibus Mt. 28, 19-20 et Mc. 16, 15-6 Iesus determinavit in coetu a se colligendo.

1) *Multitudinem*, scilicet omnes gentes. — 2) *vincula externa communia*, v. g. baptismum seu ritum quendam religiosum; fidem externe manifestatam in omnia, quae credi iussit. Dico externe manifestatam, quum manifestatio fidei ut conditio pro baptismo externe recipiendo requiratur. — 3) *Finem unum* attingendum a multitudine, ut scilicet salus aeterna

attingeretur: « qui crediderit, salvus erit ». — 4) Etiam *auctoritatem* ibi significari, auctores v. g. ita ostendunt: *a*) Quidam iubentur curam habere societatis, id quod ex dictis patet. Atqui societas sine auctoritate stare nequit. Ergo auctoritatem accipiunt. — *b*) Iubentur docere non tantum baptizandos, verum etiam baptizatos, id quod patet et e natura rei et e verborum ordine, quia docere ponatur post baptizare, et ex apostolorum modo agendi. Iamvero eiusmodi potestas docendi, uti alibi videbimus, aut est pars potestatis regendi, aut cum ea necessario coniungitur. — *c*) Ii quos Christus alloquitur, sunt iidem, quibus Mt. 18, 18 potestatem regendi promiserat. — *d*) Ipse Christus pro eo quod hic dat, ad potestatem suam in caelis et in terra provocat. — *e*) Accedit auctoritas exegetarum.

Arg. 3. — E statu rerum aevo apostolorum atque modo agendi apostolis proprio.

1) Etiam tunc temporis communitates christianae, quas apostoli vel eorum adiutores formaverant, *aliquam unitatem* inter se formabant. Quam iam significat nomen in singulari positum, quo multae vel omnes in unum colliguntur. V. g. in Act. 9, 31 « Ecclesia quidem per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem », i. e. a persecutionibus externis libera erat. S. Paulus 1 Tim. 3, 14-5: « Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis ». Cum S. Paulus ecclesiis scribit, qui in re de ritibus iudaicis non recte sentiebant, certe non supponit, eas singulas esse columnam et firmamentum veritatis. — Supponit porro unitatem: « Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi » 1 Cor. 12, 13.

2) *Vincula externa socialia* iis quae diximus insinuantur. Nam nonnisi externus quidam coetus persecutioni expositus est; nonnisi in eo conversari quis dicitur, in eum per externum ritum quis admittitur.

3) Quibus vinculis colligi *societatem stricte talem* evidenter ex eo patet, quod apostoli vel quicumque tandem illi erant, qui hoc mandatum dedisse narrantur, plurimis ex illis communitatibus particularibus commune praeceptum dant. Etenim sic di-

ctum concilium apostolicum « his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae fratribus ex gentibus » decretum de ritibus quibusdam iudaicis condiderunt, Act. 15, 23-9. Quod postquam emanaverat, Paulus « perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias (singulas), praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum ». Act. 15. 41.

Arg. 4. — E persuasione antiquitatis christianae.

Loco multorum testimoniorum, quae afferri possent, sit effatum Eusebii Caesareensis. Qui ambo foedera inter se comparans, de auctoribus eorum haec habet: uti Moses veteris, ita Christus « novae vitae ac piis hominibus accomodatae reipublicae primus introductor et legislator exstitit ». Dem. ev. l. 2 II; MG 22, 170.

Scholion *de nominibus quibusdam, quibus Christus societatem a se fundandam insignivit.* Christum duas societates religiosas externas fundasse nemo affirmare audet. Quo posito, sic dicimus:

1) Christus societatem a se fundandam saepe vocavit *regnum coelorum.* Etenim proprietates societatis a Christo fundandae eae sunt, quod v. g. erit nova, externa, his in terris existens, duratura usque ad consummationem saeculorum, universalis. Iamvero tales sunt, ut vidimus, proprietates quas Christus de ipso regno coelorum praedicat.

2) Christus societatem a se fundandam saltem bis vocavit *ecclesiam,* semel cum addito « meam » semel cum articulo. Id ex Mt. 16, 18 ideo patet, quia Christus nullum alium coetum fundavit; ex Mt. 18, 17 vero, quia, uti iam probavimus, in eo loco de societate nova sermo est, pro qua ipse Christus auctoritatem constituit.

Qua voce aramaica Christus in his locis usus est? Probabilius est, eum adhibuisse eam vocem, quae etymologice cum hebraica qahal identica est. Etenim is qui vertit evangelium Mt. aramaice conscriptum, potius supponendus est secutus esse modum loquendi LXX, hi autem vocem ecclesiae adhibent pro qahal. Accedit quod haec vox in se solemnior est atque magis relationem populi collecti ad Deum adsignificare videtur. Idem multi auctores assumunt. — Sunt qui putent, Christum adhibuisse vocem Kenischti.

Propositio 3. — Ecclesia in ratione verae societatis usque ad ultimum iudicium durabit. — *p. 57-65.*

Quoad genuinitatem textuum Mt 16, 18; 28, 19-20. — Quidam Rationalistae et Protestantes recentissime negarunt textus Mt 16, 18 et 28, 19-20 vel saltem unumquodque incisum eorum versuum esse aut ab ipsis evangelistis conscripta aut saltem ab ipso Christo prolata. Quas difficultates expositas et refutatas v. in tractatu de eccl. p. 9-19. Adiunge art. L. Fonck S. I., in « Biblica » I 2 p. 240-64, ubi novae quaedam assertiones Harnack 1918 contra genuinitatem vocis « eam » et incisi « et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » reiiciuntur. Quae quaestiones cum nunc in hac Universitate in Introd. in N. T. tractentur, eas hic apponere iam omitto.

Arg. 1. — E verbis Christi Mt. 16, 18.

Propositione praecedente vidimus, ecclesiam, quam Christus instituit, uti societatem stricte talem ante eius mentem versatam esse. Iamvero praedixit, ecclesiam suam nunquam destruendam esse. Ergo semper in forma verae societatis permanebit. Ergo.

Minor continetur v. 18. Etenim postquam Dominus Petro dixerat: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam », adiungit: « et portae inferi non praevalebunt adversus eam ». Hoc secundo inciso versus aeternitas ecclesiae continetur. Quod ut demonstremus, primo singula verba incisi explicabimus, deinde conclusionem intentam ex eo ita explicato deducemus. — Quae singula fere verba duplicem explicationem ex parte exegetarum invenerunt: unam quae fundet sensum: « *Regnum Diaboli non vincet Ecclesiam* », alteram quae edicat: « *Regnum mortis non est magis insuperabile quam Ecclesia* ». Utramque cum suis rationibus proponimus. Sive hanc sive illam elegeris, thesis legitime ex his verbis demonstratur. Prior tamen explicatio probabilior mihi videtur.

Inferus (Hades).

Rationes cur hic terminus hoc loco *secundum priorem sententiam* significet *civitatem diaboli,* hae sunt: *a*) *maior omnino auctoritas* ex parte interpretum inde ab aevo Patrum. — *b*) Vi-

debimus, expressionem κατισχύειν τινός *solere habere sensum activum*. Hic autem ad diabolum atque asseclas eius optime applicatur, ad regnum vero mortis minus bene. — *c*) *in loco parallelo* Lc. 22, 31-33 inimicus, qui apostolos cribare nititur, Satanas est. — *d*) *In N. T. in genere premitur pugna Christi atque nostra contra diaboli potentiam uti primaria* pugna, quae nobis sustinenda sit. Ipse Christus in tentatione vicit diabolum; Io. 12, 31 pronuntiat eum passione sua eiciendum esse foras; apostoli v. g. Eph. 6, 12 et 1 Petr. 5, 8 nos hortantur ut contra eum nostra principalis pugna sit. Diabolus est, qui secundum Paulum Hebr. 2, 4 « habet mortis imperium », ad quem debellandum Christus venit; ipse, qui 2 Cor. 4, 4 ut « Deus huius saeculi » excaecare dicitur mentes ne Christo adhaereant. Item Apoc. 6, 2 ut magnus ille hostis Christi atque regni eius exhibetur. Caeterum nonne iam Gen. c. 3 describitur diabolus ut principalis hostis Christi, atque ut is qui mortis causa est? — *e*) Congruit *locus* ubi hostis versari supponitur, scilicet Hades. Etenim concedere solent, « abyssum » idem significare atque Haden. Iamvero abyssus Lc. 8, 3 exhibetur ut locus proprius diabolorum: « et rogabant illum, ne imperaret illis ut in abyssum irent »; diabolus Apoc. 20, 3 in abyssum mittitur; ex inferno Apoc. 9, 2 proficiscuntur monstra inimica Deo. Etiam in visionibus libri Henoch, praecipue c. 54, locus tum damnatorum tum tortorum est abyssus quidam.

Ob. — Hades in V. T. tantum significat locum mortuorum. — R. Id rem non evincit. Etenim non in una voce in N. T. significatio aliquantulum mutata invenitur ab ea, quae erat in Vetere. Cogita v. g. de voce « spiritus ».

Rationes, cur inferus directe significet secundum alteram sententiam locum mortuorum, mortis hae praecipue sunt: *a*) *Auctoritas* complurium recentiorum catholicorum, v. g. Schanz, Fillion; adhaeret etiam Yves de la Brière. — *b*) *Modus constans loquendi V. T.* v. g. « vadam ad portas inferi,... non videbo Dominum in terra viventium ». Is. 38, 17; Ps. 9, 15; 107, 18. — *c*) *Mortis civitatem uti fortissimam* considerari. « Orcus quod habet non dimittit unquam », « antequam vadam et non revertar », Iob. 10, 21; « fortis ut mors dilectio », Cant. 8, 6.

Portae.

Secundum modum loquendi orientalium eae significant *potentiam.* — *a*) Ita est sententia *exegetarum.* — *b*) *Hodie adhuc simile quid* habere videmur, cum de Ottomanico regno ut de « alta porta » loquimur. — *c*) Imaginis explicatio accipiatur haec: Uti ipsa ecclesia, ita potestas ecclesiae adversa a Domino exhibetur sub imagine aedificii, civitatis, arcis munitae. Iamvero in civitate potestas eius atque vis tota repraesentabatur portis eius. Ita v. g. « ...possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum », v. g. Gen. 22, 17. Cuius imaginis rationes hae esse videntur: *Portae exhibentur in Scriptura ut sedes publica principum et tribunalium.* Cf. v. g. Ruth 4, 11; 2 Reg. 19. Portae praeterea validae reddebantur, ne possit per eas intrari; unde ad portas potentiae hostiles potissimum inter se congrediebantur, atque ad eas colligebatur *tota vis resistendi.* Cf. « Dominus erit fortitudo heroum iis, qui impetus reiciunt per portas ». Is. 28, 5 secundum hebr. Unde qui portas expugnaverat, expugnaverat arcem. Forte addi potest, supponi quoque bellicos exercitus inde ad pugnam proficisci. — *d*) At etsi rationem metaphorae nesciremus, certe e *contextu* patet, agi de pugna, ergo inter se comparari vires, potentiam.

Non praevalebunt adversus.

Huius termini duplex habetur expositio, quae cum duplici expositione termini « inferus » cohaeret.

Prior sententia, quae inferum pro *civitate diaboli* accipit, statuit sensum expressionis κατισχύειν τινός esse *activum,* i. e. portae inferi *non vincent.* Rationes hae sunt: *a*) Ita generatim *interpretes veteres, etiam graeci,* qui indolem linguae suae certe callebant; e recentioribus cf. v. g. inter Catholicos Knabenbauer, inter Protestantes Zahn ad l. *b*) item *lexicographi* multi recentiores. — *c*) Usus praecipuus vocis apud LXX. — *d*) Idea de domo aedificata supra petram, quae *procellis, illam utique active concutere tentantibus, non destruitur,* etiam *Mt. 7, 25* ante mentem Christi versatur.

Ob. — Portae non aggrediuntur, quippe quae universim active se habere non possint. — R. cum Knabenbauer: « utique portae non

per se (aggredinntur) sed id quod portis significatur, vel si malueris, eo ipso quod de κατισχύειν αὐτῆς sermo infertur, iam inferus non grammatice sed logice sententiam regit et cogitatur ut agens principale ».

Secunda sententia putat sensum termini non esse activum, « non vincent » sed eum significare: « *ne orci quidem portae firmiores erunt quam ecclesia* ». Iamvero ut mox vidimus Hades concipiebatur ut insuperabilis. Ergo ipsa ecclesia exhibetur ut insuperabilis. Hanc significationem inter catholicos pluribus stabilire studuit Holzhey. Sequuntur alii v. g. Grimm. Ratio praecipua est, portas non posse concipi uti aggredientes. Porro grammatice quoque sensum non activum admitti. Remittunt ad Ier, 15, 18 secundum LXX. — Sunt tamen, qui rem ita explicent: Regnum mortis, quod cunctos ad se trahit, cunctisque dominatur, ecclesiae tamen nunquam dominabitur.

Eam.

Quae vox significat *ecclesiam*. *a*) Ita generatim assumitur. — *b*) Immediate praecedit vox ecclesiae, non vero petrae. — *c*) Idem insinuat metaphora adhibita. Hostes enim intendunt vincere civitatem, non vero rupem in qua est aedificata civitas. Cf. Mt. 7, 25. Unde sensus est: « portae inferi non vincent ecclesiam ».

Resumimus ergo explicationem exegeticam verborum Christi hac ratione: Christi verba aut cum secunda sententia ita exponenda sunt: « Et ideo regnum mortis, quod absolute insuperabile est, non erit magis insuperabile quam mea ecclesia, et ideo ecclesia erit simpliciter insuperabilis ». Aut cum priore ita: « Ne vires quidem diaboli et consequenter nulla vis creata, ecclesiae inimica, eam destruet ». Dixi: « ne vires quidem diaboli et consequenter nulla vis creata ». Expressio directe utique tantum dicit: « diaboli regnum vel potentia non superabit ecclesiam ». At etsi Christus hoc verbo directe significet diabolum, hostem inter omnes sane fortissimum, tamen adsignificat omnes homines cum eo coniunctos, qui utique per se minus formidabiles sunt. Haec est generalis auctorum expositio. Ratio vera interna haec est: Christus potentiam hostilem ad eum finem commemorat, ut firmitatem ecclesiae extollat, ergo emphatice loquitur, intelligens sub uno hoste fortissimo omne id quod ecclesiae firmi-

tati opponere se posset. Deinde solemne est Scripturae praecipue N. T. exhibere diabolum ut eum, cui omnia, quae his in terris Deo inimica sunt, quasi instrumentaliter inserviant.

Difficultates contra argumentum.

Ob. 1. — Portae inferi significant solas eas potestates quae *ab extrinseco* ecclesiam impugnant, v. g. persecutiones. Iamvero *potest esse ut ab intrinseco pericula sint,* ob quae destruatur, v. g. peccata membrorum ecclesiae etc. — R. N. ma. Portae inferi significant *omnes potestates inimicas ecclesiae,* uti collocatas sub eo, qui est princeps huius mundi et principalis hostis regni Christi, cuius quasi membra sunt omnes, in quantum ecclesiae existentiae pericula creant, sive intra ecclesiam sint, sive extra eam. Cf. arg. — Ita etiam rem intellexerunt exegetae.

Ob. 2. — Patres et quidam theologi exponunt « portas inferi » diversimode, v. g. de peccatis, quae singulos in infernum deducant, de persecutionibus variis, de variis ordinibus seductorum, de calamitatibus temporalibus. — R. Aliquando ab iis datur *consequentia ex sensu*, aut *sensus partialis,* c.; semper sensus immediatus plenus, n.

Ob. 3. — Sensus incisi « non praevalebunt adversus eam » est: « mors eam non vincet », i. e. *membra ecclesiae aliquando e mortuis resurgent*. — R. Dist. ma.: Mors non vincet ecclesiam qua coetum, tr.; singuli in aeternum vivent, n. Cf. arg. — Expl. *a*) Sermo non est de singulis, sed *de societate ut societate*, « ecclesia », « regno ». *b*) Imago petrae firmitatem nunquam concussam ecclesiae prae se fert, non vero resurrectionem quandam vel restitutionem rei destructae. *c*) Ex ipsis Protestantibus v. g. Zahn ad l. hanc explicationem reicit.

Ob. 4. — Harnack 1918: *a*) Textus genuinus habet: « non praevalebunt adversus *te* » (scilicet Petre). *b*) Sensus autem huius incisi est: « *Tu, Petre, uti persona privata, non morieris* unquam ». — R. *Quoad* a): Hanc assertionem falsam esse evincunt omnes *codices, versiones, testes reliqui.* — *Quoad* b): Id falsissime dici iam patet ex eo, quod probavimus Christum *nullam prophetiam falsam* eloqui potuisse. Porro in *contextu* sermo est de Petro *ut capite Ecclesiae*. Quodsi unus vel alius Pater aliquando iis verbis usus est: « portae inferi non praevalebunt adversus Petrum », id eo sensu rectissimo dixit, quod eae nunquam caput Ecclesiae superaturae sunt, in quantum est caput. Cf. Fonck l. c. praecipue p. 247-51.

Arg. 2. — E verbis Mt. 28, 18-20.

Uti propositione praecedente vidimus, textu Mt. 28, 18-20 continetur, Christum iis, quos alloquitur, mandatum dedisse, ut homines socialibus vinculis inter se uniant unitosque auctoritate

divinitus accepta ad finem societatis dirigant. Atqui verbis, quae huic mandato addit « et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculorum » continetur, « Christum apostolos efficaciter adiuturum esse, ut hoc mandatum usque ad ultimum iudicium expleant ». Ergo ecclesia usque ad ultimum iudicium in ratione verae societatis conservabitur.

Prob. min. Verba « **Ego vobiscum sum** » significant:

a) **Adiutorium.** — Hic est modus loquendi Scripturae, quem Christus coram discipulis apte sequebatur, quemque Mt. Iudaeis notum esse recte supponebat. Hoc vult connexio idearum, cum Dominus animum discipulis addat, ne ob mandati difficultatem succumbant. Hoc consensus exegetarum statuit.

b) **Efficax.** — Adiutorium efficax a mere sufficienti eo distinguitur, quod in mere sufficienti sed inefficaci, Deus quidem ex sua parte id facit quod requiritur, ut effectus haberi possit, quin tamen, ob libertatem hominis, hic effectus reapse sequatur; in efficaci vero Deus simul facit, ut homo ita cum adiutorio divino cooperetur, ut effectus in actu secundo revera sequatur.

Iamvero phrasis « ego vobiscum sum » in Scriptura semper auxilium efficax exhibet, nisi conditio adicitur. Numerantur atque explicantur a Murray, De Eccl. II, p. 199-209 loci circiter nonaginta. V. g. haec expressio exhibetur de auxilio quod Deus Iosue de facto praestiturus erat in expugnanda terra Chanaan, Deuter 31, 23: « Confortare et esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum; et ego ero tecum »; de adiutorio Abraham impertito loquitur Deus, Gen. 21, 3: « Et peregrinare in terra (Palaestinensi), eroque tecum et benedicam tibi ».

Expressio « usque ad consummationem saeculi » significat « **usque ad ultimum iudicium** ». Etenim in duobus locis aliis Mt., ubi occurrit, consummatio saeculi ultimum iudicium significat. 13, 39-40: « Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi... » — 24, 3 discipuli, modum loquendi Domini adhibentes, interrogant: « Dic nobis, quando haec erunt [scilicet dextructio urbis sanctae] et quod signum adventus tui et consummationis saeculi? ». Cui duplici quaestioni Do-

minus respondet loquens et de destructione urbis et de ultimo iudicio. De hoc valet v. 14: « Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio ». Cf. Knabenbauer ad utrumque l.

Significatio magis accurata duorum terminorum huius expressionis haec est: consummatio finem significat, forte adsignificat mutationem saeculi in statum meliorem; saeculum vero dicit omnem aetatem, quae Christi adventum secundum aeternique regni aditum antecedit, uti habet Grimm ed. 4 ad v.

Difficultates contra argumentum.

Ob. 1. — Verba Christi: « Ego vobiscum sum » intelligi tantum possunt de eo auxilio efficaci, quod Christus impertit, *in quantum Deus est.* Iam vero non reiecimus eos, qui putent, non esse necessarium, ut in tractatu de revelatione christiana ipsa divinitas Christi probetur. — R. *a*) Interim abstrahendo a Christi divinitate, respicere possumus Christum ut hominem, qui a Deo potestatem receperit, ut tale auxilium det. *b*) Haud pauci auxilium illud de quo in nostro loco agitur, a Christo derivant, et quatenus homo et quatenus Deus est. Maldonat ad l.

Ob. 2. — Auctores multi, praecipue e medio aevo, textum « ego vobiscum sum » exponunt *etiam de Christi praesentia in eucharistia,* de singulis hominibus per baptisma sanctificandis *etc.* — R. Haec et similia sunt ipse *sensus immediatus textus, n;* consequentia legitima e textu, c.

Ob. 3. — Expressiones συντέλεια αἰώνων Hebr. 9, 26 et τὰ τέλη τῶν αἰώνων 1 Cor. 10, 11 *ipsum tempus Messianicum significant.* Ergo *a pari* expressio συντέλεια αἰῶνος in nostro loco. — R. N. par. In illis locis tempora ante Christum dicuntur finienda et perficienda tempore Messianico; in nostro loco Christus ipse Messias, iam in mundo praesens, de futuro aliquo termino loquitur « ego vobiscum sum *usque ad...* ».

Difficultates contra ipsam thesim.

Ob. 1. — *Perpetuitas ecclesiae pendet a libera voluntate hominum. Ergo promissio* perpetuitatis ecclesiae non est nisi *conditionata,* scilicet si homines cooperationem suam operi impendent. — R. D. m.: Et Deus *praedixit, se de facto ea adiutoria efficacia daturum esse, quibus infallibiliter obtineat liberam hominum cooperationem, c.:* Deus tantum de adiutorio sufficienti locutus est, n. — Difficultas eodem modo obici posset contra omnem praedictionem absolutam alicuius actus liberi humani.

Ob. 2. — Ipsum foedus Vetus dicitur aeternum; porro *haec aeternitas ita describitur, ut pateat illud nunquam defecturum esse.* Ni-

hilominus interiit. — R. Ad tales locos, qui plurimi sunt, duplex habetur responsum. Prius est, talia praedicata valere *de sola ecclesia* Christi, ita tamen ut ecclesia nominibus insigniatur, quae a figuris et typis sumantur. Alia est, ea dici *etiam de synagoga secundum illud elementum, quod cum ecclesia commune habet*, scilicet secundum quod erat populus Dei cum quo solo specialis pactio divina facta erat, non totaliter auferenda illa quidem institutione ecclesiae, sed in melius mutanda. Sunt qui dicant, utramque explicationem in idem fere recidere. Ampliora aliis in locis.

Sectio II. — De primatu S. Petri eiusque successorum.

Caput I. — De primatu ipsius S. Petri.

Con. mat. — Demonstravimus, ecclesiam a Christo in forma societatis perenniter esse institutam. Quaerimus, num etiam *formam regiminis* eamque immutabilem ei constituerit, *qui porro in concreto ii* sint, quibus curam regendae ecclesiae sub certa illa forma regiminis demandaverit. Utrique tamen quaestioni per modum unius respondemus, demonstrando, Christum primatum instituisse, eumque S. Petro eiusque successoribus contulisse iurisdictionis.

Propositio 4. — Tum verbis Scripturae tum testimonio ecclesiarum totius orbis e prioribus saeculis probatur, Iesum Christum Petro promisisse atque contulisse primatum iurisdictionis in gubernanda ecclesia. — *p. 68-92.*

Qual. — [Petrum a Christo *accepisse* primatum iurisdictionis est de fide divina catholica definita; Vat. Denz. 1823. *Hanc doctrinam contineri in verbis Mt. 16, 18-9 et Io. 21, 15-7* mihi videtur esse veritas definita. Cf. Vat. D. 1826. Col. Lac. VII col. 275].

Adv. — Multi e schismate Graeco; Marsilius Patav.; Protestantes orthodoxi; Protestantes liberales et Modernistae, quia Christus ideis eschatologicis deceptus, nullam organizationem instituerit. — *p. 68-9.*

St. qu. — *Iurisdictio* hic sumitur pro potestate obligandi subditos in ordine ad finem societatis. — *Primatus iurisdictionis* est potestas suprema gubernandi rempublicam ad finem societatis uni collata. — *Primatus honoris* est ius ad certa signa honoris deferenda ob aliam quandam excellentiam. — *Primatus ordinis* est ius ad ordinem efficiendum in consessu eorum, qui simul omnes supremam potestatem habent. — *p. 68.*

Pars. I. — Argumenta e Scriptura.

Praeparationis gratia considerantur ea ex historia, quae abstrahendo a Mt, 16, Io. 21 de Petro habentur. — *p. 67-8.*

Ante Christi ascensionem Christus nomen Petri mutat; diversa honoris signa ei dat, v. g. in eius domo habitat; Petrus (indole naturali) fide et caritate magna ad munus regendi disponebatur; saepe nomine aliorum discipulorum loquebatur.

Post ascensionem a scriptoribus sacris Petrus in plenis vel partialibus catalogis apostolorum semper primus enumeratur. (Excipitur Gal. 2, 9); data opera dicitur « primus », caeteri vero quasi ut socii eius exhibentur. Multa in Act. de Petro narrantur: Petrus auctor est, ut novus apostolus eligatur; loquitur coram populo et principibus nomine caeterorum apostolorum; mirabilem poenam infligit; eminet miraculis; primus ethnicos in ecclesiam admittit; visitat ecclesias fundatas; ad neophytos in Samaria cum duobus apostolis mittitur; eius sententiae in concilio Hierosolymitano omnes adhaerent. Ad eum videndum Paulus venit. Fundavit ecclesiam Antiochenam, Alexandrinam per Marcum, Romanam.

E Mt. 16, 17-9; Io. 21 15-7. — *p. 68-72.*

Soli Petro aliquid datur.

1) Saepe in iis locis vocatur nomine proprio. 2) Omnia in singulari ponuntur. 3) Eidem fit promissio, qui immediate postea solus reprehenditur. 4) Petro aliquid promittitur ratione personalis qualitatis, confessionis fidei, amoris. 5) Opponitur apud Io. caeteris apostolis « amas me plus his (caeteris?) » 6) Consensus catholicorum, recentiorum Protestantium.

Datur potestas regendi vera.

Potestas regendi vera opponitur potestati tantum consilia dandi, etc.

Pasce (ποίμαινε) = Ps. 2, 9: « reges eos in virga ferrea »; Mich. 5, 2; « sit dominator »; Apoc. 12, 9: « recturus erat gentes ». "oves meas"—

Claves regni caelorum. — Is. 22, 22 dicitur de vicerege: « Dabo clavem domus David »; Ap. 3, 7: de Messia « qui habet clavem David ». Ecclesia proponitur sub imagine domus, arcis, civitatis, unde potestas regendi ecclesiam aptissime sub imagine, quae exhibet potestatem administrandi palatium, arcem, civitatem.

« *Ligaveris, solveris* ». — In loco paral. Mt. 18 certe haec expressio de potestate regendi, scilicet punitiva adhibetur. Similia alia ex eo tempore habentur.

Petra dat firmitatem aedificio: « Deus petra Israel »; non cadit domus « quia aedificata supra petram ». Mt. 7, 25. Iamvero aedificium hic est societas, ecclesia; ratio firmitatis vero in societate est auctoritas regendi; ergo ea hoc loco Petro datur.

Eaque suprema.

Potestas suprema ea est, qua nulla est maior in societate, cui nulla par.

1) Petrus, ut vidimus, *regit omnes oves* Christi. Atqui si ullus haberet auctoritatem parem Petri auctoritati, is a Petro regi non posset. — Petrus *sustinet qua petra totum aedificium* ecclesiae, *claves* habet *totius regni caelorum*. Atqui qui sub eo non esset, ab eo ut petra non firmaretur, in eum Petrus non haberet claves. — Petrus habet potestatem *ligandi* et *solvendi omnia*. Atqui duae potestates eiusmodi aequales omnem ordinem in societate impossibilem redderent.

Pars II. — Argumenta e Traditione. — *p. 72-7.*

E Latinis. Cyprianus: « Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem ostendit et instituit, potestatem istam dedit, ut id solveretur [in coelis] quod

ille solvisset ». — Ambrosius: « Quem cum petra dixit, firmamentum ecclesiae indicavit ». — Leo I: « Nonnisi per ipsum dedit, quidquid caeteris non negavit principibus ».

E Graecis. Origenes: « Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, ut super ipsum velut super terram fundaretur ecclesia ». — Chrysostomus: « Caput illius familiae (apostolorum), orbis totius praefectus ».

E. Syris. S. Ephrem.: « Tu es inspector eorum, qui aedificant mihi ecclesiam in terris (i. e. apostolorum); si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprime eos ». — In Officio Syrorum separatorum: « Simon, caput apostolorum, fundamentum, rector, pastor et gubernator ecclesiae ».

Ex Armenis, in Officio: « Caput electi coetus, petra fidei, caput apostolorum » (unice et continuo de Petro).

E libris liturgicis Slavorum: « pastor dominicus omnium apostolorum... pastor a Christo gregem accepit ».

Acta apocrypha apostolorum faciunt Petrum apostolis dividere orbem.

In Archaeologia. Petrus solet comparari cum Mose, duce populi Dei.

DIFFICULTATES E SCRIPTURA.

Obiectiones contra potestatem regendi veram. — *p. 77-80.*

Principium ad solvendas difficultates: Ex usu aliisque circumstantiis eruendum est, quale tertium comparationis e plurimis per se possibilibus, is qui metaphoram adhibet, hic et nunc premat.

Ob. 1. — Pascere Iudas 12, Apoc. 7, 17 significat solam nutrimenti largitionem. — Apud Iud. vi subiecti, quippe quod non sit diversum a pascente; in Apoc. *vi status subiecti,* quippe quod sit in termino.

Ob. 2. — Βόσκειν = nutrimentum praebere. — *a)* etiam = regere. *b)* Io. etiam dicit ποιμαίνειν.

Ob. 3. — Regnum caelorum = eschatologicum. — N., cum sit sermo de stabili auctoritate in illo exercenda, quae in caelo exerceri nequit.

Ob. 4. — Clavis = clavis scientiae Lc. 11, 52. — At clavis *regni* = auctoritas.

Ob. 5. — Clavis = merum *medium aperiendi;* ergo significatur sola potestas admittendi ad ecclesiam. — Dist. ma.: vi vocis, c.; *vi usus* plus dicitur.

Ob. 6. — Clavis regni caelorum = potestas *admittendi ad caelestem beatitudinem.* — *Vi* formalis significationis, n.; vi *consequentiae,* c.

Ob. 7. — « *Ligare et solvere* » *est expressio in solis scholis rabbinicis usitata,* significans tantum potestatem *declarandi legem.* Ergo *a)* ab apostolis intelligi non poterat; *b)* non significat potestatem regendi. — R. *a)* Peto prob. asserti, eam expressionem fuisse solis Rabbinis notam et probationem primae consequentiae. Erat expressio usitata. *b)* Certe Mt. 18, 18, in loco parallelo a Christo in sensu regendi adhibetur cum ex ea ius puniendi deducat.

Ob. 8. — « Ligare et solvere » = *peccata condonare.* — Vi significationis formalis, n.; *vi consequentiae* in hoc ordine rerum, c.

Ob. 9. — *Petra* = fundamentum = principium aliquod = *aliqua ratio originis relate ad ecclesiam;* atqui haec ratio in Petro est, in quantum primus homines in ecclesiam admisit. — N. *Petra significat rationem firmitatis continuae,* quae est auctoritas (in tantum = fundamentum).

Argumenta contra potestatem supremam.

E rationibus diversis. — p. 80-2.

Ob. 1. — Apostoli ea verba non *intellexerunt;* alias non quater inter se *disputassent, quis primatum habiturus sit.* — *a)* Defectus intellectionis hic et nunc, *sensum obiectivum verborum non destruit. b) P. prob.,* apostolos ea verba *non* intellexisse. Illi quatuor loci a quibusdam dicuntur intelligendi de possidendo regno coelesti, de aptitudine ad primatum etc. *c)* Forte apostoli ob reprehensionem Petri, quae Mt. 16, 23 immediate post promissionem primatus sequitur, putarunt, *promissionem esse conditionatam.*

Ob. 2. — 1 Cor. 10, 4: « *Petra* erat Christus ». — I. e. = causa *ex qua aqua miraculoso modo* Israelitis proveniebat.

Ob. 3. — 1 Cor. 3, 11: « *Fundamentum* aliud nemo ponere potest praeter *Christum* ». = *Veritates* praedicandae aliqua ratione ad eas, quae sunt *de Christo* vel *a Christo* propositae, reducendae sunt.

Ob. 4. — *Trina confessione* Petro *restituitur,* quod trina negatione omiserat, scilicet *apostolatus.* *a)* Apostolatus non erat amissus; si vero fuisset amissus, iam restitutus fuisset verbis Io. 20, 21: « sicut misit me Pater, ego mitto vos ».

Ob. 5. — *Petrus in profitenda fide representavit apostolos;* ergo etiam in recipiendo praemio confessionis fidei. - *a)* Etiam in profitendo amore Io. 21, 15, cum tamen ob eum a Christo caeteris apostolis praefertur? *b)* Quoad fidem, Mt.: *α)* Peto prob. Petrum apostolos in fide repraesentasse; β) deputatus erat ab apostolis in *profitenda* fide tr.; in *recipiendo* omni *praemio* loco apostolorum, n. Talis deputatio e parte subditorum repugnat libertati supremi regentis, Christi.

Speciatim ex aequalitate apostolorum, atque nominatim S. Pauli, cum Petro. — p. 82-5.

Principium solutionis difficultatum: apostoli erant *aequales* Petro sive *in potestate extraordinaria,* v. g. miracula patrandi; sive *in ordinaria,* sed *sanctificandi,* non imperandi; vel etiam in potestate imperandi *vera,* at *non suprema.*

Ob. 1. — Ephes. 2, 20 fideles dicuntur « supraedificati super *fundamentum apostolorum* et prophetarum ». — Fundamentum est *doctrina* apostolorum et prophetarum, quam utique singuli apostoli infallibiliter proponebant.

Ob. 2. — Apoc. 21, 14: — Murus civitatis habens *fundamenta duodecim* ». - Ecclesia fundata = *ad fidem collecta est per duodecim apostolos.*

Ob. 3. — Mt. 18, 18 Christus omnibus apostolis dicit: « quaecumque ligaveritis... ». Ergo omnes potestatem supremam acceperunt. — Dist. antecedens: Dicit ea verba caeteris apostolis cum Petro, quibusque iam Petrum ut caput determinaverat, i. e. collegio ob caput, c.; caeteris sine Petro eoque ut capite, n. — Simili modo argumentandum est de Io. 25, 21-3: « sicut misit me Pater, mitto vos »; de Mt. 28, 20.

Ob. 4. — Gal. 2, 8 Paulus ait: « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, *operatus est et mihi* inter gentes ». — Deus fructum dedit utrique in diverso campo immediato laborum suorum, c.; laboranti Paulo ut capiti, independenter a Petro, n.

Ob. 5. — Cor. 11, 28 Paulus sibi ascribit « *sollicitudinem omnium ecclesiarum* ». — *A se fundatarum;* dependentia a Petro aliunde scitur.

Ob. 6. — 2 Cor. 13, 11: « *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum apostoli* ». — I. e. Maior sum pseudo-apostolis.

E silentio quodam aevi apostolici. — p. 85-7.

Ob. 1. — Si primatus exstitisset, *Actus Apost. eum commemorare deberent.* Atqui eum non commemorant. — *a)* Dist. ma.: Si hic liber constitutionem iuridicam ecclesiae exponeret, c.; si parvam partem historiae alicuius aetatis, p. pr. *b)* Dist. min.: Non ea habet, e quibus solis primatus concludi potest, tr.; eum non confirmat, n.

Ob. 2. — Si Petrus fuisset caput, eam dignitatem *in epistulis et catechesibus suis sibi ascripsisset.* Atqui primum non fecit, ut patet; neque secundum, alias Mc. primatum narrasset. — *a)* Dist. ma.: Aut ipse aut alii debebant primatum exponere, c., necessario ipse *in iis ipsis occasionibus,* n. — *b)* Conc. primam partem minoris; p. prob. secundae. Num Mc. omnia scripsit, quae Petrus docuit?

Ob. 3. -- Si Petrus fuisset caput, habuisset *nomen muneris.* Atqui non habuit. — *a)* N. necessitatem absolutam nominis proprii pro munere. *b)* Habuit tamen: « Petrus ».

Ob. 4. — 1 Cor. 14, 28 S. Paulus *intendit* enumerare omnia munera ecclesiastica. Atqui omittit primatum. — N. ma. Enumerare intendit tantum charismata extraordinaria, miraculosa, neque ea omnia. Finis enim loci est hortari, ne dona miraculosa indebite appetantur. Praeterea neque episcopatum commemorat, sed solum apostolatum.

Ob. 5. — *Eadem dif.* fit ex *Ephes.* 4, 11-3. — *a)* P. prob. ma. Enumerat tria munera extraordinaria, unum ordinarium « pastores et doctores ». Exsistunt plura extraordinaria; unde probatur, eum voluisse commemorare omnia ordinaria *distincte? b)* Indistincte « pastores et doctores » continent etiam supremum pastorem.

E factis quibusdam positivis aevi apostolici. — p. 87-9.

Ob. 1. — Supremus pastor ad caeteros non scribit ut « *consenior* ». Atqui ita Petrus 1 Petr. 5, 1. — N. *Apte* premier *aequalitas* in munere vere *regendi,* ut omnes pastores ad *similes virtutes* excitentur. Ob talem scopum inaequalitas premenda non erat.

Ob. 2. — Si Petrus fuisset caput, *ipse debuisset eligere novum apostolum* Matthiam. At sorte eum eligunt. — *a)* Peto prob. ma. Potuit aliis hoc demandari. Sunt qui putent, pro eo munere extraordinario decuisse recursum ad providentiam extraordinariam. *b)* Ad min.: id proponente Petro, qui totum negotium exorditur.

Ob. 3. — Saltem *Paulus non reprehendisset eos qui dicebant: « ego (sum) Cephae ».* — Si hanc formulam adhibuerunt sensu « Sum Cephae et *nego apostolatum Pauli* », quo sensu utique ecclesia scinditur, n.

Ob. 4. — Saltem Paulus *Petro non « in faciem restitisset,* quia reprehensibilis erat ». Gal. 2, 11. — Dist.: cum debita *reverentia,* e *iusta et gravi causa,* ne scilicet Petrus exemplo suo occasio esset erroneae sententiae, Ethnico-Christianos ad legem Mosaicam teneri, n. — Hebraismus « in faciem » dicit tantum « publice ». potius innuit quanta fiebat auctoritate Petri.

DIFFICULTATES E PATRIBUS, PRAECIPUE E S. CYPRIANO
p. 89-92.

Ob. 1. — In archeologia *S. Paulus ad dexterum latus Petri* conspicitur. Ergo S. Paulus maioris dignitatis erat. — *a)* N. conseq. V. g. S. Agnes pingitur ad dexterum latus B. Virginis, similia. *b)* In maiore parte repraesentationum Petri et Pauli contrarium obtinet.

Ob. 2. — Patres, *praecipue postnicaeni, fidem Petri petram ecclesiae dicunt.* — Eam fidem rectam quae in unoquoque fideli inest, n.; aut *Petrum, quatenus confessione fidei* quasi *meruit* ut primatus potius sibi quam alii daretur; aut *Petrum ut in successoribus viventem, quatenus* ab eo recta *fidei praedicatio procedit,* c. — Ratio cur Patres relationem Petri ad fidem tantopere efferrent, praecipue sita esse videtur in bello quod praecipue Romani Pontifices contra Arianismum aliasque haereses felici cum successu sustinuerunt.

Ob. 3. — Patres saepe dicunt *Christum* petram ecclesiae. — Dist. negando rationem capitis visibilis in Petro n.; efferendo, Petrum a *Christo,* capite *ecclesiae nunc invisibili,* habere suam *auctoritatem,* c.

Ob. 4. — *Origenes omnes fideles* dicit petram ecclesiae. — *Per accomodationem.*

Ob. 5. — *Aug.* affirmat « hanc petram » *non referri ad Petrum,* sed ad solum Christum. — Ut sententiam probabilem, in qua tamen *erravit.*

E. S. Cypriano.

Doctrina eius quam maxime a primatu aliena esse hodie perhibetur.

Ob. 1. — S. Cypriani explicatio de loco Mt. haec esse dicitur: Petrus *per aliquod tempus* (usque ad Mt. 18, 18, vel Io. 21, 15) *unicus* erat, *cui Iesus dederat* eam auctoritatem, quam (Mt. 18, 18, vel Io. 21, 15) *in omnes apostolos divisit,* et ideo pro omni tempore manet *typus unitatis* in corpore episcoporum, quo ecclesia gubernanda est. — N. *a)* Nihil Petro datum est Mt. 16, 18 sed tantum promissio facta; ergo esset promissio rei nunquam dandae. Ergo tota ratio primatus esset in eo, quod verba eandem potestatem futuram pluribus communem significantia aliquibus mensibus antea uni dicta sunt quam pluribus. — *b)* « De habitu virginum » Cyprianus eundem sensum statuit pro Io. 21, 15 atque pro Mt. 16, 18. Atqui Io. non habetur prioritas temporis in promittenda vel danda ea potestate, cum praecesserit Mt. 18, 18, Io. 20, 23. ergo potestas omnibus in priore loco promissa, in posteriore data. — *c)* Haec explicatio neque ante neque post Cyprianum data, neque ante Anglicanos ab ullo ei tributa est. — *d)* Repugnat sensui verborum Cypriani « *super quem* aedificavit ecclesiam ». — *e)* Repugnat ei influxui reali, quem Cyprianus Pontifici Romano qua successori Petri in primatu attribuit.

Ob. 2. — Cyprianus ait: Christus « ut *unitatem manifestaret,* unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit ». Ergo de solo signo, typo unitatis sermo est. — Dist. antec.: Sensus est: ut una *sit* realiter ecclesia, et *consequenter* ut talis *manifestaretur.* Nam in sensu adversariorum *a)* nulla unitas ecclesiae a Petro incepisset, *b)* nullam unitatem « auctoritate » disposuisset Dominus.

Ob. 3. — Cyprianus ait: « quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam *parem potestatem* tribuat... ». Sequitur Io. 20, 21-3. — Immediate antecedunt verba « Super unum aedificat ecclesiam ». Quae cum plus contineant, verba sequentia de paritate in potestate generice sumpta (vel extraordinaria apostolica) intelligenda sunt.

Ob. 4. — Cyprianus in libro qui « *de catholicae ecclesiae unitate* » agit, totam doctrinam de primatu *data opera exponere debuisset.* Quam pauca habet! — Liber scriptus est ut *proxime schisma in ecclesia particulari Carthaginiensi* contra episcopum particularem reprimeret.

Unde magis premit, *corpus episcoporum indivisum* esse, quam ut ultimam causam huius unitatis, primatum, multis evolvat. Non est tractatus completus dogmaticus de unitate ecclesiae.

Caput II. — De successione in primatum.

Art. 1. — De aeternitate primatus.

Propositio 5. — E Christi ipsius institutione Petrus successores habebit in primatu usque ad finem saeculorum. — *p. 93-106.*

[***Qual.*** — De fide divina catholica definita. Vat. 1824-5 « ex iure divino, ut Petrus habeat perpetuos successores »].

Adv. — *Protestantes* generatim, saltem eatenus, quatenus ad negationem primatus in ipso Petro, solent speciales rationes adiungere, cur, etsi ipse primatum habuisset, eum tamen successoribus tradere non potuisset. — *Graeci,* priusquam ipsum primatum Petri negare coeperunt.

Expl. term. — Sensus theseos est: 1) Semper *ambitus iurium primatus* in ecclesia *remanebit,* isque uti *in uno* inhaerens. — 2) Is *unus,* qui hoc munus habebit, *illud semper habebit uti successor Petri* in primatu. I. e. Deus uno eodemque actu omnem potestatem supremam, qua ecclesia in aeternum regatur, ita concessit Petro, ut, si ille morte vel alia re quae regimen impossibile reddat, a regendo impediatur, alius in *eius locum legitime suffectus, eam ipsam potestatem,* quam habebat primus, ex eodem *iure divino accipiat.*

E Christi institutione, ergo ex iure divino. Id sane sequitur, si Christus consideratur ut Deus. At idem sequitur, etsi quis eum interim tantum ut Messiam consideraret. Ut talis enim dat Legem Novam, quae non est imperfectior quam Vetus. Haec autem divina erat.

Usque ad finem saeculorum. — Sufficit continuitas moralis, quae non destruitur eo tempore, quo novus successor eligitur.

Sermo est de *successione in munus ordinarium Petri,* quale est primatus, non vero in munus extraordinarium, quale est apostolatus cum privilegiis extraordinariis in eo contentis, qualia v. g. erant potestas miracula patrandi, donum inspirationis hagiographi-

cae. — Hoc loco *munus ordinarium* illud dicimus, quod *ad eum ordinem pertinet, qui pro societate, de qua agitur. in aeternum stabilitus est atque proinde semper aderit; munus vero extraordinarium* illud, *quod ad talem ordinem in aeternum stabilitum non pertinet atque proinde non semper in ea societate erit.* Huiusmodi munera vel privilegia extraordinaria rationem habent in quibusdam necessitatibus transeuntibus. Ita ratio pro munere extraordinario apostolatus eiusque privilegiis erat in difficultatibus specialibus eius temporis, quando ecclesia primum in orbe propaganda erat. In munere extraordinario apostolatus neque Petrus neque caeteri apostoli successores habent.

Arg. 1. — E verbis Mt. 16, 18. — *p. 99-100.*

Secundum verba Christi Mt. 16, 18 ecclesia *ideo semper durabit* atque nunquam ab hostibus superabitur, *quia regitur auctoritate primatus, in quantum is in Petro residet.* Atqui ecclesia non regitur a Petro, in quantum semper viveret ut persona physica, quippe qui mortuus sit. Ergo erit semper unus qui ei in eodem munere succedet.

Prob. ma.: Incisum prius: « *Tu es Petrus* et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam », a Domino proponitur *ut causa incisi secundi: « et portae inferi non praevalebunt adversus eam »*. Atqui, uti probavimus, incisum prius habet sensum: « tibi concedam primatum iurisdictionis »; incisum secundum habet sensum: « *ecclesia aeterna erit* ». Ergo.

Prob. hanc secundam maiorem. — *a*) Evidentia ipsius imaginis. *b*) Mt. 7, 24-7 Iesus data opera ut causam firmitatis domus proponit, quod erat « fundata supra petram ». *c*) Alias sermo Christi inconcinnus esset. Cur prius de Petro, deinde de ecclesia, deinde iterum de Petro agit, nisi ut relatio Petri ad ecclesiam monstretur? Unde « *et* » hoc loco aequivalet coniuntioni causali « *et ideo* ».

Illustratur hic sensus Mt 16, 18 loco Gen. 49, 10: « Non auferetur sceptrum de Iuda » i. e. de Iuda et de iis, qui ab eo descendent; item loco Mt. 28, 20: « Ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi ».

Probationem secundae minoris, scilicet inciso « et portae... » contineri aeternitatem ecclesiae, v. Rep. p. 210-4.

Arg. 2. — E. Io. 21, 15. — *p. 100.*

Verba « pasce agnos meos » primo per se *apta* sunt *quae eas omnes oves in aeternum complectantur,* quorum Christus est pastor principalis. — Secundo, eum sensum *habent.* Nam congruit tempus, cum Christus in eo sit, ut *vicarium sui ante discessum ab hoc mundo,* connaturaliter usque ad adventum suum, constituat. Praecipue vero: locus *parallelus est Mt. 16, 18.* Hoc autem Petrus cum suis successoribus intelligitur. Ergo cum Io. 21, 15 verba et circumstantiae tam apta sint, ut hunc sensum exprimant, eum continere dicenda sunt.

Arg. 3. — E necessitate maiore primatus post Petri mortem.

Argumentum proponitur ut saltem *valde probabile.* — Christus eo quod primatum instituit, eximia ratione *unitati ecclesiae providere voluit.* — Nam primo id intendit, quod *natura rei* in se habet. Iamvero forma regiminis monarchica magis unitatem fovet, tum *ob physicam unitatem regentis* tum *ob auctoritatem sapientum* id efferentium tum ob *testimonium populorum,* qui, quamvis saepe forma regiminis non monarchica uterentur, tamen in temporibus difficilioribus haud raro *dictatores* eligebant. — Secundo *Patres* idem edicunt. V. g. S. Cyprianus « ut unitatem manifestaret ».

Atqui vivente Petro primatus ad unitatem ecclesiae conservandam minus necessarius erat, quam postea. Nam *viventibus apostolis ob eorum infallibilitatem personalem atque maximam virtutem pericula haereseon atque schismatum exclusa erant ex parte ipsorum et facilius vitabantur in fidelibus.* Postea vero haec pericula ex parte et episcoporum et fidelium caeterorum multum invaluerunt. Id quod historia testatur.

Ergo a fortiori Christus primatum pro temporibus post Petri mortem instituit. — *Confirmatur* argumentum e testimonio quorundam *Protestantium,* uti sunt Grotius, Leibnitz.

Arg. 4. — Ex auctoritate ecclesiae catholicae.

a) *Directe.* V. g. S. Leo: « *Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit* ».

— *b*) *Indirecte.* V. g. Patres saepe efferunt, idque contra haereticos *sui* temporis, *finem primatus instituendi fuisse unitatem ecclesiae*. Ergo eum ut medium unitatis in hoc ordine essentiale exhibent.

Ob. 1. — Dedecet Dei sapientiam, ecclesiam suam in *manu unius hominis relinquere.* — Postquam per *infallibilitatis et indefectibilitatis donum* efficaciter providit, ne ulla ex rebus ecclesiae essentialibus ab illo perdi possit, n.

Ob. 2. — Deus *liber est,* ergo etiam constitutionem ecclesiae pro temporum opportunitate *mutare potest.* — Nisi *liberrime constituerit, se eam non mutaturum esse.* Unde videmus, eum mutationem non utilem iudicasse.

Ob. 3. — *A libertate hominum pendet, num*, mortuo uno papa, *alium eligere velint.* — Ipsa promissione aeternitatis primatus continetur promissio, Deum *efficaciter* curaturum esse, ut semper iterum eligant papam.

Ob. 4. — *Christus rem tanti momenti clarius edixisset* quam Mt. 16, 18. — Vere edixit Mt. 16, 18. Si necessarium fuit, etiam alio modo idem dixit. Non enim omnia scripta sunt, quae dixit.

Ob. 5. — *Primatus* Petro datus est *ut remuneratio pro eius fide.* Atqui haec *remuneratio non* magis *transmitti potest,* quam id pro quo data est remuneratio, scilicet fides personalis Petri. — Dist. ma: *Ipsum munus primatus institutum est, ut sit remuneratio* pro fide Petri, *n.;* primatus *potius Petro quam alii* datus est ut quaedam remuneratio pro eius confessione fidei, c. Contradist. min.

Ob. 6. — Verba : « *vade post me Satana* » *non* pertinent *ad successores Petri,* sed ad solum Petrum. Ergo idem dicendum est de *verbis* eiusdem contextus : « super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ». — *N. par.* Ex *ipsis verbis de petra* eorumque relatione ad verba de ecclesiae firmitate demonstratur, *ea valere de Petro ut est persona publica.* Id quod de alio inciso non valet.

Ob. 7. — *Munus apostolatus non transiit* ad alios, ergo a pari non munus primatus. — Illud extraordinarium erat, hoc ordinarium esse probatur.

Ob. 8. — *Privilegia personalia non transeunt.* Atqui primatus erat privilegium personale. — Privilegia sensu stricto non transeunt, tr.; privilegia *sensu lato, n.* Contr. min. — *Privilegium sensu lato est « ius speciale ad praerogativas quasdam, etsi ordinario et communi iure alicui prae aliis conceduntur ». Ita dignitas regia* est privilegium sensu lato. Privilegium sensu stricto est « ius speciale permanens a superiore contra vel praeter ius commune in gratiam concessum ».

Art. 2. — De Romano Pontifice uti successore S. Petri.

Propositio 6. — Romanus Pontifex est Petri in Primatu successor. — *p, 107-47 : Lith. v. I p. 288-363.*

[***Qual.*** — Veritas definita a Conc. Vat. D. 1824-5].

Adv. — Protestantes, Graeci.

Expl. term. — *Romanus Pontifex* est is qui legitime creatus est episcopus dioeceseos Romanae. — Primatus intelligitur munus regendi ecclesiam universam. — *Est* i. e. « *historice loquimur* » (cum Conc. Vat.; cf. explicatio episcopi Pie in Conc. ante definitionem). I. e. *usque nunc de facto* primatus cum sede Romana episcopali coniunctus *erat*. Hoc enim demonstrasse pro fine theologiae fundamentalis sufficit. In tractatu dogmatico proponetur quaestio, num haec coniunctio e iure divino incommutabili sit, an potius e iure ecclesiastico, absolute quidem mutabili, quamvis moraliter forte immutabili, quae mutatio porro certe a solo Romano Pontifice dependeret. — *p. 107-8.*

Arg. 1 — Ex aeternitate Primatus et titulo successionis in solo Romano Pontifice.

Constat, *adhuc vere exsistere successorem Petri in primatu*, idque eo modo, ut qua talis cognosci possit. Atqui evidentissime nemo praeter Romanum Pontificem ut talis cognosci potest. Ergo.

Ad ma.: Primatus in aeternum promissus est qua petra ecclesiae, ergo qua centrum regiminis, ergo ita ut cognosci possit. — Ad min.: Si quis alius ullum *titulum vel tenuiter probabilem* haberet, eum sive ob cupidinem regendi sive ob fervorem rectae fidei (« petra fidei ») *proferret*. Iamvero nemo primatum in orbem ut successor Petri in primatu sibi ascribere saltem audet, praeter Romanum Pontificem qui a circa 250 milion. ut talis agnoscitur. — *p. 108-14.*

Arg. 2 — Ex humana auctoritate Romanorum Pontificum et ecclesiae.

Tum Romani Pontifices et verbis et factis professi sunt tum Ecclesia et verbis et factis agnovit primatum Romani Pontificis ut successoris Petri in primatu. Iamvero *α*) *Adest auctoritas*

humana in hac assertione. Alias aut Romani Pontifices in genere et universa ecclesia semper eiusmodi mendacii rei fuissent, quod iam per se ingens constitueret crimen. A quo crimine eos abhorruisse aliunde, ex cura eorum de recta christiana religione, scitur. Aut ignorantia maxima statuenda esset in hac re, quae tamen quam maxime ex natura sua obvia est, scilicet de successione in regimine. — *b*) Sufficeret argumentum ex praescriptione v. g. inde a saeculo 4°. At quaedam etiam e saeculis anterioribus afferemus. — *p. 114-7.*

Clemens Romanus — *p. 119-32.*

Ecclesia Romana, i. e. teste Irenaeo ipse Clemens, Corinthiis scribit: « Si obedientes facti iis, quae scripsimos per Spiritum Sanctum ». — « Sin quidem non obtemperaverint iis, quae ille (Christus) per nos dixit, cognoscant, offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato ».

I. Ecclesia Romana sibi primatum ascribit.

a) *Ecclesia* epistulam scribit. Nam inscriptio : « Ecclesia Dei... ». Euseb.

b) Sibi *auctoritatem ecclesiasticam in ecclesiam Corinthiacam ascribit.* Ita docti quidam acatholici, ut Harnack; catholici. — Ita textus supra citati. Nam « scripsimus per Spiritum Sanctum » non potest significare inspirationem ad scribendum, sed tantum iussionem per Deum. Haec vero iussio divina non est praeceptum immediate divinum, quod, utpote extraordinarium, in epistula probandum esset, quod excluditur cura rebus Corinthiacis iam antea adhibita, caeteris quae de ecclesia Romana eius aevi sciuntur. *Cf. p. 125-7.* — Ita insinuat Irenaeus, qui in contextu l. 3 c. 3 n. 3 hanc epistulam ut exemplum exercitii « potioris principalitatis » habet.

c) *Haec auctoritas est primatus.* Ita quidam acatholici; catholici. Alia auctoritas cogitari nequit. Nam ecclesia Romana non fundaverat Corinthiacam; etiam Corinthiaca erat apostolica; non ob rationem patriarchatus Occidentis; adhuc vivebat S. Ioannes.

II. Clemens sibi primatum ascribit. — *a*) *Clemens* epistulam scripsit. Ita Dionysius, Corinthi episcopus c. 170; ubi ea eo

tempore adhuc publice legebatur; Euseb. — *b*) *Ut caput ecclesiae Romanae eam scripsit.* Nam ut episcopus; hic autem caput ecclesiae suae erat. Cf. epist. Ignat. Analogia Irenaei, qui scripsit nomine fratrum, « quibus *praeerat* in Gallia ». — *c*) Ut caput ecclesiae universalis. Cf. I. c.

Obicitur agi de sola correctione fraterna.

Ob. 1. — Auctor generatim tantum graviter admonet, non formaliter imperat. — Hoc connaturale est, cum fere totam vitam christianam tractet. Cf. eandem indolem epistularum apostolorum, etc.

Ob. 2. — Auctor tantum consilium dat. — Imponit, ut seditiosi a seditione cessent; suadet vero, ut sponte ex urbe secedant.

Ob. 3. — Auctor non intimat poenam ecclesiasticam. — N. consequentiam.

Ob. 4. — Romani se ipsos in hac epistula inter eos comprehendere solent, quos admonent. — Uti toties ipsi apostoli.

Ob. 5. — Auctor tantum edicit, Deo obtemperandum esse. — Auctoritative hoc dicit. Cf. argum.

Obicitur agi de epistula, quae forte vel certe a Clemente utique scripta sit, sed non qua capite, sed qua instrumento ecclesiae Romanae, cui suberat.

Ob. 1. — Ex sola epistula ne hoc quidem scitur, fuisse omnino aliquem episcopum Romae. — Num omnia ex eodem documento haurienda sunt?

Ob. 2. — Clemens non provocat ad Mt. 16, 18. — Non agebatur de inobedientia Corinthiorum erga caput ecclesiae universalis sed erga suos immediatos superiores.

Ob. 3. — Clemens multa tamen alia testimonia *Scripturae* profert. — Congruenter cum suo fine speciali, at fere omnes e V. T. (115 : 5 e N. T.).

Ob. 4. — Clemens facit mentionem Petri et Pauli, non vero primatus! — Martyrium eorum ut exemplar adducit.

Ob. 5. — Tantum ecclesia Romana nominatur, nunquam Clemens. — Ad hominem quoad Presbyterianos: Ergo neque Presbyterium exsistebat? Quoad omnes adversarios: Etiam postea, cum primatus evidenter iam exsisteret, idem modus loquendi erat. Ratio: actus episcopi sunt actus corporis moralis, ecclesiae, cui praeest; porro sedes Romana facta est sedes primatialis. Occasio tacendi nomen forte petebatur e periculis personae imminentibus.

S. Ignatius — *p. 132-47.*

S. Martyr de ecclesia Romana haec habet: Incisum prius « ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων... » Incisum secundum: « προκαθημένη τῆς ἀγάπης ».

I. Προκαθημένη **significat: « regimen habet ».** — *a*) Ita *in auctoribus* classicis, Patribus, literatura recentiore; praecipue in *literatura ecclesiastica de regimine ecclesiastico.* — *b*) Προκάθηται, uti conceditur, hanc significationem habet. Iamvero vox προκαθημένη, nonnisi per 6 epitheta ornantia divisa a προκάθηται, *idem verbum resumit atque explicat.* — *c*) *Modus loquendi S. Ignatii.* Magn. 6 idem verbum bis in significatione regiminis adhibet. — *p. 133-4.*

II. Ἡ ἀγάπη **significat ecclesiam universalem.** Etenim

(1) *Significat coetum, ecclesiam.*

Nam *a*) Ἡ ἀγάπη significare *potest* ecclesiam. Etenim eo tempore saepe = convivium Christianorum. Apud Ignatium σύνδεσμος ἀποστόλων = Concilium apostolorum. In quatuor aliis locis Ignatii ἀγάπη hunc sensum non excludit, imo probabilius habet, uti eum habet Martyrium Colbertinum, quod modum loquendi Ignatii imitatur. — *b*) Hunc sensum *certo* habet. Nam προκαθῆσθαι non potest adhiberi nisi aut absolute aut cum addito loci aut coetus. Ergo hic coetus significatur. — *p. 137-9.*

(2) *Significat ecclesiam universalem.*

Argumentum primum e priore inciso. — *In priore inciso* προκάθηται adhibetur absolute, ita ut ἐν χωρίῳ Ῥωμαίων non significet territorium in quod dominium exercetur, sed tantum locum ex quo. Atqui si ita, supponitur, mente adici ecclesiam universalem ut subiectum in quod dominium exercetur.

Prob. ma. Hoc insinuat *a*) forma grammatica ἐν. *b*) Paritas cum inscriptionibus caeterarum epistularum, ubi semper expressio analoga οὔσῃ ἐν tantum significat locum ubi sint istae ecclesiae. *c*) Defectus sensus congrui, si exhiberetur territorium in quod regimen exercetur: *Non* significatur *dioecesis Romana.* Cur enim de caeteris ecclesiis tantum dicitur, eas *esse* in loco, de Romana bis eam *regere* illum ipsum locum? *Non regio quaedam suburbicaria,* sive ea sumitur sensu quodam strictiore sive latiore. Num ea eo tempore habebatur? Porro aliae ecclesiae, uti Ephesina, talia vel plus habebant. Nihilominus etiam de Ephesina dicitur « οὔσῃ ». Tandem Ignatius de ecclesia Romana grande quid eloqui vult, uti ex indole inscriptionis patet. Ergo non tantum eiusmodi dominium significat. *Non Italia* vel *Occidens.* Nam certe non formabat unitatem ecclesiasticam ita notam, ut ea,

quin exprimeretur, per se iam intelligeretur. Non *imperium Romanum qua tale.* Eadem est rátio (nisi in quantum quibusdam videtur supponere *pro ecclesia universali,* quippe quae maiore ex parte in imperio Romano propagationem suam haberet). — *p. 140-3.*

Caeterum etsi προκάθηται hic non positum esset sensu absoluto, sed ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων significaret territorium in quod regimen exercetur, tamen eadem esset consequentia ob easdem rationes, quibus argumentum secundum formatur. — *p. 143.*

Argumentum secundum ex inciso secundo. — In hoc ecclesia Romana dicitur praesidere τῆς ἀγάπης. Iamvero *a*) Nihil impedit, quominus hic *terminus* significet ecclesiam universalem, imo valde *aptus est* ad hanc significationem. Si enim ob vincula caritatis singularis ecclesia ita vocari potest, cur non universalis? Convenit articulus, modus loquendi Pauli, qui articulo addito ad ἐκκλησία ecclesiam universalem significat. Idea ecclesiae universalis saepe ante mentem Ignatii versabatur: « catholica Ecclesia », « Episcopi per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt ». *b*) Alia significatio exclusa est. Cf. arg. primum n. c. — *p. 143.*

Confirmatio 9, 1: « Solus Iesus Christus illam (ecclesiam Antiochenam post mortem meam) reget et vestra caritas » i. e. vestra ecclesia — *p. 144-6.*

Ob. 1. — « Προκαθημένη » enumeratur inter *perfectiones morales.* Ergo non significatur munus. — Effertur munus et modus agendi muneri congruus.

Ob. 2. — In epistula *caritas Romanorum laudatur,* quae utique aliunde ex eleemosynis etc. nota est. — Talia contra sensum aliunde stabilitum adduci nequeunt.

Ob. 3. — Προκαθημένη de munere intelligi posset, *si eiusmodi organizatio pro eo tempore iam aliunde constaret.* — Ergo nunquam novi quid e documentis disci potest?

Ob. 4. — Ignatii intuitus *nondum ultra limites communitatum singularum fertur.* — N. Cf. arg. 2.

Ob. 5. — In hac epistula *nullus episcopus Romanus nominatur,* cum Ignatius in caeteris nominet episcopum eius ecclesiae ad quam scribit. Ergo Romae eiusmodi munus ignotum erat. — At nominatur « ecclesia », quae sane « sine episcopo non nominatur ». In caeteris ad obedientiam et unitatem hortatur. Nomen forte ob periculum tacetur. — Dif. usque nunc positae v. *p. 146-7.*

Ob. 6. — Sensus incisi est: Ecclesia Romana « se distinguit caritate ». — N. ass. Nullum exemplum pro hoc sensu citari potest; non potest statui alius sensus pro προκάθηται, alius pro κροκαθημένη.

Ob. 7. — Sensus est: Ecclesia Romana « protegit opera caritatis, unionem fraternam ». — N. ass. ob easdem rationes. Rationes vero ab Harnack allatae non valent. Sunt vero hae:

Ob. 8. — In Pseudo-Clementinis Iacobus dicitur κροκαθεζόμενος ἀληθείας. Atquí impossibilis est alius sensus atque protegens i. e. defendens veritatem, scilicet contra haereticos. — N. E locis parallelis sensus est: praesidet coetui i. e. ecclesiae veritatis.

Ob. 9. — Προκάθημαι in literatura saepe habet sensum protegendi. — Semper cum additione loci aut saltem tantum de exercitu, quin significatio originalis militaris unquam amittatur. Porro haec protegendi significatio, etsi haberetur, tamen rara esset, nihilominus hic a significatione protegendi ad significationem procurandi translata esset. — Diff. haec *p. 135-7.*

S. Irenaeus. — *Lith. p. 298-303.*

Contextus hic est: Contra Gnosticos agens, S. Iren. duas vias monstrat, quae ad doctrinam ecclesiae catholicae cognoscendam perducant. Unam esse inquirere, quid doceant aliae ecclesiae apostolicae; aliam, inquirere, quid doceat iam sola Romana. — Textus cum explicatione:

« *Ad hanc enim ecclesiam* [Romanam] *propter potiorem principalitatem* [= auctoritatem; ita alias semper vox in versione Irenaei adhibetur, uti de principatu Dei, Christi, animae in corpus].

necesse est [ex natura rei, i. e. hic ecclesiae et consequenter ex debito morali; vel simpliciter ex debito morali].

omnem convenire ecclesiam, h. e. eos qui sunt undique fideles [convenire aut consentire cum, uti saepe, aut convenire mediantibus legatis, literis, ad sententiam exquirendam, non vero materialiter, cum hoc sit physice impossibile].

in [= « per » quam, uti alias in litteratura ecclesiastica; vel « in communione cum » qua].

qua [refertur ad ecclesiam Romanam, non ad « omnem ecclesiam ». Nam *a*) ecclesia Romana, ab initio phraseos lecta, ideale totius phraseos centrum constituit; *b*) finis loci est, ostendere, quomodo fiat, ut etiam facilius cognoscatur traditio universalis ecclesiae, quam respiciendo ecclesias apostolicas, ergo a fortiori quam respiciendo iterum omnes ecclesias !].

ab his qui sunt undique, conservata est [eo quod iudicium suum magisterio ecclesiae Romanae, i. e. episcopi Romani conformant].

ea, quae est ab Apostolis traditio ».

Proinde ecclesia Romana, ergo episcopus Romanus regit universam ecclesiam etiam in rebus fidei.

Ob. 1. — Intelligitur potior auctoritas *urbis Romae, in quantum erat caput imperii.* — Haec explicatio est contra contextum immediatum, cum tantum de *ecclesia* sermo sit; contra mediatum, cum Irenaeus in toto loco in eo sit, ut diversas *ecclesias inter se* conferat in ratione connexionis inter eas atque infallibilem traditionis praedicationem. Ergo aliquid in *ecclesia* Romana indicare vult.

Ob. 2. — Principalitas intelligitur *aetas maior.* — N.; secundum ipsum Irenaeum Hierosolymitana ecclesia est aetate maxima inter omnes. Etc.

Ob. 3. — Principalitas intelligitur *authenticitas orta ex apostolicitate.* — N. Comparat ecclesiam Romanam etiam cum ecclesiis apostolicis, quas antea iam nominaverat; adiungit, ecclesiam Romanam reparasse fidem ecclesiae Corinthiacae, quae apostolica erat. Etc.

Ob. 4. — Ecclesia Romana comparatur cum solis *occidentalibus* ecclesiis. — N. Data opera premit, omnes fideles cum Romana ecclesia convenire debere. Ut Orientalis scribit praecipue contra sectas orientales.

Ob. 5. — *Incisum ultimum « in qua » etc., diversis modis exponitur,* imo recenter diverse *lectiones* pro eo propositae sunt. — *a*) Transeat. Posset deesse, quin pro sensu, de quo hic agitur, aliquid desideretur. *b*) Cf. ex probatis. eo designari non ecclesiam universalem, sed Romanam.

Victor (*Lith. p. 303-5*) mandat, ubique terrarum synodos episcoporum haberi; iubet episcopos Asiae Minoris sequi praxim Romanam in celebrando Paschate. Duce Polycrate priori mandato obediunt, secundo repugnant, at recognoscunt in genere ius imperandi: « Oportet Deo magis obedire quam hominibus ». Victor saltem minatus est excommunicationem inobedientibus.

Callistus (*Lith. p. 305-7*). Ei crimini vertit S. Hippolytus quaecumque mala ecclesiam premunt. — Leges dedit de deponendis vel non deponendis episcopis, clericis.

S. Cyprianus cum Romanis Pontificibus sui temporis. (*Lith. p. 307-11*). Hortatur S. Cyprianus Romanum Pontificem, ut substituat episcopum cuidam deposito. — Ad Rom. Pontif. *appellant* epi-

scopi quidam Hispani. — Stephanus provocando ad Mt. 16, 18 se successorem Petri pronuntians, in Asia et Africa rebaptizari vetat. — Cyprianus fratri Antoniano scribit : « Ut (Cornelius papa)... iam sciret, te secum, i. e. cum ecclesia catholica communicare ». — Infallibilitatem Romanae sedis agnoscit : « ad quos (Romanos) perfidia non potest habere accessum ».

Obiectio. Secundum Cyprianum « *Episcopatus unus est,* cuius a ingulis *in solidum* pars tenetur ». — R. At sensus nequit esse, negare doctrinam alias statutam de suprema potestate Romani Pontificis. Videtur esse is: omnis auctoritas episcoporum cum ea, quae Romani Pontificis est, in unum auctoritatis organizatum corpus coalescit.

S. Dionysius (259-68). Apud eum S. Dionysius, patriarcha Alexandrinus, accusatur ob doctrinam quandam de Logo. Qui apud eum rationem de ea reddit.

Facta iam ante Concil. Nicaenum saepius repetita, quae id quod diximus confirmant. — Romam accedebant religionis causa Polycarpus, Abercius « ut reginam videret », tot episcopi. Eo confluebant haeretici, ut influxu ecclesiae Romanae uterentur.

Iulius I (337-52). Ad eum appellat S. Athanasius, patriarcha Alexandrinus, alii ex Oriente, quos Iulius restituit. — De perturbatione ecclesiae Alexandrinae haec scribit : « An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur et hinc quod iustum est, decernatur? » D. 3003.

Innocentius I (402-17). Ad eum appellat S. Chrysostomus; rem fidei refert synodus Africana. — Scribit Africanis : « Quidquid quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum (Patres), nisi ad huius sedis notitiam perveniret ». — Decidit quaestionem Pelagianam. « Inde (Roma) rescripta venerunt; causa finita est, utinam fineretur et error ». Augustinus. D. 100.

Leo I (450-61). Petunt Eutychiani ut abroget canones Concilii Ephesini ; petit Theodosius confimationem patriarchae Const., Marcianus convocationem concilii universalis.

Ipse mittit legatos suos, in quibus « praepositus erat » concilio ut « caput membris » D. 149, qui iubent excludi Dioscurum, in qua re obeditur. Iubet subscribi suae epistolae dogmaticae ad Flavianum a multis aliis episcopis, a concil. Chalced., quin discussionem de ea ut dubia permittat. — Renuit

approbare canonem 28 Concilii Chalced., qui proinde neque ab ecclesia Graeca susceptus est.

Ratio factorum haec est « in persona humilitatis meae ille (Petrus)... honoretur... » « Si quid cum eo commune caeteris voluit principibus, nonnisi per ipsum (Petrum Deus) dedit, quidquid caeteris non negavit ». « Petrus per Leonem locutus est ». (Chalced.).

Gelasius I (492-6). Provocat pro cura universalis ecclesiae ad Lc., 22, 32 et Io. — Proponit catalogum librorum, qui suscipiendi sint vel non. — « Sancta... Romana ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus... » D. 163. « Vicarium Christi te videmus, apostolum Petrum te videmus » (Acclamationes).

Hormisdas (514-23). Formulam praescripsit, cui subscripserunt synodus Epiri, in Oriente 2500 episcopi, Patres Concilii Constant. IV, qua inter alia haec continentur: «... quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus..., haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio... sequestratos a communione ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae ». D. 172.

Abû-Qurra (ad finem saeculi 8^{i}, initio 9^{i}) inter alia haec habet: « Sumus in omni casu aedificati super fundamentum S. Petri, qui direxit septem Synodos convocatas imperio episcopi Romae, metropolis universi, cui ecclesiae qui praesidet, mandatum habet ut cum concilio suo oecumenico se convertat ad filios ecclesiae, ut eos confirmet ». Agitur de via haeresibus resistendi. Provocat ad Lc. 22, 32, qui locus de omnibus successoribus sit explicandus.

Concilium Lugd. II (1273). Imperator Michael ut basim reunionis Graecorum obtulit formulam fidei, quam discuti Clemens IV non permiserat. Id quod neque ignorabatur ab episcopis Graecis, qui unioni adhaerebant atque affirmabant se doctrinae imperatoris adhaerere. In qua formula continetur: « Romana ecclesia *summum et plenum primatum*... ab ipso Domino in... Petro... cuius Romanus Pontifex est successor, *cum potestatis plenitudine* recepisse... recognoscit... si quae de fide

subortae fuerint quaestiones suo debent iudicio definiri ». D. 466. Ideo Ecclesiam Romanum prae caeteris etiam defendere debere veritatem, etsi utique non sola id facere debeat.

Concil. Florentinum (1438-45). Definitum est: Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum. — Eum esse omnium Christianorum *patrem* et doctorem. — Eum habere potestatem plenam regendi et gubernandi universalem Ecclesiam. Eum esse successorem principis apostolorum, et *ipsi in beato Petro a Christo hanc potestatem esse traditam.* D. 694.

Obiectio. — Post definitam potestatem plenam in fine decreti additur: « quemadmodum *et* gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur ». Ergo ea restringitur canonibus etc. — Falsum est, esse legendum « et » loco « etiam ». Nam « etiam » legitur in unico originali quod superest, in haud paucis apographis authenticis. Vox Graeca « καί » in hoc textu est versio vocis latinae « etiam ». Porro ex historia Concilii patet, eo inciso actum esse de *argumentis*, non vero de restrictionibus adiicendis. Denique Concilium non potest definire velle restrictionem potestatis plenae a Christo concessae.

Concilium Vaticanum. Definitum est

I. *De institutione primatus in Petro.* 1) Collatum esse Petro primatum verae propriaeque iurisdictionis non vero tantum honoris; 2) in universam ecclesiam; 3) immediate et directe Petro, non ecclesiae; 4) Petro « prae caeteris apostolis sive seorsim singulis sive omnibus simul ». D. 1822-3.

II. *De perpetuitate primatus.* 1) « Esse ex ipsa Christi institutione, ut beatus Petrus in primatu super universam ecclesiam habeat successores ». 2) « Romanum Pontificem esse beati Petri in eodem primatu successorem ». D. 1824-5.

III. *De vi et ratione primatus.* — Romanum Pontificem habere non tantummodo officium inspectionis vel directionis, verum plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; eum habere non tantum potiores partes, vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; hanc eius potestatem esse ordinariam et immediatam in omnes ac singulas ecclesias, in omnes et singulos pastores et fideles. Hanc potestatem non obesse ordinariae et immediatae episcopalis iurisdictionis potestati.

Sequi ex hac suprema potestate ius libere communicandi cum pastoribus et gregibus. Eam licite impediri non posse potestatis saecularis placito. Romanum Pontificem esse iudicem supremum fidelium. In omni causa ecclesiastica ad eius iudicium posse recurri. Eius iudicium a nemine fore retractandum. Unde ad oecumenicum concilium ut ad auctoritatem superiorem appellari non posse. D. 1826-31.

IV. *De infallibilitate Romani Pontificis.* Eum cum « ex cathedra » loquitur esse infallibilem. D. 1832-40.

Difficultates.

E S. Pauli et S. Iacobi munere et dignitate. — *De diff. usque ad ultimam in p. 240 cf. Lith. p. 351-63.*

Ob. 1. — Secundum diversos Patres *Paulus simul cum Petro ecclesiam Romanam fundavit,* praedicando, aggregando membra ad ecclesiam ; ergo simul cum Petro erat episcopus dioeceseos Romanae, ergo simul cum eo erat caput ecclesiae. — *N., consequentiam* a fundatione partiali ad munus episcopi Romani esse legitimam. Forte rexit Ecclesiam Romanam, in quantum *sub Petro* quaedam regiminis officia explevit. Neque plus asserunt Clem. Ign. Iren. Tertull. — Qui, ut Euseb., Epiph. *de successoribus eorum* Petri et Pauli) *in sede Romana loquuntur,* uti ex doctrina alia sive eorum ipsorum sive aliorum scriptorum eius temporis *intelligitur, iuridice non sat accurate locuti sunt.* Nam *a*) semper docetur, duos episcopos unius civitatis esse non posse; *b*) ubi de titulo primatus agitur, ad successionem unius Petri recurritur.

Ob. 2 — *Paulus* dicitur *princeps apostolorum.* — Ob *eminentiam activitatis,* c.

Ob. 3. — Romani Pontifices *saepe imperarunt auctoritate Petri et Pauli.* — Etiam auctoritate S. Annae, sanctorum 7 Conciliorum etc. Significatur aut sanctorum intercessio aut *plenitudo potestatis regendi.*

Ob. 4. — Scripta Pseudo-Clementina aliquando *Iacobum* prae Petro *caput ecclesiae* habere videntur. — Haec scripta, haeresibus plena, nullam auctoritatem habent.

E circumstantiis temporis religioso-politicis uti causis primatus.

Ob. — Circumstantiae temporis a quibusdam, v. g. ab Harnack, primatum *ecclesiae Romanae* formasse dicuntur. Sunt fere huiusmodi: Romana ecclesia prima inter omnes elementa catholicismi in se excoluit, v. g. auctoritatem definiendi, praecipue saeviente bello contra Gnosticos. Mundus assuetus erat ut leges (politicas) a Roma acciperet. Roma numero et divitiis fidelium excellebat etc. — N. ass. *a*) Positive pro-

batum est, quomodo primatus Romanae Sedis ortus sit, scilicet e voluntate Christi Petro collatus, postea legitime cum Sede Romana conunctus est. Cur facto opponis theorias? *b*) Ad rationes additas: In obiectione saepe effectus primatus cum causa eius confunditur. Non potest probari, facta quaedam prius Romae quam alibi locum habuisse, v. g. conscriptionem successionum episcoporum. Alia facta falsa sunt, v. g. tendentiam definiendi res ad fidem spectantes ortam esse e spiritu pagano.

E re politica.

Ob. 1. — Dignitas sedium de facto *sequitur dignitatam politicam urbium, quae erat:* Roma, Alexandria, Antiochia. Ergo praeponderantia politica erat causa primatus Sedis Romanae. — N. ass. Unde primatus Romanae Sedis ortus sit vidimus. Ad rationem additam: Quod continuo Antiochena et Alexandrina ecclesia secundum et tertium locum occuparunt, proxime e dignitate apostolica earum ecclesiarum et quam maxime ex *earum fundatione per Petrum* fluxisse videtur. Ipse vero Petrus conditione politica harum urbium saltem ex parte motus esse videtur, ut Antiochiae ipse suam sedem figeret, Alexandrinam ecclesiam per Marcum fundaret.

Ob. 2. — Imperatores christiani primatum fundarunt. — Falsitas asserti e dictis patet. Imperatores tantum quaedam temporalia ecclesiae dederunt, sive in re iurisdictionis civilis sive in re dominii.

Ex aequalitate aliorum episcoporum.

Ob. 1. — Saepe etiam *alii episcopi Romano episcopo aequales dicuntur.* — Dist.: aut ordinis potestate aut ratione regiminis in genere, quod scilicet regunt vere, etsi tantum partem ecclesiae sub Romano Pontifice.

Ob. 2. — Etiam quidam *alii episcopi* uti v. g. S. Athanasius dicuntur leges *orbi* dedisse. Dist.: in quantum constanter praedicarunt veram fidem, quae a Deo et suprema auctoritate ecclesiastica omnibus ut lex fidei proposita est, c.

Speciatim e Canone 6 concilii Nicaeni I; c. 3 Constantinopolitani I; c. 28 Chalcedonensis. — *Lith. p. 338-51.*

Concilii Nicaeni I. Canon 6.

Ob. — Textus: « . . . Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem. *Quia et urbis Romae episcopo parilis mos est...* ». Ergo e mente Concil. Nicaeni is non est nisi Patriarcha ditionis Romae. — R. D.: Est patriarcha eius ditionis, c.; *non simul caput Ecclesiae universalis, n.*

Sensus est: Uti Romanus Pontifex habet iura patriarchalia in certas partes orbis, ita talia iura, quemadmodum huc usque erat, serventur episcopo Alexandrino circa certas partes Aegypti. *Probatur:* 1) De patriarchalibus iuribus Alexandrinae Sedis est sermo in toto canone. 2) Congruit occasio: Meletius provinciam suam ab obedientia episcopi Alexandrini avulserat. 3) Pergit decretum in iuribus aliis patriarchalibus vel quasi patriarchalibus diversorum episcoporum determinandis.

Obiectio ergo, hic negari primatum Romani Pontificis in orbem, est argumentum ex silentio falso applicatum, ac si probatum esset, in eo textu, ubi tantum de iuribus patriarchalibus sermo est, *debuisse agi* de Romano Pontifice ut capite ecclesiae.

Non esse hunc sensum canonis praeterea v. g. ex his constat: *a*) *Eo tempore* clare *agnitus* erat primatus etiam in ecclesia Graeca. Id quod probavimus. *b*) Graeci *contra primatum ad hunc canonem non provocarunt. c*) *Leo M.* contra can. 28 Chalced. inculcat, *ut canones Nicaeni serventur.* Ergo intellexit hunc canonem de iure patriarchali, de quo etiam canon 28. Chalced. agit, nequaquam vero de negatione primatus.

Concilii Constant. I. Canon 3.

Ob. — *Textus:* « Constantinopolitanae civitatis episcopus habere oportet primatum honoris post Romanum episcopum, propterea quod ea sit nova Roma ». Ergo ideo locum secundum in hierarchia Constantinopolitanus patriarcha habeat, quia Constantinopolis est nova Roma. Ergo ideo Romae primum locum habebat quia Roma erat urbs principalis imperii, ergo non quia Romanus episcopus est successor Petri in primatu. — R. 1) *Canon non est approbatus a Romano Pontifice, imo* simul cum can. 28 Chalced., qui eum ut motivum adducit, *reiectus* est. — 2) *Sensus* tamen *non est is, quem obiectio statuit.* Nam continuo ut vidimus, ideo a Graecis quoque Romanus Pontifex agnitus est ut caput ecclesiae, quia agnitus erat ut successor Petri in primatu. Unde hoc canone innuitur, unam e causis, quibus Petrus permotus fuit, ut primatum cum Romana Sede coniungeret, fuisse ipsam rationem politicam urbis. Id quod utique valde connaturale est.

Concilii Chalcedonensis can. 28.

Decretum duas habet partes: 1) Renovat canonem 3um Concil. Const. I. « Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt (ἀποδεδώκασιν). Et eadem consideratione moti 150 Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes, urbem quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam exsistentem ». —

2) Accedit determinatio illius potestatis, quae Const. Patriarchae conceditur in « Ponticae et Asiae et Thraciae dioeceses ». — E prima decreti parte praecipue haec obiciuntur:

Ob. 1. — Aequalia privilegia habent Nova et Vetus Roma. Ergo aut primatus divisus est aut translatus a Roma Constantinopolim.

Ob. 2. — Patres dederunt primatum ecclesiae Romanae, ergo non e Petri vel Dei determinatione est, quod primatus cum sede Romana coniunctus est.

Ob. 3. – Ratio cur Romana Sedes habeat primatum est simpliciter magnitudo urbis.

Responsum generale.

Nulla ex doctrinis illis falsis quae in obiectione positae sunt, in canone continentur. Nam

a) Auctoritas ecclesiastica si doctrinas tam aperte falsas in canone vidisset, eum propter eas repulisset, cum etiam minores conatus contra vim saltem practicam primatus fortiter reprimeret. Iamvero *Romani Pontifices, cum eum reiciunt, tantum alias rationes adducunt.* Quales erant: eum obesse dignitati aliorum patriarcharum; eum ponere principium, secundum divisionem imperii sedes episcopales esse semper disponendas, cum tamen etiam aliarum rerum ratio sit habenda; praecipue eum obscurare honorem debitum ecclesiis apostolicis, ut Antiochenae, Alexandrinae. — Caeterum

b) *Omnes eae doctrinae,* quae in obiectionibus hoc canone negatae esse dicuntur, *eo tempore in clara ecclesiae Graecae confessione erant.* (Cf. antea probata).

c) *Petitur a Patribus pro Constantinopolitano Patriarcha aequalitas cum Pontifice Romano non absoluta, sed relativa.* Scilicet: ut Romanus Pontifex est primus in orbe relate ad caeteras ecclesias, ita episcopus Constantinopolitanus sit primus post eum relate ad caeteras. Congruit cum hac exploratione quod patriarcha Anatolius petiit participationem quandam e plenitudine iurium Romani Pontificis; quod in parte 2ª decreti potestas patriarchalis episcopi Constantinopolitani extenditur in certas quasdam regiones, scilicet in « Ponticae et Asiae et Thraciae dioeceses »; quod Patres Chalcedonenses provocant ad canonem 3m Concilii Constantinopolitani I, in quo episcopo Constantinopolitano tantum patriarchalia quaedam iura conceduntur.

Id honoris augmentum, ut Constantinopolitanus episcopus fieret primus inter Patriarchas Orientis, tunc temporis Leo caeterique post eum Pontifices reiecierunt. Concessit id tamen Innocentius III pro Patriarcha latino; pro Graeco id concessit Concilium Florentinum. — Caeterum canon prout iacet, scilicet id quod petitur simul cum motivis, propter quae petitur, doctrinisque forte contentis nunquam approbatus est.

Responsa specialia.

Ad ob. 1. — Patriarcha, imperator, petunt confirmationem canonis 28 a Romano Pontifice. Ob eam non concessam canon 28 neque in collectiones graecas suscipitur. Quod sane aliud est atque docere, eadem iam esse absolute iura et Romani Pontificis et Constantinopolitani.

Ad ob. 2. — In Concilio Chalced. vera ratio primatus Romani Pontificis, scilicet successio in locum Petri, agnita est. Cf. Rep. p. 236-7. Ergo in canone non de creatione muneris primatus ex parte Patrum antiquorum agitur. Quam longe eiusmodi sensus absit ab illis verbis « Patres antiquae Romae throno... iura tribuerunt », etiam ex hoc patet: Ipsi Romani Pontifices qui explicite negant, privilegia Sedis Romanae a synodis orta esse et rationem cur Romanus Pontifex prae alio ea habeat, e successione in locum Petri repetunt, tamen eandem expressionem adhibent *pro agnitione privilegiorum e parte Patrum*. Exprimi videtur agnitio, quae in decretis iuridicis auctoritativis continetur. Cf. Gelasius: « voluere deferri ».

Ad ob. 3. — Patres, veram doctrinam de successione Romani Pontificis in locum Petri supponentes, agunt de *motivo saltem partiali, ob quod,* ut ipsis videtur, *legitima auctoritas* (i. e. Romanus Pontifex, a quo confirmationem decreti petunt) decenter iura patriarchalia cum sede Constantinopolitana coniungere debeat, quippe cum etiam alia legitima auctoritas (quae qualis fuerit non exprimitur), ob simile motivum (saltem ut partiale) *primatum cum sede Romana coniunxerit.*

Propositio 7. — Cum Romanus Pontifex sit successor Petri in primatu, primatum in universam Ecclesiam obtinet iure divino.

Lit. — *Bellarm.*, De Rom. Pont. l. 4 c. 12 « Ut autem — Observandum est tertio ». — *Palmieri,* th. 8, p. 394-6, 402-4. — *Ottiger,* II, p. 794-805. — *Straub,* n. 543-7, I, p. 443-7. [***Qual.*** — De fide div. cath. defin. Vat. D 182, 4].

Expl. term. — Duplex quaestio fieri potest, *prima* quo iure is qui est legitimus successor S. Petri in primatu, quocunque tandem modo successerit, iura primatus teneat; *secunda,* quo iure fiat, ut potius hic vel alius, puta Romanus Pontifex vel v. g. Bononiensis vel qui nullam certam sedem episcopalem tenet, successor S. Petri in primatu sit. Similis duplex quaestio *in aliis materiis* distinguenda est. V. g. una quaestio est, quo iure fiat, ut Titius, si Bertham legitime in uxorem duxerit, iura

mariti teneat; alia est, quo iure fiat, ut Titius potius Bertham quam Caiam in uxorem duxerit. Priori quaestioni sane respondendum est: iure divino, ex institutione divina; secundae. generatim saltem ex iure humano, determinatione voluntatis humanae. Hac thesi solum illi quaestioni respondemus, quo iure Romanus Pontifex qui legitime Petro in primatu succedit, primatus iura teneat; altera quaestio, quo iure potius Romanus Pontifex quam alius v. g. Bononiensis episcopus, vel qui nulli certae sedi episcopali praesidet, primatum teneat, alibi ponetur.

Hanc propositionem, utpote quae evidenter ex iis quae iam probavimus sequatur, breviter absolvemus.

Adv. — Opponuntur huic propositioni primo, ut patet, ii omnes, qui negant, primatum Romani Pontificis omnino legitimum fuisse et esse. Secundo ii, qui primatum, quem legitimum esse concedebant, e voluntate Ecclesiae illud munus instituentis et Romano Pontifici id deferentis explicabant. Ita v. g. *Graeci, schismatici* facti tenebant, v. g. Nilus Doxopatrios in libro: Syntagma de quinque patriarchalibus thronis, c. a. 1143. — Clemens VI conqueritur de sententia *Armenorum* « quod usque ad concilium nicaenum romanus pontifex non habuit potestatem maiorem quam alii patriarchae; sed tunc de voluntate concilii fuit ordinatum, quod romanus pontifex haberet potestatem super alios patriarchas ».

Arg. I. — E probata tum lege divina de perennitate successionis in primatu Petri tum successione Romani Pontificis in hoc Petri primatu.

Uti probavimus prop. 5 Rep. p. 225-8, ipse Christus instituit, quosdam in successores S. Petri in primatu esse substituendos, atque proinde eos, qui legitime substituti fuerint, habere primatum. Ergo *quicunque Petro in primatu succedit, is e lege ipsius Christi primatum tenet.* Atqui praeterea probavimus prop. 6 Rep. p. ... *Romanum Pontificem Petro in primatu succedere.* Ergo e lege divina est, Romanum Pontificem in universam Ecclesiam primatum tenere.

Ulterior explicatio maioris.

« *Ius quo aliquid obtinetur, est eiusdem generis ac illud quod aliquid obtinendum esse decernit* ». Palmieri l. c. p. 397. Aliis

verbis: « Quidquid, impletis necessariis conditionibus quibuslibet, legitime vel obtinetur vel amittitur, eodem iure generali obtinetur vel amittitur, quo cavetur, ut illud ipsum suppositis quidem conditionibus specialibus sive simul praestitutis sive per legitimam quandam auctoritatem praestituendis, obtineatur vel omittatur ». Straub l. c. n. 543. Quod principium iuridicum generale, ad successionem in aliquo munere applicatum ita sonat: « Quicunque dignitatem legitime cuipiam succedendo, obtinet, vi eiusdem legis illam obtinet, qua, ut ab aliquo succedatur, constituitur ». ib. Atqui ius, quod decernit, primatum esse obtinendum, est ius divinum seu lex divina. Ergo a quocunque legitime obtinetur primatus, obtinetur iure divino. Iamvero probavimus, Rom. Pont. legitime obtinere primatum. Ergo Rom. Pont., qui et quatenus est successor Petri in primatu, eundem iure divino obtinet.

Illustratur nova maior exemplis quibusdam. « Fac enim e. g. ferri legem, quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius ceteris artecellit munusque obtinet. Quo iure? iure legis. At lex Titium non respicit, sed in genere digniorem. Profecto; sed posita conditione, quae in solo Titio reperitur, illud ius, quod lex digniori concedebat, totum penes Titium eumque solum exsistit ». Palmieri l. c. p. 402. Aliud exemplum: « ... Lex est naturae, oportere in societate esse auctoritatem quae regat, ideoque aliquem vel aliquos qui ea potiantur; quem penes vero illa sit, id determinationi permittitur vel hominum vel facti alicuius. Robertus autem rex factus defuncto Patre quo iure est rex? prouti absolute auctoritatem habet, iure naturae eoque iure leges ferre potest quibus poena capitis in reos animadvertat etc. ». ib. p. 398.

Arg. 2. — E traditione.

Plurima sunt testimonia tum Patrum tum Pontificum, e quibus multa collecta habes apud Straub n. 544-5, quibus idem edicitur atque a *S. Gelasio,* qui in ep. vel Decretali a. 495 agens de sedibus patriarchalibus atque primatu Romani Pontificis haec habet: « quamvis universae per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia,

nullis synodalibus institutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens... ». D. 163.

Conc. Flor. definivit « *ipsi (Romano Pontifici)* in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a *D. N. I. Ch.* plenam potestatem *traditam* esse ». Ergo a Christo eam accepit, i. e. iure divino. D. 694.

Iulius II in bulla indictionis Conc. Lat. V, celebrat laudes « ...*romanae ecclesiae divina institutione,* sanctorum auctoritatibus conciliorum, canonumque omnium testimonio ecclesiarum cunctarum *primatum tenentis...* ». (Hardouin 9, 1584 sq.).

Concil. Vat. data opera thesim nostram definivit: « *Quicunque in hac cathedra* [Romana, seu sede episcopali Romana] *Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* ». D. 1824.

Leo XIII Encycl. « Satis cognitum » 1896 ex aeternitate primatus utique divinitus instituti breviter commemorata immediate infert: « Quare *Pontifices qui Petro in episcopatu Romano succedunt, supremam Ecclesiae potestatem obtinent iure divino* ». (Act. Leonis XIII tom. 16 p. 192).

Ob. — Secundum antiquitatem christianam Patres et Concilia privilegia sedi Romanae contulerunt. Ergo Romanus Pontifex non ab ipso Domino primatum accepit, ergo iure ecclesiastico, non divino primatum tenet.

Prob. ma: Can. 28 Chalced. Conc. (v. context. Rep. p. 241): « ...antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt (ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα) ». — *Valentinus imperator,* in ep. ad Theodosium Augustum, inter opera S. Leon. ep. 55 ML 54, 859, scribit de Romano episcopo: « cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit ». — Neque dissentit *Clerus Romanus* qui commemoratis verbis « Tu es Petrus... » etc., sic prosequitur: « Quam vocem sequentes tercenti decem et octo sancti Patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem sanctae Romanae ecclesiae detulerunt ». Hardouin II, 856. — Imo *ipsi Romani Pontifices* idem affirmarunt. Ita *Innocentius I* (401-17) in ep. 29, Coustant I, 888, postquam Patres commemoravit, ait: « illi non humana sed divina decrevere sententia ut quidquid... ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret ». — *Gelasius* (492-96) de synodorum canonibus hoc habet: « ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt ». — Etiam *Iulius II* l.

mox citato « auctoritatibus Conciliorum » sedis Romanae primatum teneri affirmat.

R. D. ma.: Secundum concilia, Patres, ipsos Pontifices Patres vel Concilia primatum sedi Romanae contulerunt in quantum ipsi causa efficiens primatus fuissent, vel in quantum perennitatem eius in omni legitimo succedente instituissent, vel etiam in quantum eam dignitatem primatus cum sede Romana v. g. ex instinctu divino vel mandato Dei coniunxississent, vel in quantum ipsi sede vacante potestatem primatus in se haberent et post electionem factam eam electo transmitterent, n.; tantum eatenus, *quatenus e sua quoque parte primatum per Sedem Romanam a Christo Domino obtentum esse docuerunt* atque hanc doctrinam, quantum ex ipsis erat, fidelibus per decreta sua imposuerunt, quatenus porro aliquando unam vel aliam *applicationem* e doctrina de potestate primatus ad legislationem ecclesiasticam pro opportunitate faciendam libere *simul cum Romano Pontifice per decreta sua introduxerunt*, c.

Propositio 8. — Potestas regendi data est immediate Petro eiusque successoribus, non vero mediante Ecclesia in ratione subiecti inhaesionis. — *fasc. 4. p. 12-24.*

Expl. term. — Sermo est *de modo* transmissionis potestatis Petro eiusque successoribus a Christo datae. — Subiectum *inhaesionis* est id, in quo est potestas; subiectum *utilitatis* id, pro quo seu in cuius utilitatem ea data est. Concedimus *subiectum utilitatis* potestatis Petro eiusque successoribus datae esse *ecclesiam universalem;* negamus vero, inter Petrum eiusque successores et Christum fuisse vel esse *subiectum intermedium, quod prius quam Petrus receperit potestatem illam, atque deinde eam Petro tradiderit.* Negatur ergo potestatem ecclesiasticam ita datam esse, sicut secundum multos Scholasticos potestas politica ab initio data est, scilicet immediate populo, per populum quibusdam aliis.

Concedimus utique *in tantum ecclesiam ipsam esse subiectum inhaesionis* potestatis ecclesiasticae, *in quantum ideo S. Petrus accepit potestatem regendi, quia est caput ecclesiae.* Num forte, cum S. Petrus qua caput ecclesiae hanc potestatem accepit, ea statui civili, vel nulli societati data est? Quae caput qua tale habet, haec ea societas habet, cuius homo est caput. Etenim

caput est primaria pars societatis, et quatenus est haec pars homo hanc potestatem habet.

Adversarii *differunt in statuendo subiecto immediato inhaesionis:* Almainus, aliquando Pistorienses, statuunt omnes fideles; Dupin praelatos etc. Secundum hoc distinguuntur multitudinarismus, theoria conciliaris etc. — Adversarii ex sua theoria de facto deducunt, potestatem regendi etiam nunc inveniri in multitudine, Concilio etc., dependenter a quibus Romanus Pontifex suam potestatem exerceat (Caput ministeriale).

Arg.* — *1) E Scriptura et ratione theologica. — Potestas huic vel illi tradita aut e verbis conferentis aut e natura rei probanda est. Iamvero *solus Petrus* Mt. 16, 18-9 et Io. 15, 21 ut subiectum potestatis *nominatur*. E natura rei vero non sequitur, eam esse immediate datam aliis, atque tantum mediantibus illis Petro. *Non e natura conferentis;* nam Christus dat potestatem uti eam habet, habet vero eam non a fidelibus sed a Patre. Non e natura *societatis* de qua agitur. Nam eos qui reguntur vel quosdam ex iis esse immediatum subiectum potestatis regendi non sequitur neque *a*) ex natura societatis *qua talis;* neque *b*) ex natura alicuius certae societatis *qua institutionis positivae;* neque *c*) ex natura societatis *publicae*. Nam *a*) num auctoritas regendi patris *prius residet in filio quam in patre? b*) prius *in milite quam in duce? c*) Neque ideo quidam Scholastici potestatem *mediante societate publica initio* v. g. regibus collatam esse dicebant, ac si hoc e natura societatis publicae qua talis sequeretur, sed quia putabant, *Deum ipsum vel naturam nullum aliud subiectum initio determinasse*. At vidimus, in ecclesia Deum tale subiectum determinasse, scilicet Petrum eiusque successores.

2) E Traditione. — Optatus Milev.: « Petrus *claves* regni coelorum *communicandas caeteris* solus accepit » — Leo I « *nunquam nisi per ipsum* dedit, *quidquid aliis non negavit principibus* ». — *Damnatus est* a Congr. Rom. *Richer; Quesnell* per Bullam Unigenitus quoad potestatem excommunicandi D. 1440; *Pistoriensium* doctrina per Pium VI declarata est « haeretica » D. 1502; Concil. Vatic. D. 1822 ad finem, 1823, coll. cum 1826.

Ob. 1. — Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Atqui Petrus auctoritatem habet propter ecclesiam. Ergo illa eam habet ma-

gis. — Tr. ma. Dist. min.: Propter ecclesiam *ut causam finalem*, c., conferentem seu efficientem, n.

Ob. 2. — *Quod datur parti datur toti.* Atqui Petrus est pars ecclesiae. Ergo cum primatus ei datur, datur ecclesiae. — Dist. ma.: Id datur *toti ut subiecto saltem utilitatis,* c.; necessario ut subiecto immediato inhaesionis, n. V. g. intellectus homini datur; tamen in sola anima immedíate inhaeret.

Ob. 3. — *In caeteris societatibus* primum subiectum auctoritatis est tota societas. — Dist.: In omnibus societatibus positivae institutionis, n.; e natura ortis, subd.: generatim, n.; in societate publica seu civili, iterum subd.: secundum omnes, n., secundum quosdam, iterum subd.: ob rationem societatis qua publicae, n., ob subiectum non determinatum, c. et n. hanc rationem in nostra re valere.

Ob. 4. — In *organismo physico potentia agendi singulorum organorum physice a toto organismo emanat.* Ergo a pari. — N. par. Auctoritas in corpore ecclesiae a Deo confertur.

Ob. 5. — Omne *corpus morale per caput suum ut ministrum* totius agit. — N. V. g. pater in familia!

Ob. 6. — Act. 8. 14 « *apostoli... miserunt ad eos* (*Samaritanos*) *Petrum et Ioannem* ». Ergo Petrus sub apostolis erat. — Dist. ant.: missione *auctoritativa, n.* Expressio per se nihil dicit nisi influxum efficacem, qui potest haberi precibus, consilio etc., id quod etiam modo loquendi in vita communi constat. Fuisse apostolorum influxum auctoritativum aliunde exclusum est.

Ob. 7. — S. Augustinus: « *Quando claves* (*Petrus*) *accepit, Ecclesiam significavit* ». — In quantum caput societatis eam repraesentat. Premunt Patres similibus phrasibus contra Montanistas et Donatistas praecipue hoc, *Petrum et apostolos non qua personas privatas seu pneumaticas, sed ut personas publicas, atque consequenter etiam pro successoribus suis, potestatem peccata condonandi accepisse.* — Cfr. St. qu.

Ob. 8. — *Ecclesia per papam agit!* Ergo innuitur dependentia papae. — N. Homo per Deum miracula patrat, ergo innuitur dependentia Dei? Tales phrases secundum doctrinam aliunde stabilitam explicande sunt.

Ob. 9. — Ii *faciunt papam qui eum eligunt.* Atqui eum non possunt facere papam, nisi *eam totam auctoritatem, quam ille habebit, antea ipsi haberent.* — Dist. ma.: *Determinant personam,* c.; potestatem ei dant, n. Hanc Christus immediate dat.

Ob. 10. — Si ecclesia non conferret ipsam auctoritatem, *nunquam esset certum, num Deus eam concederet.* Quis scit, num eam concedat *personae indignae,* quam electores determinaverint? — Hoc certum est quia Iesus 1) promisit, se super Petrum eiusque successorem ecclesiam fundaturum esse; quia 2) successori Petri reliquit determinandum modum legitimum eligendi successorem Petri in primatu.

Ob. 11. — Si ipsa ecclesia non immediate a Christo accepisset potestatem iurisdictionis, *mortuo papa nulla iurisdictio esset in ecclesia.* — Potestas suprema regendi mortuo papa non adest actu in ecclesiasticis superioribus, sed tantum ea subordinata et partialis quae requiritur ad regendas dioeceses etc. Haec autem data est *a Pontificibus defunctis.*

Ob. 12. — *Thesaurus indulgentiarum non est thesaurus Pontificis* sed tantum Ecclesiae. Ergo Pontifex non ut caput repraesentat Ecclesiam. — Dist. ant.: Quia in hac expressione non respicitur is, qui principaliter dispensat thesaurum, sed is a quo ortus est thesaurus. Ortus est enim ex meritis Christi et sanctorum.

Sectio III. — De munere regendi episcoporum divinitus instituto.

Con. mat. — Post tractatum munus primarium, primatum, munus *dignitate et potestate secundum,* episcopatum, tractamus.

Limites tractationis. — Pro fine huius tractatus apologetici et huius capitis agimus de munere in quantum dicit potestatem *iurisdictionis,* non vero in quantum dicit petestatem consecrandi.

Definitio. — Probandum suscipimus exsistere debere *eos qui « sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis »* Codex Iuris Canonici canon 329, § 1.

Iam Tridentinum docuit D. n. 960: « praeter caeteros gradus episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et " positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei... " ».

Divisio. — Capite priore agimus de ipsis *apostolis,* in quantum iis episcopi succedunt; capite secundo de ipsis *episcopis.* Atque in hoc secundo capite prius probamus factum, iam inde ab aevo apostolico exstitisse qui singuli singulas partes in rebus ecclesiastici regerent. Deinde demonstramus munus episcoporum esse iuris divini. Tertio probamus eos vere esse successores apostolorum.

Caput I. — De Apostolis episcoporum antecessoribus.

Propositio 9. — Iesus Christus munus regendi in Ecclesia sub Petro instituit illudque apostolis eorumque successoribus in aeternum immediate et directe in ratione subiecti inhaesionis inesse voluit.

Lit. — *Bellarm.,* De Rom. Pontif. l. 1, c. 6, 7. — *Stapleton,* De principiis fidei doctrinalibus contr. 2 c. 5-7. Opera omnia I p. 166-70 F. — *Idem,* Relectio, contr. 2 qu. 3 Op. II p. 609-24. — *Petavius,* De Eccl. Hierarch. l. 3 c. 14-6, ed. Venet. 1745 p. 113-23 F. — *Passaglia,* De Eccl. l. 3 I c. 8 p. 116-24; c. 16. p. 196-201, c. 19, p. 237-58; c. 24-8 p. 297-342. — *Thomassin,* Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina Pars I l. 1 c. 50, ed. Venet. 1728 p. 172-6 F. — *Murray* v. II disp. 10 prop. 1-2 p. 126-53. — *Palmieri,* § 2 p. 2-9, § 12 p. 58-70, § 17 p. 105. — *de San,* Pars I c. 2 p. 4-42; Pars III c. 5 p. 233-56. — *Ottiger* II, thesis 2 p. 50-61; th. 5 p. 241-56; e th. 8 p. 274-318. — *Wilmers,* prop. 3 p. 40-8; prop. 56 p. 328-35; prop. 26-8 p. 115-33.

Expl. term. — Apostolos intelligimus *eos 12 e discipulis* Christo iam specialiter adhaerentibus, *quorum nomina sunt Petrus etc.* Lc. 6, 12-3: « Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos vocavit ». Quod *nomen* significat missos, legatos. Cf. Mc. 3, 13-4; Mt. 10, 2. At evangelistae Mt. et Mc. ipsi hoc nomen quod Christus illis 12 imposuit, nonnisi semel adhibent, Io. nunquam, Lc. vero saepius. Mt. eos vocat τοὺς δώδεκα vel τοὺς μαθητάς, item Io., Mc. Unde patet, nos non ex nomine « apostoli » demonstrare, Christum illis prae caeteris potestatem, de qua agitur, tradidisse.

Quos duodecim apostolos Christus *ideo a caeteris discipulis* secum coniunctis *secrevit atque ex ipsis elegit,* ut continuo familiariter cum eo viverent, v. g. Mc. 3, 4; ut eos ad omnem virtutem educaret; ut eos prae caeteris omnibus doctrina sua excoleret, v. g. Mt. 13, 11, Io. 15, 15; ut eos temporaria mis-

sione ad populum Israel mandaret, v. g. Mt. 10; ut euntes in mundum universum praedicarent evangelium omni creaturae, Mc. 16, 15; ut iis potestatem sanctificandi omnes homines conferret, Lc. 22, 19. Quibusdam ex ipsis, iam antequam eos ad ipsum apostolatum vocavit, magni quid in regno Messianico erigendo atque amplificando promisit, Io. 1, 41; Mt. 4, 19. Quaeritur, num iis eorumque successoribus regendi quoque potestatem contulerit.

His 12 apostolis, e quibus Iudas ante munus iis collatum loco suo excidit, *accessit S. Matthias*, Act. 1, 15-24, postea *S. Paulus,* Gal. 1, 12 etc. Num etiam S. Barnabas, diversae sententiae circumferuntur.

De subiecto inhaesionis quae notanda sint, v. in prop. simili de potestate Petro collata, Rep. prop. 8 p. 245-8.

Adv. — *Veram rationem muneris regendi* vel ipsis apostolis traditam esse negant v. g. *Quakeri, Anabaptistae, Protestantes liberales* in Germania, Gallia, Anglia. E *Modernistarum* placitis proxime huc pertinent e propositionibus Decreto « Lamentabili » damnatis n. 50 D. 2050 « Seniores, qui in Christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, *non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam* »; n. 54, D. 2054 « Dogmata, sacramenta, *hierarchia,* tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque ».

Contra *aeternitatem* apostolatus specialem quandam doctrinam *Irvingiani* propugnabant. Secundum eos Apostoli quidem divinitus instituti erant atque per se ipsorum ordo isque in 12 hominibus debebat continuari. At ob peccata populi christiani eum interiisse. Ad finem vero saeculorum ordinem apostolorum redintegrandum esse, ut homines ad adventum Domini praeparent.

Non ipsis apostolis eorumque successoribus sed toti *communitati fidelium* potestatem regendi *immediate et directe traditam* esse docebant ex haereticis medii aevi v. g. *Marsilius Patavinus; Protestantes orthodoxi,* duce praecipue Luthero, affir-

mantes e iure divino omnes baptizatos et sacerdotes esse et reges; porro *Gallicani multi, praeeunte Richer* in libro « De ecclesiastica et politica potestate » 1611, *Iansenistae, Febroniani, Pistorienses,* idque ex eadem ratione philosophica, quam contra immediatam collationem primatus movebant (cf. Rep. p. 248-9 priores 4 difficultates), adiunctis quibusdam difficultatibus positivis. Accedunt « *Veteres catholici* », qui post Concil. Vat. se ab ecclesia separarunt. Non tamen hunc errorem docet v. g. ea pars High-Church, quae Pusey sequitur.

Cum tamen *Protestantes orthodoxi* viderent, sine iis qui populum docerent atque regerent, ordini consuli non posse, « ministros verbi » et « pastores » constituebant, e quibus eos qui maiore potestate excellebant, « superintendentes » [etymologice: episcopi] nominabant. Attamen hi ministri secundum doctrinam lutheranam potestatem suam a populo recipiebant, quin ullum munus eorum a Christo institutum sit. Atque ob hanc ipsam causam personas, quibus tale munus ecclesiasticae institutionis deferretur, semper atque necessario a populo esse determinandas. — Ii ex *Gallicanis, qui statuunt ipsi multitudini potestatem iurisdictionis a Christo traditam esse, tamen duplici modo a Protestantibus distinguuntur.* Primo saltem quidam ex iis aliquando multitudinem, aliquando, parum sibi constantes, praelatos sive minores sive maiores uti subiectum immediatum huius potestatis a Christo collatae statuunt. Cf. textus Wilmers n. 136. Secundo, etsi multitudinem vel praelatos minores uti subiectum principale et immediatum potestatis habent, forte quidam ex iis rem ita concipiunt, ut putent ex institutione Christi esse, ut praelati maiores ad tale exercitium clavium deputentur, quale in munere episcopali videmus. Cf. textum Dupin ib., Iansenianorum Col. Lac. VII col. 608 d.

Pars I. — Christus apostolis eorumque successoribus munus in aeternum regendi sub Petro demandavit.

Arg. I. — **E verbis Christi.** — Propositione 2 Rep. p. 206-9 vidimus, verbis Mt. 18, 18, Io. 20, 21-2, Mt. 28, 20 contineri potestatem regendi. Atqui haec *verba ad solos apostolos directa* sunt. Ergo.

Minor primo ex eo patet, quod episcopi Ecclesiae catholicae, in quantum se uti successores apostolorum probare intendebant, inde ab initio ad ea verba provocarunt. Iamvero societas sane scire potest, qui in ea ut auctoritate praediti instituti fuerint. At etiam exegetice idem sensus ab auctoribus ita demonstrari solet:

1) Mt. 28, 20 ad eos sermo dirigitur, qui v. 16 dicuntur « undecim discipuli » (οἱ ἕνδεκα μαθηταί), dempto scilicet Iuda proditore qui iam mortuus erat.

3) Io. 20, 21-2 Christus eos alloquitur, qui v. 19 dicuntur οἱ μαθηταί congregati propter metum Iudaeorum. Iamvero praeterquam quod Io. apostolos generatim hoc nomine significat, certe *iidem sunt, ad quos Iesus in ultima coena Io. 17, 18* ait: « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi : [i. e. destinavi mittere, vel pro futuro] eos in mundum. Eadem enim est missio. Iamvero secundum Mt. 26, 20, Mc. 14, 17, Lc. 22, 14. 30 *duodecim discipuli ii* sunt, *cum quibus ultimam coenam* celebravit.

3) Mt. 18, 18. — *a*) Mt. 18, 1 ii ad quos sermo sequentis capituli dirigitur, nominantur « οἱ μαθηταί ». Iamvero secundum Mc. 9, 35 ii discipuli sunt illi « *duodecim* ». *b*) Generatim instructiones a Mt. 18, 1-20, 28 positi omnino ad apostolos ut novi regni praesides futuros diriguntur. Cf. v. g. Cornely, Introd. Comp. ed. 6, n. 599. *c*) Concedunt multi recentiores Protestantes, v. g. in suis Commentariis in Mt. e liberalibus B. Weiss[7] p. 325, ex orthodoxis Zahn, ed. 2, p. 573.

Agi de munere regendi *in aeternum,* iam demonstravimus prop. 2 Arg. 2. Rep. p. 207-8 e *Mt. 28, 20.* — Idem auctores deducere solent e *Mt. 18, 18-9.* Ibi enim Dominum malo, quod semper in Ecclesia erit, opponere remedium in auctoritate apostolorum, cui nullam temporis determinationem adiciat.

Obiectiones contra argumenta.

Ob. 1. — E sententia optimorum exegetarum, uti Toleti et Maldonat (in Io. 20, 19) cum 10 ipsis apostolis congregati erant *etiam illi 2 discipuli,* quibus in Emaus euntibus Dominus Christus apparuerat cf. Lc. 28, 16. Ergo etiam illi missionem apostolicam acceperunt. — R. N. consequentiam. Non id quaeritur, num quidem alii in eo loco materialiter praesentes fuerint, sed *ad quos verba ista Christi directa fuerint.*

Ob. 2. — V. 15 « Si *peccaverit* in te *frater tuus* » valent *de omnibus fidelibus*. Atqui verba v. 18 « *quaecumque alligaveritis...* » *ad eosdem* directa sunt. Ergo ad omnes fideles. — R. C. ma.; n. min. Etenim illi, de quibus *v. 15, privati sunt homines,* qui a Domino monentur, ut post correptionem fraternam, quae effectu caruit, « Ecclesiam adeant ». *Ecclesia* autem e contextu sunt *ii, qui iudicare debent et punire ;* eos autem cum Dominus designat, *ad solos apostolos conversus* eos alloquitur « amen, amen dico *vobis,* quaecumque *alligaveritis...* ».

Ob. 3. — In verbis Domini « *Dic Ecclesiae* » directe *universitatem fidelium* designat. — R. N. as. Probavimus id hic locum non habere. Scilicet terminus ille vi sua utique pro universa Ecclesia supponere potest ; at potest etiam pro *aliqua parte eius essentiali,* parte regente. Unde S. Chrysostomus in Mt. hom. 61 n. 2 : « " Dic Ecclesiae „ » « i. e. dic praesidibus ».

Ob. 4. — Christus immediate post v. 18 « quaecumque alligaveritis... » ita prosequitur v. 19-20 : « Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ». Quae verba *apostolis* dixit. Nihilominus ea ex natura rei *evidenter ad omnes spectant* cum nihil contineant nisi condicionem quandam pro efficacia orationis. *Ergo a pari,* licet Dominus ad solos apostolos verba « quaecunque alligaveritis » profert, nihilominus ea ad omnes dirigi assumendum est. — *R. N. par.* Etenim in verbis « quaecumque alligaveritis » agitur de *functione iudiciaria,* haec autem *e natura rei nequaquam necessario in omni membro societatis invenitur.* Connexio vero inter v. 18 et 19 secundum v. g. Albertum M., Maldonat, Lamy, Knabenbauer haec est : Dominus a minore, quod in v. 17 continetur, ad maius, quod in v. 18 stabilitur, concludit hoc modo : si quidquid duo uniti petierint Deus illis concedet, quanto magis Ecclesiae iudicium ratum habebit.

Obiectiones ex aliis locis Scripturae.

Ob. 1. — Christus *munus* illud quidem iurisdictionis instituit, *nullam autem certam hominum classem* designavit, a qua illud administraretur. Imo pronuntiando : «Si duo consenserint... », id edixit, ubicumque fideles, etsi duo tantum vel tres, aliquem propositum constituerint, ipsum Deum ei potestatem conferre. — R. N. as. *Contradictorium probavimus.* Rationem additam quod attinet, cf. expl. textus quam mox dedimus. Eam assertionem secum ipsam pugnare, v. integra thesi probatum Wilmers prop. 28, p. 129-33.

Ob. 2. — Lc. 22, 25-6 Christus apostolis dixit : « Reges gentium *dominantur* eorum (hominum gentilium), et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. *Vos autem non sic...* ». Cf. quoque l. pall. Mt.

20, 25-8, Mc. 10, 42-5. Ergo apostoli non debent regere. — R. Dist. antec.: *non* debent regere *in spiritu superbiae,* c.; non debent vere partes superiorum agere, n. — Probo hunc esse sensum. *a*) Doctrina contraria probata est. *b*) Idem sibi volunt verba immediate sequentia: « Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ». Haec enim verba primo supponunt, esse in regno Christi qui imperent, qui obediant; secundo docent, nonnisi spiritum humilitatis premi, quippe quam Christus, quamvis sit rex in regno suo, suo exemplo doceat. *c*) Congruit occasio doctrinae, quae erat in contentione discipulorum (quam multi de primatu fuisse explicant). *d*) In locis parallelis Mt. et Mc. ipsi termini κατακυριεύουσιν et κατεξουσιάζουσιν pro lat. « dominantur », « potestatem exercent » duritiem imperii insinuant, quam discipuli Christi vitare debeant.

Arg. II. — **Ex apostolorum verbis et rebus gestis.** — *A* 1) Apostolus Petrus, ut numerus duodenarius eorum qui coetum apostolorum componerent, compleretur, a Deo petiit, ut ostenderet « quem elegeris ex his duobus (Mathia et Ioseph) unum accipere locum ministerii huius et apostolatus, de quo praevaricatus est Iudas ». Act. 1, 24-5. Quod postquam Deus ostendit, « annumeratus est cum undecim apostolis ». Ergo Apostoli habent apostolatum ut *munus* proprium a *certo virorum ordine adimplendum.*

2) In Conc. Hierosolymitano apostoli et seniores iusserunt, quosdam ex Ethnico-Christianis « ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione » Act. 15, 29. Atque Paulus perambulabat « Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum ». Tria priora cum certe neque lege naturae neque lege Mosaica Christianis imposita sint, clare patet *apostolos sensu proprio leges tulisse.*

3) Cum apostoli praedicabant iis qui iam per baptisma Christiani facti erant, id ita faciebant, ut prompti essent *punire eos, qui assensum detrectabant,* 2 Cor. 10, 5-6 « in promptu habentes, ulcisci omnem inobedientiam ». Iamvero potestas puniendi regimen importat.

4) Diversa *praecepta disciplinaria* ab apostolis proficiscebantur. V. g. S. Paulus iubet esurientes domi, non in conventu

publico ecclesiastico, cibum sumere 1 Cor. 11, 33, mulierem velatam orare 1 Cor. 11, 13, multa similia.

B. Persuasum fuisse apostolis eos *hoc suum munus debere aliis committere,* qui post mortem locum suum tenerent, eosque ipsos idem agere debere, v. ex iis quae capite sequenti probabimus.

Ob. 1. — In die Pentecostes omnes qui *in Coenaculo* erant, etiam ipsae mulieres, *repleti sunt Spiritu Sancto.* Atqui Spiritus Sanctus dabatur *in ordine ad ministerium* apostolicum. Ergo omnes idem cum apostolis ministerium acceperunt. — R. C. ma. Dist. min.: *iis, qui illud ministerium habebant, c.:* caeteris, n. His dabatur ad alium effectum, v. g. ad laudandum Deum. Non esse datum Spiritum v. g. mulieribus ad ministerium ecslesiasticum administrandum, iam patet ex verbis Pauli 1 Tim. 2, 13: « Docere autem mulieri non permitto ». Regere sane possent, si publice docere.

Ob. 2. — Secundum 1 Cor. 3, 22 « Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Kephas ». 2 Cor. 4, 15 vero idem *Paulus ait* « *Servi vestri sumus* propter Christum ». Ergo populus apostolis superior est. — Dist. ma.: populus est *subiectum utilitatis* pro auctoritate apostolorum, c.; subiectum inhaesionis, n.

Ob. 3. — S. Paulus Corinthiis scribit 2 Cor. 8, 8: « *Non imperans* dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestrae caritatis ingenium comprobans ». — R. S. Paulus ait, *se de facto non imperare in ea re, de qua tunc agebatur,* i. e. quando tunc a Corinthiis eleemosynas pro pauperibus in Ierusalem petebat, c.; se non habere auctoritatem imperandi in rebus ecclesiasticis, n.

Ob. 4. — 1 Petr. 5, 3 S. Petrus *vetat* « *seniores* » « *dominari in cleris* ». Ergo non habent auctoritatem. — Dist. ma.: dominari *dure* (*κατακυριεύοντες*), c.; auctoritatem exercere secundum rationem virtutis, « forma facti gregis ex animo », n. Imo h. l. 5, 2 iubet eos: « pascite qui in vobis est gregem Dei » et 5, 1 seipsum ut iis similem in cura gubernandi exhibet: « consenior ».

Ob. 5. — Secundum verba 1 Petr. 2, 7 desumpta ex Exod. 19, 6 *omnes Christiani* sunt « regale sacerdotium », i. e. et *reges* et sacerdotes. — Dist.: utrumque *sensu improprio,* c.; proprio, n. Sicuti secundum 2, 5 sermo est 2, 9 de sacerdotio improprie tali, quo scilicet « spirituales hostiae » offeruntur, ita omnes improprio sensu reges dicuntur, utpote similes in gloria Christo regi (Camerlynck ad l.).

Ob. 6. — *Populus fidelis eodem modo imperavit* atque apostoli. Etenim decretum Concilii apostolici Act. 15, 23 habet hanc inscriptionem: οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί. Congruit quod v. 22 decretum dicitur placuisse « Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia ». — R. Transmissa difficultate quoad seniores ad alium locum, haec videntur dicenda: a) *Lectionem* καὶ *ante* ἀδελφοί *non vi-*

deri genuinam, hodie secundum Knabenbauer « critici generatim (ob rationes e codicibus etc.) agnoscunt, et probatur 16, 4 », ubi de Paulo eiusque sociis, qui Ecclesiis hoc decretum tradebant, dicitur: « tradebant iis custodire dogmata, quae erant decreta ab *Apostolis et senioribus,* qui erant Ierosolymis ». Porro ab initio capitis 15 v. 6 legitur: « Conveneruntque *Apostoli et seniores* videre de verbo hoc ». In ipso Concilio praeterea nihil legitur de partibus, quas in eo populus fidelis habuerit. b) Etsi illam vocem καί genuinam habes, sufficit ad eam explicandam quod populus *consensum suum praestiterit.*

Arg. III. — **E persuasione antiquitatis christianae.** — Capite proxime sequenti probabimus, antiquitati christianae persuasum fuisse, in specie *episcopos* esse institutionis divinae eosque esse apostolorum successores. In qua persuasione quam maxime determinata sane continetur persuasio magis indeterminata, Christum apostolis eorumque *successoribus,* quicumque illi tandem sint, in aeternum munus verum regendi contulisse.

Pars II. — Munus illud regendi directe et immediate apostolis eorumque successoribus collatum est, non vero mediante populo fideli in ratione subiecti inhaesionis.

Arg. I. — **E verbis Christi.** — Qui affirmat, sibi prae caeteris qui soli nominantur, munus regendi esse delatum, id e natura rei necessario ita esse probare debet. Atqui Christus solos apostolos alloquitur, tum quando munus illud promittit tum quando illud confert, e natura vero societatis sive in genere tali sive positivae institutionis sive publicae nequaquam sequitur, illud immediate soli societati inhaerere. (Cf. arg. simile evolutum in thesi 7 de primatu Rep. p. 245-8).

Arg. II. — **Ex eo quod populus nullos gubernii actus in apostolos eorumque successores exercuit.** — *Si populus iure divino regimen* in apostolos eorumque successores uti ministros suos habuisset, *illo continuo usus esset,* i. e. eos instituendo potestatem suam illis contulisset, ad suum tribunal res saltem graviores gubernii eorum revocasset, leges eorum approbatione sua communisset, iudicium in eos exercuisset. Atqui nihil tale factum est. Ergo. — Prob. ma. Ad illud populum christianum movisset tum amor institutionis divinae tanti momenti tum mores hominum qui non patiuntur eiusmodi amplissima iura sibi eripi. (Cf. simile arg.

in prop. 6 de primatu Romani Pontificis, Rep. p. 229-30). — Ad min. Nihil tale neque in Scriptura neque in historia ecclesiastica legitur. Cum autem agatur de factis frequentissimis iisque publicis, ea si accidissent, non potuissent non scribi. — Cf. Bell. de R. P. l. 1 c. 6.

Arg. III. — **Ex auctoritate Ecclesiae catholicae.** — In Constitutione « Unigenitus » Clemens XI damnavit prop. 90 « Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis ». D. 1440; Pius VI vero Pistoriensium sententiam, Bulla Auct. fid. n. 2 « Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii et regiminis potestas: — haeretica ». D. 1502.

Ob. 1. — Tum haeretici, tum gallicani argumentantur e paritate cum societate civili, in qua auctoritas necessario toti societati communicetur, a qua in Superiores transferatur. — R. v. in thesi 8 de primatu Rep. p. 245-8.

Ob. 2 — Protestantes plurimum insistere solebant in difficultate sequenti, quam propterea uberiore modo proponemus.

Obicitur, e iure divino ad populum electionem cleri, speciatim episcoporum, spectare.

Lit. — *Obiectiones Protestantium* videri possunt v. g. *Calvin,* Institutiones Christianae religionis l. 4 c. 3 n. 13-5 ed. Baum etc. v. II col. 784-6; c. 4 n. 10 - c. 5 n. 5 col. 794-802, ubi eum ius divinum probare velle v. v. g. col. 797, 799. — *Mathias Flacius* Illyricus libro proprio de electione episcoporum, qui praedecessorum obiectiones collegit. — *Chemnitz,* Examen Conc. Trid., 2ª pars, de Sacramento Ordinis c. 4 n. 12-21 ed. Preuss p. 485-8. — *Ioan. Gerhard,* Loci theologici, locus 23 s. 4 n. 86-107, ed. Frank tom. 5 p. 55-76. Eum defendere ius divinum v. v. g. n. 100.

Responsa Catholicorum v. v. g. *Stapleton,* Contr. II l. 5 c. 12 Op. omn. I p. 176-80; Relectio, Contr. II qu. 4 art. 3, Quartae sententiae refutatio Op. om. II p. 638-42. Agit praecipue contra Calvinum. — *Bellarm.*, De membris Eccl. l. 1 c. 7 col. 1380-1400, ubi praecipue Flacius reicitur. — *De San* n. 399 p. 352-61. — *Ottiger* II p. 308-12. — *Straub,* n. 442-54 p. 362-8.

Evolutionem historicam praxis ecclesiae v. *Fr. Hallier,* De sacris electionibus et ordinationibus pars 1 s. 1 c. 2, art. 1 § 4 ed. 2 p. 54 7;

c. 3 § 1 et 2 p. 101-10 F. — Largissime *Thomassinus*, Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina Pars II l. 2 c. 1-43 p. 307-444 F. — *Wernz*, II, 1 n. 740-53 p. 531-42, ubi amplior lit. — Testimonia quaedam de antiquitate christiana et priore medio aevo v. apud *Funk*, Kirchengeschichtl. Abhandlungen 1897 Paderborn I p. 23-39.

Difficultas summatim proponitur atque solvitur.

Plurimis testimoniis Scripturae atque antiquitatis et quibusdam generalibus considerationibus demonstratur, *ad populum spectare sive ut eligat episcopos caeterosque e clero sive saltem, ut in iis eligendis partem determinatam sibi vindicet.* — R. Dist. ma.: Testimoniis ullis probatur, plebem in episcopos *ipsam potestatem regendi transtulisse, n.*; probatur populum fidelem aut *testimonium* simplex de eligendi dignitate dedisse, aut quod plus est, certum quendam *expostulasse,* aut, quod Bellarmino, de membris Eccl. l. 1 c. 7 videtur, aliquando verum suffragium de eo tulisse, *sd.: quod ius divinum erat, n., ecclesiasticum, sd.* quo auctoritas ecclesiastica vere astringeretur, ut nonnisi ad talem populi actionem procederet, n.; quam populi vocem generatim sequebatur, sd: et hoc ius ecclesiasticum postea, etiam per Concilium generale abolitum est, c.; et adhuc subsistit, n., ita tamen ut auctoritas competens in conscientia obligata sit convenientia media adhibere quibus sibi de dignitate elegendi constet, imo prudenter etiam desideria iusta populi consideret. Contrad. min.: signum est iuris divini ad regendum, si populus dictas partes habebat e iure ecclesiastico, n., si ex iure divino, tr. (Cf. Bellarm., De R. P. l. 1 c. 6 ad finem).

Evolutio historica designationis personae episcoporum, si lineae generalissimae ducuntur, haec est: 1) Saeculo 1 ipsi apostoli atque apostolorum discipuli episcopos elegerunt. 2) Saeculo 2 et 3 id egerunt praecipue Comprovinciales episcopi cum quodam populi interventu. 3) In Concilio Nicaeno et post illud suae partes praeterea metropolitae atque patriarchis concessae sunt. Quod ius ecclesiasticum Romani Pontifices urgebant. Actio populi in Oriente paulatim repressa in Conc. oecumenico 8^0 anno 869 pro Oriente abrogata est. 4) Inde a saeculo 7 in Occidente ius nominandi episcopos ad principes saeculares transiit, influxus vero plebis saeculo 11 etiam in Occidente interierat. 5) Saeculo fere 12 hoc ius, excluso populi interventu, a Romanis Pontificibus, ad capitula cathedralia translatum est. 6) Tandem e saeculo 14 Romani Pontifices lege generali sibi ipsis nominationem episcoporum reservarunt, ita tamen ut in multis terris sive nominatio per principes saeculares sive electio per capitula haberetur atque iam nunc habeatur. Nominatio vero a Sancta Sede facta aut absolute libera est aut post praeviam episcoporum comprovincialium commendationem impertitur, id quod pro diversis terris diversum est. Cf. Wernz II, 1^2 n. 740-53 p. 531-42 ubi amplior literatura indicatur.

Non esse iuris divini illam actionem populi fidelis in eligendis episcopis, inter alia ex his patet: 1) Hoc ius, si fuisset divinitus datum, neque laici sibi eripi passi essent, sive pietatem eorum respicis, sive amorem propiae excellentiae, neque Ecclesia illud pro sua indefectibilitate abolere potuisset. Iamvero *abolitum est*. Quibusdam iam synodus Ladicaeae 341 illud ius can. 13 penitus abolevisse videtur; certo illud *abolevit* pro Oriente *Conc.* VIII oecumenico anno 869 pro Oriente. Porro usu etiam mox in Occidente disparuit, uti dictum est. — Ne conquesti sunt quidem laici quasi de iure divino sibi erepto.

2) Cum rationem huius actionis reddunt, Patres *nonnisi ad ius ecclesiasticum recurrunt*, ad Patrum constituta. Praecipue attendenda sunt « *Statuta Ecclesiae antiqua* », quae canonum collectio saeculo 6º e canonibus antiquis confecta est. Cf. Hefele, Konziliengeschichte II[2] p. 68-9; Maassen, Quellen des canonischen Rechtes I p. 382; Duchesne, Origines du culte chrétien[4] 1908 p. 357, 370. Quae hoc habet: « Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus... ». Qui canon in Rituale Romanum transiit. Cf. alia in textibus mox citandis.

3) Is qui praecipue ius divinum asseruisse dicitur, *S. Cyprianus ea affert quae cum persuasione de tali iure stare nequeunt.* Nam *a*) principium statuit, illud *populi testimonium omitti posse*, si aliunde dignitas eligendi certa sit. Ita ep. 38 ad clerum et plebem n. 1, ed. Hartel, p. 579: « In ordinationibus clericis, fratres carissimi, solemus vos antea consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed exspectanda non sunt testimonia humana cum praecedunt divina suffragia ». Quae in epistula integra explicat non de revelatione quadam, sed de virtutibus manifestis ac praecipue de persecutionibus et poenis ob fidem fortiter superatis. — *b*) Ipse cum collegis suis episcopis non semel *tale principium secutus est*. Ita post verba quae rectavimus, ea ad Aurelium quendam applicat. Ep. 39 n. 1 ed. Hartel p. 582 ad eosdem, refert ipse et coepiscopi praesentes, esse « Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter et moribus gloriosum clero nostro non humana suffragatione sed divina dignatione coniunctum ». Cuius laudes per integram epistulam prosequitur. Ep. 40 n. 1 ed. Hartel p. 585 ad eosdem directa, « admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina ut Numidicus presbyter ascribatur presbyterorum Carthaginensium numero et sedeat nobiscum in clero, luce clarissima confessionis illustris et virtutis ac fidei honore sublimis ».

Qua generali responsione data praecipue ii textus singuli fere proponentur, quibus Protestantes insistere solebant, addito uno vel altero, qui iis notus non erat. Adiungentur specialia quaedam responsa.

Difficultates singulae cum suis solutionibus.

E Scriptura.

Ob. 1. — Act. 1, 23 « statuerunt duos », Ioseph et Barnabam, e quibus apostolus assumeretur; 26 « Matthias annumeratus est (συνκατεψηφίσθη = suffragiis constitutus est) cum undecim apostolis ». Vides *populi suffragia,* non apostolorum interventum *rem decidisse.*

Respondeo: 1) Potestatem *apostolicam* conferre neque populi neque, ut generatim putant, apostolorum vel Petri erat, sed solius Dei immediate agentis. Cf. vocationem S. Pauli. — 2) Imo generatim theologi statuunt *ad apostolatus praerogativas pertinuisse,* ut ipsa quoque *personae designatio ab ipso Deo proficisci* deberet. Unde oraverunt ad Deum: « ostende quem elegeris ». Cf. vocationem 12 apostolornm et S. Pauli, qui omnes immediate a Deo electi sunt. — 3) Unde quod in apostolo constituendo vel ipsi apostoli intervenerunt, speciali illuminationi et inspirationi divinae videtur esse attribuendum. — 4) Vides tamen, S. Petrum toti negotio praeesse, imo S. Chrysostomus putat, e S. Petri concessione repetendum esse, quod a caeteris in hac parte actum est. — 5) « Statuerunt » non dicit, quae partes Petro, apostolis, caeteris fratribus ascribendae sint; ad summum etiam fratres *testimonium dederunt,* illa quae S. Petrus in apostolis inveniri debere declaraverat, in utroque, et Iosepho et Matthia inveniri. — 6) Vox illa « συγκατεψηφίσθη » nullo modo dicit Matthiam ad suffragium populi electum esse. Sed aut quod sortium quasi suffragio electus est, aut simpliciter quod decreto quodam apostolis annumeratus est. *Etymologia enim illa a suffragio hausta voci non iam adhaeret* (Cf. Zorell N. T. Lex. graec. ad v.).

Ob. 2. — Act. 6, 5. 6: « *Elegerunt Stephanum* » et caeteros 6 primos diaconos atque « hos *statuerunt ante conspectum apostolorum* ». Qui « orantes imposuerunt eis manus », qua ratione diaconi constituti sunt. — R. Quae personarum *designatio* evidenter *iis a S. Petro concessa est,* v. 3 « considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem... ». Potestatis communicatio deinde ab apostolis facta est.

Ob. 3. — Act. 14, 20-3: Paulus et Barnabas confirmarunt animas discipulorum Lystrae, Iconii, Antiochiae, « et cum constituissent illis per singulas civitates presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt. Transeuntesque Pisidiam,.. ». Iamvero « cum *constituissent* illis » gr. est χειροτονήσαντες αὐτοῖς, *i. e. postquam ad suffragia multitudinis iis constituerant.* Etenim vox significat manus attollere in suffragii signum. Cui difficultati veteres plurimi Protestantes maxime insistebant. — N. min. *Vox nunquam significat,* id quod plurimi etiam Protestantes praecipue recentiores concedunt, *secundum suffragia aliorum eligere vel dirigere electionem* per alios factam, vel similia, sed tantum: *a)* per suffragia sua propria in alicuis designationem concurrere, vel *b)* simpliciter *eligere,*

quin ullo modo adsignificetur plures esse qui suo suffragio in hanc electionem concurrerint. imo ita ut talis plurium concursus evidenter a significatione excludatur atque omnis etymologiae vestigium ab usu vocis iam absit. Iamvero prior ex his duabus significationibus, secundum quam soli Paulus et Barnabas inter se vera suffragia contulisse dicendi essent, sane Protestantes nihil iuvat, porro nulla ratione fulcitur: unde altera assumenda est « constituebant ». A qua significatione quantopere exulet idea suffragiorum v. v. g. ex hoc quod a Philone de praem. et poen. c. 9 dicitur rex a Deo constitutus = χειροτονηθείς et ab ipso Luca Act. 10, 41 apostoli ipsi dicuntur a Deo praeordinati προεχειροτονημένοι. — Cf. Zorell ad v., Knabenbauer, Felten in suis Com. ad l.

Ob. 4. — Act. 15, 2 *qui Antiochiae erant « statuerunt* ut ascenderent Paulus et Barnabas » alii, ad apostolos in Ierusalem ut quaestio de legalibus decideretur; ib. v. 22 « *placuit* apostolis, et senioribus *cum omni ecclesia* » eligere viros, qui decisionem Concilii apostolici ecclesiis quibusdam deferrent. — Priore loco non clare dicitur, qui fuerint, qui ita statuerunt, porro merum factum statuitur; altero loco certe consensus fratrum ad explicationem sufficit.

Ex historia ecclesiastica.

Ob. 5. — **S. Clemens Rom.** ad Cor. c. 44 n. 3 hoc habet: « Itaque qui constituti sunt ab illis [apostolis] vel deinceps ab aliis viris eximiis [episcopis iis quos apostoli constituerant] *consentiente universa ecclesia...* ». — R. Iterum merus consensus et merum factum statuitur.

Ob. 6. — **Doctrina duodecim apostolorum** c. 15, 1 Christianos monet « *Constituite* (χειροτονήσατε) igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino... ». — R. Si electio sensu stricto intelligitur, usus quidem supponitur, eius vero origo e iure divino nullo modo affirmatur. Si vero auctor solum id Christianis commendare vult, ut curent habere dignos antistites, sane de modo quo hoc fieri debet, nihil dicit sed eum notum supponit.

Ob. 7. — **Didascalia apostolica**, quae dicitur, e medio fere saeculo 3°, I 3 seqq. (Funk, Didascalia et Constitutiones Apostolorum v. I Paderborn 1906 p. 32) multa de episcopi eligendi qualitatibus habet. Premit eum annorum non minus 50 debere esse, si autem in parvis districtis nonnisi iunior inveniri possit, eum, *si bonum testimonium* ab omnibus *ei reddatur*, tamen constitui posse. At etiam qui aetate provectior sit, testimonium habere debere. — R. Ius divinum non docetur.

Ob. 8. — **Origenes** in Lev. hom. 6 n. 3 M. G. 12, 469 explicans Lev. 8, 4 haec habet: « *Requiritur* in ordinando sacerdote et *praesentia populi*, ut sciant omnes et certi sint, quia qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc astante populo,

ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod et apostolus praecepit in ordinatione sacerdotis dicens: Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt (1 Tim. 3, 7) ». — R. Quo textu sane optime rationes exponuntur, unde conveniat certis sub circumstantiis episcopum coram plebe eligi; quaestio vero de iure divino ne tangitur quidem.

Ob. 9. — Quam maxime in S. **Cypriano** insistitur. Etenim ille *a*) saepe connumerando Dei iudicium, episcoporum consensum, populi suffragium, quae in eligendo episcopo inveniantur, haec tria *essentialia* habere videtur. Cfr. locos diversos collectos apud Funk, l. c. p. 26-7. — *b*) Ideo *maius peccatum* in eo esse qui ab episcopo tali ratione electo se separaret; ep. 58 n. 5 ad Cornelium, ed. Hartel p. 672. — *c*) Secundum eum *ipsa plebs habet* « *potestatem* vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi ». Ita ep. 67 n. 3 ad Felicem, ib. p. 738 vel M L ep. 48 col. 102. — *d*) Imo hanc potestatem *e iure divino repetit,* cum ita prosequatur: « Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus adque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur... » ib. n. 4. Idem, ut ait n. 5 p. 739 « de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum ».

R. ad singula: Ad *a*) Frequens illa connumeratio sane *usum illum communem* saltem in iis regionibus fuisse testatur, qui scilicet « fere per provincias universas tenetur » ep. 67 n. 5. Ius divinum non arguit. — Ad *b*) Peccatum utique secundum quid crescit, quia in separatione ab episcopo ita electo etiam *fratrum iudicium spernitur.* — Ad *c*) Potestatem illam utique habebat plebs, at *descendentem a lege ecclesiastica* neque tamen eam omnino decisivam. — Ad *d*) Divinam auctoritatem et traditionem non intelligit legem pro V. et N. T. valentem, sed *normam quandam tribus exemplis a Deo in V. et N. T. ostensam,* quibus quam conveniens eiusmodi usus sub certis circumstantiis sit, sane evincitur.

Ob. 10. — **Canonum Hyppoliti** qui dicuntur, ut videtur e saeculo fere 5° in Oriente, canon 2 iubet: « Episcopus eligatur ab omni populo ». — **Synodus 2ª Aretalensis** anni 443 vel 452 c. 54; c. 2 **Conc. Arvernensis** (Auvergne) anno 535; c. 3 **Conc. Aurelianensis** anno 538 determinant episcopum eligendum esse a clero et civibus sive post propositionem trium candidatorum per episcopos Comprovinciales (Arel.), sive consentiente metropolita (Arv., Aur.). Similia alia. — R. Habes ius ecclesiasticum; divinum non demonstrasti.

Ob. 11. — *Leo M.* ep. 10 c. 6 ML 54. 634: « Per pacem et quietem sacerdotes qui futuri sunt postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus et plebis. Qui praefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur ». Cf. quoque ep. 10 c. 4. — R. Cf. R. ad Ob. 10. Adiungitur a S Leone ratio convenientiae iuris ecclesiastici.

Ob. 12. — Quod *per 12 saecula,* scilicet usque ad Gregorium IX *in usu erat,* sane iuris divini est. Praeterea attendatur, eum usum e sententia Catholicorum *non levia incommoda* attulisse. Cur ergo eum Ecclesia, si potuisset, non citius obolevit? — R. *a*) *N. factum illud usque ad saeculum 13um constans fuisse,* sive locum sive tempus respicis. Cf. exposita. — *b*) *E solo facto aliquo constanti non sequitur institutio divina.* Causae aliae esse possunt, cur illud constans fuerit, v. g. rei utilitas. Incommoda praecipue numero fidelium crescente se manifestabant. At neque quando maiora facta fuerant, ubique aut statim aboleri poterant.

Caput II. — De ipsis episcopis.

Propositio 10. — Inde ab aevo apostolico erant in ecclesia episcopi qui dicuntur monarchici. — *fasc. 5, p. 53-62.*

Inde ab aevo apostolico, i. e. iam viventibus apostolis erant eiusmodi episcopi monarchici iique in multis diversisque terrae locis. Non vero dicimus, subito atque quidam in aliquo loco conversi fuerint, etiam episcopum eorum fuisse institutum. Tempus, uti hodie in terris missionum, iudicio prudentiali determinandum erat.

Adversarii sunt Evolutionistae, qui affirmant hoc munus naturaliter ortum esse, idque post tempus apostolorum, illud porro nonnisi versus secundam partem saeculi secundi magis universaliter introductum fuisse. De his v. plura ad finem capitis.

Pars I. — Demonstratur regimen unius in singulis partibus.

Regebat unus, non vero collegium.

Arg. I. — **Hoc factum universale enuntiant testes fide digni.** — *Irenaeus* l. 5 c. 20: « Omnes enim ii [haeretici] posteriores sunt quam *episcopi, quibus apostoli tradiderunt ecclesias* »; l. 3 c. 3 n. 1: « habemus annumerare eos, qui *ab apostolis instituti sunt episcopi* quibus etiam ipsas ecclesias tradiderunt ». — *Tertull.,* De praescr. c. 32: «... evolvant [haeretici] ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut *primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris... ha-*

buerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt ». — Conceditur ab adversariis, Irenaeum et Tertullianum nomine episcopi episcopum monarchicum intellexisse. — *Hegesippus* de episcopis loquens: « In singulis autem successionibus et per singulas urbes eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt ». Euseb. h. eccl. l. 4 c. 22 n. 2.

***Arg. II.* petitur e catalogis episcoporum.** — Talem catalogum confecit *Irenaeus* l. 3 c. 3 n. 3 *pro ecclesia Romana* usque ad Petrum et Paulum; item Hegesippus. — *Eusebius* excerpsit tales ex antiquis documentis pro *ecclesia Alexandrina* usque ad Marcum, pro *Antiochena* usque ad Evodium, pro *Hierosolymitana* usque ad Iacobum. — *Polycrates* a. 175 iam erat octavus ex episcopis cognatis. Polycarpum habet episcopum Ephesinum. Iamvero in iis catalogis *semper singuli inter se succedentes* exhibentur.

***Arg. III.* — Documenta e saeculo I° atque ex initio 2ⁱ exhibent episcopos monarchicos ut iam diu existentes.** — *S. Ignatius* c. 107-17 in 6 ex suis 7 epistulis *de episcopo in singulari loquitur, de presbyteris et diaconis vero in plurali.* Quamvis in ep. ad Romanos non explicite de episcopo loquatur, id tamen implicite facit. Etenim ex una parte scribit « ecclesiae » Romanorum; ex alia parte antea scripserat: « Sine his (episcopo, presbyteris, diaconis) ecclesia non nominatur ». In ep. ad Ephesios affirmat, tales episcopos « *per tractus terrae* constitutos » esse. — *S. Ioannes* in Apoc. supponit, illas 7 *ecclesias* ad quas scribit *suum quamque habere* « *angelum* ». Cum ii « angeli » reprehendantur atque munus docendi habeant, *episcopi* non vero spiritus angelici eo nomine intelligendi sunt. Eadem est explicatio Patrum, recentiorum catholicorum.

Singuli regentes singulas partes ecclesiae regebant.

Hoc iamiam observatur in ecclesiis quas S. Ioannes *in Apocalypsi* commemorat: angelus Ephesi ecclesiae etc.

Idem ostendunt *mandata, quae apostoli eiusmodi episcopis imponunt.* Semper enim talem restrictionem continent: Act. 20 28: « universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit »; Petr.

5 12: « Pascite qui in vobis est, gregem Dei »; Tit. 1, 5: « Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas ».

Accedunt **leges ecclesiasticae quibus vetatur, ut ab una in aliam dioecesim episcopi transeant.** V. g. Concil. Antiochenum in encaeniis a. 341 canone 23 statuit: « Episcopus non debet ire in aliud oppidum, quod ei subditum non est, neque in regionem ruralem, quae ad eum non spectat, ut aliquem ordinet... » Hefele, Conciliengeschichte I² p. 599.

Omnibus denique certum erat, episcopum nihil in aliena dioecesi licite peragere posse. Testatur S. Augustinus in ep. 34 ad Euseb. n. 5 M. L. 33, 133: « Illud quod rursus eum (Victorem) dixisse nonnulli ad me pertulerunt, cur non ierim Constantinam, quando ibi plures ipsi erant, vel me debere ire Milivim, quod illuc sicut perhibent, concilium proxime habituri sunt, ridiculum est dicere, *quasi ad me pertineat cura propria nisi Hipponensis ecclesiae*... In aliis enim ecclesiis tantum agimus, quod ad Ecclesiam pertinet, quantum vel nos permittunt, vel nobis imponunt earundem civitatum episcopi, fratres et consacerdotes nostri ».

Quae restrictio ad dioecesim propriam *ininterrupta est a primis initiis usque ad haec ipsa tempora.* Unde certum est ecclesiam successionem ab apostolis, quae in episcopis invenitur, ita intellexisse, ut restrictionem ad locum includat. In qua re tanto facilius constat errorem humanum subrepere non potuisse, quanto certius est, episcopos non passuros fuisse, ut restrictio introduceretur, si vi successionis in munus apostolorum in potestatem tam amplam atque in apostolis inveniebatur, e iure divino succedere debuissent.

Tandem uti episcopi hodie *potestate propria, non vero vicaria* Romani Pontificis regunt, ita nullum vestigium in traditione habetur, id olim aliter se habuisse. Omitto alias rationes.

Pars II. — Muneris episcopalis iura et obligationes per se et directe mere spiritualia erant.

Adv. Haec pars ponitur contra quosdam recentissimos, qui opinati sunt, curae episcoporum ab initio *res mere materiales* demandatas fuisse. Concedimus, res *materiales* in tantum ad episcopos pertinere potuisse, in quantum cum *spiritualibus* connexae erant.

Arg. I. **Ex indole generali muneris.** — 1) Apostolorum munus spirituale erat: « Pro Christo legatione fungimur ». Atqui *episcopi saltem quadam ratione apostolis succedunt.* Cf. interim Clem. ad Cor. c. 42. — 2) *Paulus Timotheum,* qui munus episcopi vel saltem simillimum, scilicet legati apostolici in ecclesiis moderandis, sustinebat, hortatur: « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* ». — 3) *Episcopi ii quos novimus spiritualia sectabantur.* Cf. Clem. ep. ad Cor., Iren., Ign. et Polyc. in epistulis suis.

Ob. — Episcopi de facto *res temporales sequebantur.* — Principaliter, n.; secundario, c., scilicet aut in quantum erant homines privatis officiis onerati, v. g. uti patresfamilias, 1 Tim. 3, 4, aut in quantum res temporales rei spirituali inserviebant. V. g. hospitalitas erga Christianos exercenda erat, ne in periculis idololatriae versarentur; suadente virtute christiana habenda erat cura viduarum, Iudaeo-Christianorum in Palestina 2 Cor. c. 8 et 9.

Arg. II **e partibus quibusdam muneris enumeratis.** — Ad munus regendi episcopi spectabat 1) *procurare modum debitum in functionibus potestatis ordinis.* Ign.: « Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare ». — 2) *Docere.* Ign. ad Polycarp.: « Omnesque horteris ut salventur ». — 3) *Quascunque res disciplinares ad ecclesiam spectantes peragere.* Ign. ad Tral.: « Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant ». V. g. ab episcopo determinari vult, num legatus Antiochiam mittendus sit congratulandi causa de pace iis concessa.

Ob. — *a*) Ign. ad Ephes. de re fidei scribit: « *Decet vos uniri episcopi sententiae* ». *Ergo supponit, singulos episcopos esse infallibiles. b*) *Ign. nunquam hortatur ad obedientiam erga Romanum Pontificem.* Ergo eius auctoritatem non novit. — R. *Finis* S. Ignatii in scribendis suis epistulis is erat, *ut singulas* ecclesias in obedientia erga superiores suos locales hortaretur. Quae monita intelliguntur suppositis supponendis.

SCHOLION. QUID DE NOMINE « EPISCOPUS » STATUENDUM SIT. — p. 75-90.

Quaestio haec pro ipsa argumentatione nostra *non omnino necessaria est.*

Utilis tamen est imprimis ob confutationem Protestantium praecipue liberalium recentiorum, qui in hac materia saepissime

quaestionem nominis cum quaestione rei confundunt. Quibus respondendum est talibus modis, quales in sententiis catholicorum recensebimus.

Etymologia. — Vox « episcopus » derivatur ab ἐπισκέπτεσθαι = *attentionem suam specialem ad aliquid dirigere.* Unde vox apta est quae superiorem designet.

Usus in lingua graeca profana: terminus technicus medici invisentis infirmum; diversorum *magistratuum* tum civilium tum sacrorum.

Apud LXX: Ἐπισκοπή adhibetur *de Deo,* in quantum hominum animos explorat, eos beneficiis vel poenis afficit. Ἐπίσκοπος invenitur locis 14 de hominibus, in quantum generatim quidem in rebus saecularibus, aliquando vero in spiritualibus imperium in alios exercent. Ergo vox apta erat, quae iurisdictionem spiritualem etiam ecclesiasticam significaret.

In N. T. vox (sive nomen sive verbum) invenitur in locis 22, inter quos 9 agunt de Deo, de hominibus, quin cura pastoralis eorum designetur, *8 de cura quadam pastorali.* Sunt vero hi, in quorum 4 ultimis ipsa vox « episcopus » occurrit: Act. 15, 36: « dixit ad Barnabam Paulus: revertentes visitemus (ἐπισκεψώμεθα) fratres per universas civitates... ». 1 Petr. 5, 2 de senioribus: « *pascite* qui in nobis est gregem Dei ἐπισκοποῦντες... »; Act. 1, 20 de Iuda: « *episcopatum* eius accipiat alter »; 1 Tim. 3, 1: « si quis *episcopatum* desiderat ».

Act. 20. 28: « attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit *episcopos* regere ecclesiam Dei »; Phil. 1, 1: « omnibus sanctis..., qui sunt Philippis, cum *episcopis* et diaconibus »; 1 Tim. 3, 2: « oportet ergo *episcopum* irreprehensibilem esse..., diaconos similiter »; Tit. 1, 2: « oportet enim *episcopum* sine crimine esse ».

De significatione vocis « episcopus » in his 4 locis N. T.:

Act. 20, 28; Phil. 1, 1; 1 Tim. 3, 2; Tit. 1, 2.

Praecipue 6 sententiae ab auctoribus catholicis de hac significatione propositae sunt. Patet rationes pro una sententia simul esse obiectiones contra alias. Communiores videntur esse 1ª, 3ª, 5ª. Omnino reicienda videtur esse 6ª. Ponimus singulas sententias cum iis rationibus quas patroni eorum praecipue afferunt.

Sententia 1. — Nomen episcopi semper significat solos sacerdotes primi ordinis, qui singuli singulas partes ecclesiae regebant.

1) Haec sententia explicat, cur in locis Tim. et Tit. episcopus in singulari ponatur, diaconi vero in plurali nominentur. — 2) Trident. D. 960 docet, « episcopos... positos (esse), sicut idem apostolus (Act. 20, 28) ait, a Spiritu Sancto, regere ecclesiam Dei ». Ergo supponit, apostolum eadem terminologia uti, quam nos hodie adhibemus. — 3) Valde conveniens est, munus illud singulare divinitus institutum statim etiam nomen proprium habuisse. — 4) Certe iam inde ab Irenaeo, porro in catalogis episcoporum antiquissimis haec vox in eo sensu quem statuimus adhibetur. Ergo haec sententia servat etiam continuitatem historicam. — 5) Bene autem solvitur difficultas quae praecipua est, scilicet ex plurali nominis « episcopus » Act. 20, 28 et Phil. 1, 1. Nam potest sane esse ut Ephesum convenerint episcopi ex oppidis finitimis (cfr. 25 « per quos transivi »); ut porro Phil. 1, 1 subintelligerentur caeteri episcopi in Achaia, ad quos haec epistula ut encyclica mitti deberet. Imo iam Iren. locum Act. 20, 28 ita explicat. — 5) Patroni: Epiph. haer. 5, 5, ut videtur; Sylvius; Estius; Franzelin uti probabilius; alii.

Sententia 2. — Nomen episcopi aliquando significat presbyteros primi ordinis, sive ii hinc inde prima illa aetate in quibusdam locis per modum collegii aliquam partem ecclesiae sub aliquo apostolo quadam ratione regebant sive nulla iurisdictione fruebantur.

Sententia haec tales sacerdotes primi ordinis ab episcopis monarchicis distinctos non admittit in iis plerisque urbibus, de quibus antiquissimi auctores catalogos episcoporum ad apostolos reducunt (Petavius, De eccl. hier. l. 1 c. 4 n. 6; de ep. l. 1 c. 2 n. 1 et 2), sed eos admittit tantum pro aliis oppidis vel urbibus.

1) Haec sententia optime explicat, cur Ephesi, Philippis plures episcopi inventi fuerint. 2) Congruit primis temporibus. In his enim ex una parte consecrationes episcopales non ita saepe peragi poterant, ex alia parte semper debebant praesto esse, qui subito in novas partes conversas cum plenitudine sacerdotii mitterentur. Praeterea ob maiorem virtutem horum episcoporum

nullum incommodum in eo erat, ut per aliquod tempus forte quaedam singulae ecclesiae a pluribus per modum collegii, at sub aliquo regerentur. — 3) Hunc statum rerum Hieronymus data opera primis temporibus ascribit. Cf. locum post prop. 11 discutiendum. — Confirmant « episcopi missionum » primorum saeculorum ecclesiae. — 5) Patroni : Petavius, qui huius sententiae auctor est ; Mamacchi ; Perrone ; Franzelin, si prima sententia defendi non possit ; Wilmers, Segna eam non reiciunt.

Wilmers putat, e sententia Petavii non necesse esse statuere, hos sacerdotes primi ordinis habuisse semper partes in regenda ecclesia particulari ; vel putare eos non habuisse in ea ipsa ecclesia caput quo regerentur. Si ita rem intelligis, habes perfectam analogiam loquendi cum nostro usu vocis episcopi.

Sententia 3. — Nomen episcopi aliquando significat solos episcopos monarchicos ; aliquando solos sacerdotes 2ⁱ ordinis ; aliquando utramque classem personarum simul.

1) Fundamentum cur hic diversus modus loquendi formari potuerit, est similitudo inter utramque classem personarum. Utraque potestatem ordinis eamque magna ex parte aequalem habet ; sacerdotes etiam iurisdictionem recipere possunt. — 2) Rationes cur hic modus diversus loquendi admittendus sit, sunt dogmaticae vel exegeticae. Ex una parte Act. 20, 28 vox « episcopus » sive certo (v. g. Billot) sive probabilius (v. g. Segna) episcopos monarchicos significat Cf. sent. 1. Ex alia parte Phil. 1, 1 aeque bene vel commodius de episcopo simul cum sacerdotibus vel de solis sacerdotibus 2ⁱ ordinis intelligitur. Etiam 1 Tim. 3, 2 ; Tit. 1, 7 intelligi potest de sacerdote 2ⁱ ordinis, qui in singulis oppidis sub Tito episcopo regimen exercebant. — 3) Patroni v. g. S. Chrysost., Palmieri, Segna, Billot etc.

Sententia 4. — Nomen episcopi aliquando significat episcopos monarchicos, aliquando eos simul cum simplicibus presbyteris.

Ex una parte haec vox Act. 20, 28 significat episcopos monarchicos simul cum simplicibus sacerdotibus. Nam Iren. l. 3, c. 14, n. 2 locum ita explicat : « In Mileto convocatis episcopis et presbyteris... ». Porro etiam Phil. 1, 1 episcopum comprehendit. Nam Epaphroditus 4, 3 a Paulo dicitur « γνήσιε σύζυγε —

germane compar », quae expressio significat, Epaphroditum fuisse episcopum Philippensium. Ex alia parte in ep. ad Tit. exhibetur episcopus (in singulari) ut distinctus a presbyteris (in plurali), qui in singulis civitatibus plures erant, 1, 5. Eodem modo vox episcopus 1 Tim. 3, 2 ut terminus technicus explicatur. — Tandem S. Ephrem docet, Titum Cretae fuisse uti metropolitam episcoporum, quos singulos in oppidis singulis instituerit. — Patronus : Belser.

Sententia 5. — Nomen episcopi indistinctim significat omnes sacerdotes, sive primi sive secundi ordinis, quin antonomastice pro episcopo monarchico adhiberetur.

1) Similitudo ordinis atque functionum quae inter has personas obtinet. — 2) Omnes loci Scripturae ita facile explicantur. Praecipue optime capitur Act. 20, 28, Phil. 1, 1 ; praeterea capitur quoque, cur Tim. 3 et Tit. tantum episcopus unus in singulari et deinde diaconi (in plurali) nominentur. — 3) Habetur paritas cum promiscuitate nominis « presbyter », quod per longa tempora, v. g. etiam aetate S. Irenaei et episcopis monarchicis et presbyteris commune erat. — 4) Patroni plurimi : Chrys., Hieron., Primasius, Isidorus, Beda ; e Scholasticis S. Thomas et multi qui eum sequuntur ; etiam post Trid. Stapleton, Lorinus, Tirinus, de Groot O. P.

Sententia 6. — Nomen episcopi significat solos sacerdotes secundi ordinis ; episcopi monarchici vero nomen « apostolus » obtinebant aut adhuc nullum nomen officii habebant.

1) Ratio praecipue ea est, quod in singulis textibus Scripturae nomina « episcopus » et « presbyter » synonima esse videntur, quin in ullo loco aliqua functio nominetur, quae functiones simplicis presbyteri excedat. Episcopo nomen « apostolus » initio datum fuisse ideo putant, quia Paulus Phil. 2, 25 Epaphroditum qui episcopus Philippensium fuerit vocet « vestrum apostolum ». — 2) Patroni : Theodorus Mopsuestenus, Theodoretus Cyrensis, qui episcopo nomen « apostolus » vindicant ; Michiels, L'origine de l'épiscopat 1900, p. 210-30 ; Petavius quoad aliquod tempus et quosdam locos, cf. de eccl. hier. l. 2, c. 5, n. 8-11.

Propositio 11. — Munus regendi episcoporum institutionis divinae est. — *Cf. Rep. p. 434-57.*

Con. mat. — Vidimus, episcopos inde ab aevo apostolico in ecclesia fuisse, imo ipsos apostolos ecclesias episcopis tradidisse. Quaeritur num apostoli sua auctoritate hoc munus instituerint, an in episcopatu introducendo nonnisi mandatum Christi executi fuerint.

Expl. term. — 1) Dicimus, ipsum Christum vel Deum determinasse *ambitum iurium et potestatum et consequenter obligationum, quae episcopo propria sint.* Id quod ea *generalitate intelligitur,* ut dicatur Christum ipsum voluisse, ut in ecclesia sua praeter pastorem universalem sint *qui generatim singuli singulas partes easque ordinarie territoriales vere regerent.*

Ad rationem veri pastoris atque principis, etsi subordinati, quaedam ita requiruntur, ut iis demptis ea non iam subsistat; quaedam autem ei accidere vel ab ea abesse possunt salva essentiali ratione pastoris et principis, praecipue si est subordinatus principi supremo. Dicimus, e voluntate Christi esse, *ut episcopi non careant iis, quae ad rationem principis subordinati essentialia sunt;* ampliora quod attinet, uti e traditione videbimus, nihil ipse Dominus determinavit, sed prudenti arbitrio Romani Pontificis reliquit, ut ea in minore vel maiore mensura aut adiciat aut etiam sibi ipsi retineat.

2) *Quaerimus, quis munus episcopatus instituerit, non vero a quo immediate derivetur ea potestas, qua munus institutum geratur.* Munus episcopi a Christo ipso institutum est, uti hac thesi probabimus; potestas autem iurisdictionis ut postea probabimus, episcopis non directe a Christo confertur, sed a Romano Pontifice. Sunt qui has duas quaestiones inter se confundant.

3) Cum, uti postea demonstrabimus, Christus voluerit, generatim nonnisi eas personas ad regimen monarchicum dioecesium elevari, qui supremum gradum sacerdotii adepti sint, *episcopus* sensu plenissimo is solum praedicatur, qui et supremo gradu sacerdotii ornatus et dioecesi praefectus est. At de potestate ordinis, qua sacerdotium confertur, nihil adhuc docuimus neque quidquam hac thesi docemus. Unde is sensus theseos est, *ut.*

abstrahendo a ratione sacerdotii in episcopis, dicamus : Christum ipsum voluisse, ut quidam singuli singulas partes ecclesiae suae regerent.

Argumentum e Patribus.

Praecipue id intendimus, ut aliquo modo ostendamus, quomodo ii textus qui ad thesim probandam ab auctoribus proferri solent, eam revera demonstrent.

Clemens Romanus.

Textus. — C. 42 : « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et *apostoli a Christo ;* et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. *Itaque acceptis mandatis* et per resurrectionem domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia *egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum.* Per regiones *igitur* et urbes *verbum praedicantes* primitias earum spiritu cum probassent, *constituerunt episcopos et diaconos* eorum, qui credituri erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit ; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alicubi dicit Scriptura : Constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide ». — C. 43 : « Et quid mirum, eos quibus *in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, praedictos constituisse ?* cum beatus Moses, fidelis servus in universa domo, omnia quae ipsi mandata erant, in sacris libris notaverit... ». — C. 44 : « Apostoli quoque nostri per Iesum Christum dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram ; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos iudicamus munere suo non iuste deici ».

Explicatio. — 1) Agitur de episcopis monarchicis. Etenim

a) Clemens ait, apostolos per regiones et urbes episcopos et diaconos instituisse. Iamvero *ex aliis auctoribus,* uti Irenaeo, Tertull., *scimus, apostolos* (praeter diaconos et presbyteros) *praecipue episcopos qua monarchicos instituisse.* Unde certe Clemens cum narrat, apostolos episcopos instituisse, episcopos monarchicos non excludit sed includit.

2) *Agitur de episcopis etiam in quantum regunt.* — Etenim affirmat apostolos per regiones et urbes *instituisse episcopos et diaconos.* Iamvero, *uti ex aliis auctoribus scitur, apostoli episcopos ut regentes instituerunt,* imo haec functio muneris eorum ab iis valde premitur. Porro ipse Clemens regebat. Caeterum regimen quoddam cleri aliquo modo etiam in hac epistula innuitur. Etenim c. 57 seditiosi monentur, ut poenitentiam a presbyteris impositam cum humilitate accipiant. Ergo presbyteri non perhibentur uti sola potestate ordinis instructi.

Ob. — Secundum Clementem apostoli *ideo instituerunt episcopos, quia praeviderunt, contentiones de episcopatu orituras esse.* Ergo eos non instituerunt e mandato Christi. — *R.* D. ma.: Secundum Clementem apostoli ideo ipsum munus episcopatus instituerunt, quia praevidebant, contentiones de eo adipiscendo orituras esse, n.: ideo *ipsi praedictos* i. e. *spiritu probatos* instituerunt atque *legem dederunt ut etiam in posterum ii, qui ad ea munera assumendi essent, probationi subicerentur,* c.

S. Ignatius.

1) Agitur in epistulis S. Ignatii *de episcopis qui singuli singulas partes regunt.* Cf. p. 266.

2) *Agitur de munere divinitus instituto.* — Nam

a) Sane unitas fidei in ecclesia institutionis divinae est. Iamvero secundum Ignatium *submissio sub episcopo regente ad hanc unitatem fidei necessaria est.* Ergo ipse episcopatus iuris divini est. — Tral. 7, 1: « *A talibus* [*haereticis* scilicet, qui in c. 6 describuntur] igitur *vos custodite. Hoc autem fiet,* si nec inflati *nec avulsi fueritis a Deo Iesu Christo et episcopo* et praeceptis apostolorum ». Cf. eundem sensum Philadelph. 2, 1-3, 2; Ephes. 3, 2-4, 1.

b) Quod essentiale ecclesiae est, id certe institutionis divinae est. Atqui secundum Ignatium *ordo diaconorum, presby-*

terorum, episcopus unus, ecclesiae essentialis est. — Tral. 3, 1: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. *Sine his ecclesia non vocatur* », i. e. coetus talis ecclesiae denominationem accipere (cf. Lightfoot, The Apostolic Fathers v. II sect. 1 ad 1. p. 159) non potest, quippe qui ecclesiae essentiam non habeat. Cf. Wilmers n. 173.

c) Quod est incommutabile in ecclesia, hoc divinae institutionis est. Atqui *episcopus ille unus inter elementa plane incommutabilia* in *ecclesia collocatur.* Ergo, praecipue si hi textus in lumine aliarum Ignatii doctrinarum considerantur, iis eiusmodi divina institutio episcopatus monarchici ab Ignatio praedicatur. — Phil. 4: « Studeatis igitur una eucharistia uti; *una* enim est *caro domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis eius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis,* conservis meis; ut quod facitis secundum Deum faciatis ». Magn. postquam c. 6 et 7, 1 unionem cum episcopo commendavit, 7, 2 ita pergit: « Omnes velut in *unum templum Dei* concurrite, velut *ad unum altare, ad unum Iesum Christum,* qui ab *uno patre* prodiit et *apud unum* fuit ad *eumque reversus est* ». — Simili modo eo tempore, quo evidenter divina institutio episcopatus apud omnes in confesso erat, alii auctores hanc suam persuasionem eo exprimebant, quod episcopum unum inter alia, quae necessario unitate continentur, reponebant. Id quod mox videbimus.

S. Irenaeus.

S. Irenaeus, uti caeteri Patres post eum, cum de episcopis sui aevi loquitur, eos intelligit qui *singuli singulas partes* regunt. Praeterea *in iis locis, quos adducemus, eos considerat, in quantum potestate regendi instructi sunt,* non vero in quantum mere potestate ordinis ornati sunt. Etenim loquitur de iis, in quantum obedientia fidei iis debetur. Iamvero ea iis debetur in quantum regunt, sive potestas docendi in ecclesia concipi debet ut pars potestatis regendi sive uti alio modo cum potestate regendi coniuncta, id quod hic decidendum non est. Unde

id unum demonstrandum remanet, episcoporum munus regendi e mente Irenaei *institutionis divinae esse.*

1) Adv. haer. l. 4 c. 26 n. 2 MG 6, 1053 hoc habet: « ...eis, qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui *cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum beneplacitum Patris acceperunt* ». — E quo textu ita argumentamur: Secundum Irenaeum ad essentiam ecclesiae pertinet, retinere doctrinam apostolicam, id quod alibi probatur. Atqui medium necessarium illudque ordinarium ad hunc effectum obtinendum est, ut fideles charisma veritatis certum sequantur. Atqui iterum medium necessarium illudque ordinarium ad sequendum charisma veritatis certum in eo situm est, ut fideles sequantur episcopos inter se succedentes, quippe cum quibus charisma veritatis certum connexum sit. Ergo sane *ad essentiam ecclesiae pertinet, sequi episcopos inter se succedentes.* Iamvero *suppositio necessaria* ad id ut fideles possint sequi episcopos inter se succedentes ea est, *ut existant episcopi inter se succedentes.* Quod autem est suppositio necessaria ad aliquid, quod ad essentiam ecclesiae pertinet, hoc ipsum quoque ad essentiam ecclesiae pertinet. Ergo episcopi monarchici inter se succedentes ad essentiam ecclesiae pertinent.

2) Adv. haer. l. 4 c. 33 n. 8 MG. 7, 1077 Irenaeus tradit haec: « Agnitio [γνῶσις] *vera est* [i. e. *promanat ex*, secundum tropum notum, quo effectus de causa praedicatur] *apostolorum doctrina et antiquus ecclesiae status* [τὸ ἀρχαῖον σύστημα, constitutio] in universo mundo *et character* [nota characteristica vel forte figura] *corporis Christi* [i. e. ecclesiae] secundum successiones episcoporum, quibus ilii [apostoli] eam quae in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt ». — E quo textu ita thesim probamus:

Character corporis Christi, quem Irenaeus commemorat, aut sumi potest pro nota characteristica corporis Christi aut pro « figura ».

Si retines significationem « *nota* », Irenaeus pronuntiat, characterem seu notam distinctivam ecclesiae habere in se successiones episcoporum. Iamvero *quod pertinet ad notam eccle-*

siae hoc certe ad eius essentiam pertinet atque proinde a Deo vel Christo institutum est.

Si autem characterem sumis pro figura, forma, sensus ad idem redit. Etenim si Irenaeus ait, *formam* corporis Christi habere in se successiones episcoporum, saltem aliunde patet, eum *hanc formam ecclesiae uti immutabilem* habuisse. Etenim l. 5 c. 20 n. 1 M. l. c. col. 1177 S. martyr confitetur, catholicae ecclesiae filios, in oppositione ad haereticos diversissima sentientes, habere « firmam ab apostolis traditionem » doctrinae, eorumque « *omnium unam et eandem esse fidem* ». *Hanc vero omnium fidem explicat ita:* « omnibus unum et eundem Deum Patrem praecipientibus, et eandem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus et eandem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus praecepta, *et eamdem figuram eius quae est erga Ecclesiam ordinationis custodientibus* [i. e. *eandem formam regiminis custodientibus*] et eumdem expectantibus adventum Domini, et eamdem salutem totius hominis, i. e. animae et corporis sustinentibus ». Observa nonnisi immutabilia fidei obiecta exhiberi, inter ea autem poni figuram seu formam regiminis in ecclesia. — Vides hunc textum etiam argumentum per se stans suppeditare.

S. Cyprianus.

1) Ep. 33 n. 1 ed. Hartel p. 566 ML 4, 298 haec habet: « *Dominus* noster, cuius praecepta et monita observare debemus, *episcopi honorem* et Ecclesiae suae rationem [constitutionem] *disponens,* in Evangelio loquitur et *dicit Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus*... [sequitur incisum integrum Mt. 16, 18 et 19]. *Inde* per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut *ecclesia super episcopos constituatur,* et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum *hoc* itaque *divina lege fundatum sit,* miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut ecclesiae nomine litteras facerent, quando ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta ».

Ob. — In textu Mt. c. 16 de solo Petro sermo est eoque qua capite ecclesiae universalis. Ergo sententia Cypriani quam exposuimus, nihili facienda est. — Tr. antec. Dist. consequens: nihili facienda est

quantum ad explicationem exegetice rectam textus, interim tr.; quantum ad manifestationem persuasionis de divina institutione episcopatus, n.

Ad antec. — Certum est e mente Patrum atque etiam Cypriani textu Mt. 16, 18 9 contineri primatum Petri. Constat quoque, haud raro Cyprianum atque etiam alios Patres pro potestate ipsorum episcoporum ad Mt. 16, 18-9 remittere. Id quod auctores non uno modo explicant. Secundum quosdam eo premitur, Petrum a Domino Mt. 16, 18 et ut caput ecclesiae et ut episcopum tempore primum fuisse institutum; secundum alios, episcoporum potestatem e potestate plena Petri derivari.

2) In ep. 66 ad Florentium Puppianum n. 8 ed. Hartel, p. 732-3 ML 4, 406 S. Cyprianus docet, ad *unitatem communionis, quae ecclesiae catholicae essentialis sit; pertinere adhaerere uni episcopo legitime electo.* Iamvero quod ad unitatem communionis essentiale est, id certe Cypriano e iure divino esse videbatur.

Est autem locus hic: « Loquitur illic Petrus, super quem aedificata fuerat ecclesia, ecclesiae nomine docens et ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, *ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens.* Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et *si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse,* et frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata. Quamobrem, frater, si maiestatem Dei, qui sacerdotes ordinat, cogitaveris... ».

Eadem est cogitatio S. Cypriani in ep. ad Antonianum n. 8 M 3, 773 ed. Hartel ep. 55 n. 8 p. 630, ubi sermo est de episcopo Romano, at proxime in quantum est caput suae dioeceseos Romanae legitime electum.

3) Tandem de unitate eccl. n. 8 M 4, 505 ed. Hartel p. 216 verbum Domini: « et erunt unus grex et unus pastor » ita intelligit: « *et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut greges plures?* ». Quo loco unitas episcopi ex verbo Domini eruitur. De explicatione hac exegetica cf. quae diximus ad textum Cypriani primo loco citatum.

Cornelius papa eiusque aequales.

Tempore Romani Pontificis Cornelii ii, qui antea episcopo Romano schismatico adhaeserant, ad legitimum Pontificem, Cornelium, inter alia haec scribunt D. 44: « tametsi videbamur quasi quandam communionem cum haeretico homine habuisse, *cor tamen nostrum semper in ecclesia* fuit; *nec enim ignoramus, unum Deum esse et unum Christum esse Dominum,* quem confessi sumus, *unum Sanctum Spiritum, unum episcopum in catholica ecclesia esse debere* ». Sensus est: sicuti necessario unus est Pater, Filius, Spiritus S., ita necessarium est, non nisi unum episcopum esse; illud quidem necessitate absoluta, hoc conditionata, dependente a voluntate Dei rem immobilem instituente, idque ita, ut qui cum episcopo non sit, in ecclesia non sit.

Unde ipse Cornelius, uti habet Euseb. hist. eccl. l. 6 c. 43 ed. Schwartz 1908 p. 618, D. 45 de Novatiano episcopo schismatico ironice scribit ad Fabianum episcopum Antiochenum: « Nesciebat ergo ille evangelii vindex, *unum episcopum in ecclesia catholica esse debere* », quem unum tot presbyteris, diaconis, subdiaconis etc. opponit. — Uti in ep. Cypriani ad Antonianum, quem mox citavimus, ita his verbis est sermo de episcopo Romano proxime in quantum est caput particularis dioeceseos Romanae, non vero in quantum est caput ecclesiae universalis.

Populus Romanus tempore Liberii.

Uti Theodoretus, hist. eccl. l. 2 c. 14 M. 82, 1040-1 narrat, imperator Constantius litteris iussit, ut et Liberius redux et eius diaconus Felix « communi opera ecclesiam Romanam (proxime de dioecesi Romana agitur) gubernarent ». Quas imperatoris litteras irrisit *populus Romanus* atque « in unam vocem omnes pariter eruperunt: *Unus Deus, unus Christus, unus episcopus* ». Ponunt ergo unicitatem episcopi inter eas res, quae absolute aliter esse non possunt.

S. Epiphanius.

Adv. haer. l. 1 tom. 2 haer. 29 n. 3-5 MG 41 col. 391-5 S. Epiphanius in eo est, ut explicet qua ratione de Christo dici possit, eum in aeternum sessurum esse in throno David:

« ...thronus ille Davidis ac regale solium nihil aliud est quam Ecclesiae sanctae sacerdotium, quod *regia simul ac pontificia* [ἀρχιερατικὸν] *dignitate in unum contracta*, ei [ecclesiae] Dominus attribuit, ac Davidis aeternum illud neque periturum unquam solium in eandem [ecclesiam] contulit [col. 391]... Neque vero ideo venit, ut qui regnasset hactenus, imperare porro pergeret; *sed iis regnum, quos constituerat ipse, dilargitus est*, ne a minoribus progredi ad maiora dici possit. Manet quippe sedes illius, et regni eius non erit finis atque in Davidis solio considet propterea quod Davidis regnum transtulit *idque ipsum una cum pontificatu* [ἀρχιερωσύνῃ] *servis suis indulsit*, hoc est catholicae Ecclesiae pontificibus [col. 995] ».

Quo loco docet S. Doctor, *sacerdotes primi ordinis etiam regere*; ita rem fore *in aeternum*; imo *a Christo ipso esse institutum* ut iidem summo gradu sacerdotii atque simul regimine publico sacro fungerentur. Agi de episcopis monarchicis e circumstantiis temporis patet.

Difficultates.

E doctrina Innocentii I.

Innocentius I ep. 29 n. 1 episcopis concilii Carthaginiensis rescribit, eos recte consuluisse apostolicam sedem, « scientes quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus *apostolum* [Petrum], debeatur, *a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis* huius [scilicet episcopatus] emersit ». Ergo Innocentius docet, ipsum episcopatum, i. e. munus episcopi a Petro originem suam habere, i. e. esse institutionis ecclesiasticae. — R. Cum *aliunde probatum sit, antiquitati christianae insedisse persuasionem de divina episcopatus origine, hunc textum interpretari oportet* aut de auctoritativa applicatione mandati Christi, aut de collatione potestatis iurisdictionis qua munus episcopatus geritur, aut alia quadam probabili ratione.

E duobus locis S. Hieronymi.

Non quaeritur, num S. Hieronymus agnoverit episcopos iure divino esse superiores presbyteris quoad potestatem ordinis, atque proinde quantum ad hanc potestatem institutionis divinae esse. « Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » Ep. 146 ad Evangelum, ML 22, 119. At difficultas movetur, eum negasse divinam institutionem *muneris regendi episcoporum*.

Prior locus invenitur in com. de ep. ad Titum in c. 1, 5 ML 26,

562-3. Apostolus, « qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus disserens, hoc ait: Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, et caetera, postea intulit: oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem. *Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.*

Putet aliquis non Scripturarum sed nostram esse sententiam episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii: relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus et Timotheus servi Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconis, gratia vobis et pax, et reliqua. Philippi una est urbs Macedoniae, et certe in una civitate *plures*, ut nuncupantur, *episcopi esse non poterant*. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant: propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus ». Remittit deinde ad Act. 20, 28; Hebr. 13, 17; 5, 1, 2. Concludit vero ita:

« Haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos: paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo *presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos:* ita *episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate, presbyteris esse maiores, et in commune debere* ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solum praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Videamus igitur qualis presbyter, sive episcopus ordinandus sit ».

Secundus locus invenitur in ep. 146 ad Evangelum, ML 22, 1192-5, brevi illa quidem atque obscura. Exordium epistolae ex abrupto est: « Legimus in Isaia: Fatuus fatua loquetur. Audio quendam in eam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cum apostolus perspicue doceat *eosdem esse Presbyteros quos Episcopos*, quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus sanguisque conficiatur? Quaeris auctoritatem? » Affert Phil. 1, 1; Act. 20, 28. « Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi et aliud testimonium, in quae manifestissime comprobatur, *eundem esse episcopum et presbyterum* ». Adducit Tit. 1, 5-7; 1 Tim. 4, 14; 1 Petr. 5, 1; premit, ipsum S. Ioannem se vocare « Presbyter » 2 Io. 1; 3 Io. 1.

Deinde ita pergit: « *Quod autem postea unus electus est, qui caeteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est:* ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et *Alexandriae* a Marco

Evangelista usque ad Heracleum et Dionysium Episcopos, *Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat,* aut Diaconi eligant de se, quem industriosum noverint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romanae Urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliae et Britanniae, et Africae et Persis, et Oriens et India, et omnes barbarae nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quaeritur, orbis maior est Urbe. Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est et Sacerdotii. Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Caeterum omnes Apostolorum successores sunt». Tandem S. Hieronymus refert, Romae quosdam honores tribui diaconis, qui alibi ne presbyteris quidem deferantur. At hoc non recte fieri. « Sciant quare Diaconi constituti sint. Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suae. *Presbyter et Episcopus, aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen.* Unde et ad Titum et ad Timotheum de ordinatione Episcopi et Diaconi dicitur (Tit. 1; 1, Tim. 3), de Presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo et Presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad maius provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus ut presbyter minor Diacono comprobetur in quem crescit ex parvo, aut si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio esse maiorem. Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron et filii eius atque Levitae in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicent in Ecclesia ».

Obiectio e textibus formatur. — His textibus primo aspectu complura ex iis negari videntur, quae de episcopis docemus. At praecipue doceri videtur — id quod ad hanc thesim spectat — *munus regendi episcopi quod monarchicum dicunt, deberi decreto auctoritatis sive apostolicae, sive posterioris, non vero mandato ipsius Christi* — Generatim auctores putant, S. Doctorem loqui de aliquo decreto, quod latum esse putet eo ipso tempore, quo Corinthi, uti apostolus Paulus scribit, schismata orta sint i. e. fere inter annos 55-9. Quidam putant tempus posterius non excludi.

Respondeo.

A. Si quis probaret, *S. Hieronymum non clare cognovisse divinam institutionem muneris regendi episcoporum,* certe *S. Doctor* in hac re, in qua caeteris testimoniis contradiceret, *relinquendus esset.*

B. At *distinguendus est sensus* doctrinae S. Doctoris. — *Distinctio prima* eaque simplicior: S. Hieronymus *eiusmodi decreto* vel consuetudini tunc exortae *ascripsit ipsam institutionem muneris regendi, quod*

episcopis monarchicis essentiale est, n.; illi decreto ascripsit, quod *unus modus gubernandi* ab episcopis usque ad id tempus generatim adhibitus, *scilicet gubernandi collegialiter cum presbyteris, mutaretur in alium modum gubernandi,* quo episcopus multo plura per se ipsum solum sine presbyteris perageret, *c.*

Distinctio secunda: S. Hieronymus ascripsit ei decreto vel consuetudini *ipsam institutionem muneris episcopi monarchici p. pr.*; ascripsit ei decreto *applicationem mandati Christi de episcopatu instituendo,* ita ut per illud decretum aut episcopatus iam in quibusdam ecclesiis existens universalis redderetur, aut episcopatus adhuc nullibi existens tunc primo in ecclesiam introduceretur, *c. primum, tr. secundum.*

Explico quae utraque distinctione continentur.

I. *Error Hieronymi quoad ipsam divinam institutionem muneris regendi episcoporum, nisi evidens ratio cogit, admittendus non est.*

Nam primo quod ad ipsam doctrinam attinet, eiusmodi error *ideis eius temporis oppositus* est, ergo praesumendum est, S. Hieronymum ab eo liberum fuisse.

Deinde, quod duos locos obiectos attinet, in *neutro lingua accurata iuridica expectari potest.* Utriusque enim loci finis practicus est. In priore, ut diximus, S. Doctor episcopum *inducere vult, ut nonnisi eximios viros ad gradum presbyteri assumat; in secundo reprimit fastum diaconorum,* quibus ob diversas rationes tunc temporis saepe ab episcopo plura agenda committebantur quam ipsis presbyteris. Iamvero ut hos fines obtineat S. Doctor inter alia *id agit, ut presbyterum quam maxime similem reddat episcopo.* Constabat enim, diaconos omnino plurimum ab episcopis distare; si ergo monstratum erat, presbyteros quam maxime similes esse episcopis, sane constabat, diaconos etiam a presbyteris plurimum distare. Patet vero, *in utroque loco, in quo praecipue activitas diaconorum et presbyterorum respicitur,* pro fine Sancti Doctoris *sufficere, si premat similitudinem in ipsis functionibus episcopi et presbyteri,* quin necesse fuerit, ad distinctionem illam attentos reddere, episcopos iure proprio atque ex munere divinitus sibi tradito gubernare, presbyteris vero nonnisi ex commissione episcopi id agere licere, quod vi potestatis ordinis agere possunt.

Tandem S. Hieronymus haud raro *exaggerationibus quibusdam rhetoricis* utitur, praecipue si, uti in epistula ad Evangelum, e vehementi impulsu scribit.

II. *Praeterea ob specialem rationem e S. Hieronymi scriptis haustam negandum est, S. Hieronymum ei decreto vel ei consuetudini de qua loquitur, institutionem ipsius muneris episcoporum monarchicorum attribuisse.* — Nam *S. Hieronymus eius persuasionis erat, iam multo ante tale decretum episcopatum monarchicum exstitisse. Etenim* de vir. ill. c. 2 ML 23, 609 docet, S. Iacobum « post passionem Domini *statim* ab Apostolis Hierosolymorum episcopum ordinatum » esse;

c. 1 col. 607 narrat, S. Petrum « *post episcopatum Antiochensis Ecclesiae* ». Romae *inde a secundo anno Claudii* « Cathedram Sacerdotalem tenuisse »; episcopatum *Antiochenum post Petrum alios* tenuisse, ib. c. 16 col. 633; porro idem S. Doctor in interpretatione Chronicae Euseb. ad *a.* 45 M. 27, 580 adnotat: « Primus Antiochenus episcopus (i. e. post Petrum) ordinatur Evodius ». Hi autem episcopi monarchici sane *ante aetatem illam schismatum in ecclesia Corinthiorum* munere suo functi sunt.

III. At etsi hanc responsionem e nescio qua ratione non admittendam putares, tamen certe *demonstrari non potest, iis ipsis locis qui adducuntur, Hieronymum negasse, munus regendi episcoporum esse institutionis divinae.* Hoc autem adversariis incumbit demonstrandum. — Damus eam explicationem utriusque loci quae usque nunc probabilior visa est.

1) Dicit quidem S. Hieronymus, *Alexandriae presbyteros semper unum ex suo gradu electum Episcopum nominare,* ad eum modum quo milites unum ex exercitu imperatorem, diaconi unum e gremio suo archidiaconum eligunt. — At cum hoc dicit, *non negat existere legem divinam, qua edicatur, unum debere statui episcopum.* An forte non existebat lex status quae iubebat imperatorem, lex ecclesiastica, quae iubebat archidiaconum eligi? — Cur tamen S. Hieronymus hoc factum Alexandrinum refert? Ad retundendam arrogantiam diaconorum, quae tunc temporis haud raro erumpebat. Nempe premit, Alexandriae primo solos presbyteros in electione episcopi partes habuisse, dum Romae, id quod mox narrat atque reprehendit, diaconi de presbytero ordinando testimonium ferrent; Alexandriae secundo non e numero diaconorum, uti tunc temporis toties fiebat, sed e numero solorum presbyterorum episcopum fuisse electum. Modum ergo electionis ad munus episcopale S. Doctor eo loco exponit; quo iure illud munus debeat existere, num divino an ecclesiastico, id hoc loco non dicit.

2) Affirmat quidem S. Doctor, inde ab initio episcopos et presbyteros « *communi consilio* » *ecclesias singulas sibi subditas gubernasse.*

a) At hoc cum dicit, *non affirmat, eos omnes et singulos eadem auctoritate instructos fuisse,* quin inter eos unus fuerit, qui caeteros sibi subditos tenebat. Etenim terminus a S. Doctore adhibitus potest significare *exercitium commune auctoritatis a collegio quodam possessae, in quo tamen unus verum caput collegii esse potest.*

Tali ratione etiam *hodie* « communi consilio » vel « collegialiter » reguntur eae *dioeceses, in quibus capitula cathedralia* rite instituta inveniuntur.

Accedit quod S. Doctor pro gubernio quod « communi consilio » geritur, provocat ad eiusmodi exemplum, quod supponit, in capite maiorem auctoritatem eamque divinitus datam inhaesisse, quam in caeteris cum quibus communi consilio regebat. Quod *exemplum* S. Hieronymus *in Mose* invenit, qui 70 seniores in partem regiminis sibi soli a Deo dati assumpsit.

Praeterea haec explicatio apprime *contextui* adaptata est, quippe in quo secundum ea quae diximus praecipue *aequalitas vel potius maxima similitudo inter functiones* episcopi et presbyteri premitur.

b) Attamen *mea pace suppone* — quamvis ut videtur immerito — S. Doctorem locis citatis docuisse, eos de quibus loquitur *omnes et singulos eandem omninò atque aequalem auctoritatem habuisse,* quin unus ex iis regentibus caeterorum caput fuerit. *Neque in ea suppositione S. Doctor quidquam doceret, quo institutio divina episcopatus negaretur.* Etenim in ea suppositione verba quae citavimus apte explicarentur de *modo temporario* (interemistico), *quo illae ecclesiae* de quibus sermo est, primis initiis ecclesiae, i. e. *initio ipsius aevi apostolici rectae fuerint,* cui regiminis statui illud decretum illave consuetudo, de qua in contextu sermo fit, paulatim finem imposuerit.

Haec ipsa vero suppositio iterum duplex esse potest. Aut quis supponit, ecclesias tali regimine praeditas *exstitisse simul tempore cum aliis ecclesiis* etsi forte multo paucioribus, *quae per episcopos monarchicos regebantur;* aut quis supponit, secundum S. Hieronymum tempore schismatum Corinthiacorum, imo forte etiam per aliquod tempus postea, *solas ecclesias modo illo extraordinario rectas in mundo exstitisse.* In neutra suppositione S. Hieronymus quidquam doceret, quod divinae institutioni episcopatus adversaretur. (Addo tamen, illud factum quod in secunda suppositione assumitur et ipsi historiae et menti S. Hieronymi adversari. Consideranda tamen videtur etiam haec suppositio, quia sunt auctores quidam catholici qui Hieronymo hunc errorem historicum ascribant.)

Non in prima suppositione, id quod facile patet.

Non in secunda suppositione (quae utique uti diximus, certe a mente Hieronymi aliena est). Nam *per se non repugnaret quominus* — id quod tamen factum non esse scimus — *initio aevi apostolici quidam anni elapsi fuerint, priusquam apostoli primum episcopum instituerent.*

Etenim primo tempus huic muneri instituendo aptum, uti iam diximus, a Christo prudenti iudicio apostolorum relinqui poterat. An forte putas, iis annis in quibus episcopatus non extitisset, ecclesiae suam incommutabilem constitutionem defuisse? At in ea suppositione *iis annis eodem iure affirmandum est, constitutionem incommutabilem ecclesiae* adfuisse, quo iure affirmamus, ecclesiam suam constitutionem non amisisse iis diebus vel annis, in quibus, *mortuo papa, habetur sedis vacantia.* Nempe adfuisset munus regendi episcoporum in destinatione divina, idque vi mandati Christi proxime in actum deducendum; adfuisset in auxilio efficaci, ob indefectibilitatem ecclesiae ei concesso, quo Deus curaret ut hoc suum mandatum de ecclesiae constitutione tempore debito executioni daretur.

Secundo, *num forte apostoli subito die Pentecostes diaconos instituerunt?* Nonne id fecerunt occasione invidiae postea inter pauperes Hierosolymitanos exortae?

Tandem *contextus S. Doctoris nihil* habet quo — si haec suppo-

tio aliunde cum historia et mente Hieronymi componi posset — hanc consuetudinem vel hoc decretum, *habere deberemus pro tali, quo munus iuris ecclesiastici* in orbem introductum sit, non vero pro decreto, quo iussio Christi de munere a se instituto effectui mandaretur.

3) Affirmat S. Hieronymus: « *episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate presbyteris esse maiores* ». — Ut sensum huius phraseos recte intelligamus, primo inquiremus, *num et qua ratione munus regendi episcoporum, prouti in concreto exsistit, dici possit sive aliqua sive etiam maiore ex parte e lege ecclesiastica descendere;* secundo, videbimus, *quem sensum S. Doctor his verbis intenderit.* Quibus praestitis difficultas soluta videbitur.

a) Sane munus regendi episcoporum ex institutione divina est, in quantum in genere vel simpliciter in ecclesia debent esse, qui singuli singulas partes regant, abstrahendo a quibusdam determinationibus temporum, locorum, modi gubernandi. At ex iure ecclesiastico est, quod episcopatus ab apostolis *hoc vel illo tempore in ecclesiam primo introductus est*, non vero paullo post vel ante; quod, postquam primo in ecclesiam introductus erat, *in tot vel tot alias regiones potius hoc vel illo tempore,* non vero paullo post vel ante, extensus est; quod tandem *episcopi* — salvis iuribus essentialibus muneri suo inhaerentibus — *auctoritatem suam potius hoc quam illo modo exercent.* Atque quod ad hunc modum gubernandi attinet, ius divinum uti ad multa alia ita in specie ad hoc indifferens est, ut episcopi *potius collegialiter regant,* certa iuri gubernii dioecesani etiam universalis presbyteris attribuendo, *an ita ut fere omnia ad se trahant* atque sacerdotibus tantum ad nutum pro certis ministeriis utantur. Si quis ergo episcopatum considerat *prouti in concreto exsistit, eatenus non solum iura essentialia ei insunt, verum etiam multae determinationes* accidentales, quae ad tempus, extensionem, modum gubernandi dioeceses pertinent; eatenus ergo in episcopatu non solum ea inveniuntur, quae e iure divino descendunt, verum etiam multa quae *e iure ecclesiastico* derivantur. Proinde merito dici potest, episcopos, si ita considerantur, iure et divino et humano presbyteris antecellere. Si quis porro in episcopatu *speciatim ea considerat, quae in eo mutabilia sunt* atque e iure ecclesiastico descendunt, sine errore etiam id asserit, episcopos *potius e iure ecclesiastico quam divino* presbyteris maiores esse.

b) Atque ut ad sensum Hieronymi discutiendum accedamus, vidimus S. Doctorem in loco ex com. in ep. ad Tit. totum in eo esse, ut opponat modum actualem gubernandi dioeceses ei modo, quo communitates initio aevi apostolici secundum sententiam Hieronymi gubernabantur. Hunc modum ita describit ut dicat, episcopum esse eum, « *ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret* » ML 26, 562, ad quem « *unum omnis sollicitudo* » delata sit, ib. 563. *Opponit vero hunc modum gubernio* exercito « *in commune* », « *communi cum consilio* » presbyterorum, in quantum hi diaconis opponuntur. Porro nihil est in textu Hieronymi, quo certo demonstratur, eum negasse, etiam illo primo

tempore, scilicet ante mutationem quam factam esse putat, *episcopum monarchicum eumque iure divino gubernasse, at modo collegiali cum presbyteris.* Sequitur verba S. Doctoris secundum contextum ita explicari posse, ut id tantum dixerit, episcopos eatenus potius consuetudine esse superiores presbyteris, quatenus solus modus gubernandi consideratur, omnia intelligendo secundum ea quae mox exposuimus. In qua sententia sane nullus error est.

Nota. — Aliud argumentum pro hac propositione peti potest e prop. 9 et 12 mox probanda inter se collatis.

Propositio 12. — Episcopi apostolis in munere regendi succedunt. — *E p. 90-100.*

Expl. term. — Sermo est de *sola successione in munere regendi,* non vero in potestate sanctificandi per ritus sacros.

Pars I. — Episcopi apostolis in munere regendi vere succedunt.

Arg. I. — *E testimonio traditionis antiquissimae.* — *Irenaeus,* Adv. haer. l. 3 c. 3 n. 1 M. G. 7, 848 A docet: « Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles (apostoli) in omnibus eos volebant esse, quos et *successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes* ».

Tertullianus, De praescript. c. 32 ML. 2, 44: « Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut *primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris,* qui tamen cum Apostolis perseveravit, *habuerit auctorem et antecessorem* ».

S. Cyprianus de episcopis loquens ep. 66 ad Florent. n. 4 ed. Hartel p. 729 Florentio martyri obedientiam detrectanti haec scribit: « Te iudicem Dei constituis et Christi, qui dicit ad apo-

stolos ac per hoc ad omnes praepositos, qui apostolis *vicaria ordinatione succedunt...* ».

Cornelio vero papae idem sanctus martyr ep. 45 n. 3 ib. p. 602 scribit: « Hoc enim vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino per apostolos *nobis successoribus* traditam quantum possumus obtinere curemus ».

Eusebius, Hist. eccl. l. 1 c. 1 MG. 20, 48 ipsi rerum tractationi praemittit, quid in genere opere suo narrandum suscipiat: « Τὰς τῶν ἱερῶν ἀποστόλων διαδοχάς, σὺν καὶ τοῖς ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ εἰς ἡμᾶς διηνυσμένοις χρόνοις,... καὶ ὅσοι ταύτης [τῆς ἐκκλησίας] διαπρεπῶς ἐν ταῖς μάλιστα ἐπισημοτάταις παροικίαις ἡγήσαντό τε καὶ προέστησαν,... γραφῇ παραδοῦναι προῃρημένος ». — Ib. col. 52 A: « ... ἀγαπῶντες, εἰ καὶ μὴ ἁπάντων, τῶν γοῦν μάλιστα διαφανεστάτων τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀποστόλων τὰς διαδοχὰς κατὰ τὰς διαπρεπούσας καὶ ἔτι καὶ νῦν μνημονευομένας Ἐκκλησίας ἀνασωσαίμεθα ». — Quid sit Διάδοχος capite 2 col. 57 tradit, cum Iesus (filius Nave) vocatur « Μωϋσέως διάδοχος ». Cf. etiam c. 3 col. 69 B. Notum est, paroecias significare id quod nos dioeceses vocamus. — Ergo toto opere suo historicus ille quasi dynastiam apostolicam nobis exhibere intendit.

S. Hieronymus ep. 41 ad Marcellam n. 3 ML. 22, 476 ed. Hilberg Corp. Vind. 1910 vol. 54 p. 313: « Apud nos *Apostolorum locum episcopi tenent...* ». — Epist. 146 ad Evangelum n. 1 ib. col. 1196: « Caeterum omnes (episcopi) *apostolorum successores* sunt ».

S. Pacianus episcopus ep. 2 ad Sympronianum n. 6 ML. 13, 1057: « Totum ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas maiorum et longe charismatum ad Episcopos inde descendit; et ligandi quoque ius adfuit atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen illud, ut sanctis (scil. consecratis) et *Apostolorum cathedram tenentibus,* non negabit ».

S. Augustinus, Enarr. in Psalm. 44 vers. 17 n. 32 ML. 36, 313: « Patres missi sunt Apostoli. *Pro Apostolis* filii nati sunt tibi, constituti sunt *episcopi* ».

Arg. II. — *Ex continuatione muneris regendi.* — 1) Loco sui apostolus Paulus et Petrus relinquunt alios ad regimen exer-

cendum. — *Paulus*, 2 Tim. 4, 5-6, Timotheo scribit; « Tu vero in omnibus labora, [quae in epistolis et alias tibi incumbere significavi], opus fac evangelistae [i. e. praedicatoris veritatis], ministerium tuum, [quo ecclesiam Ephesinam administras, cf. Belser ad l. p. 208] imple: ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat ». — Idem inculcat 1 Tim. 6, 13, 14: « Praecipio tibi... ut serves mandatum [i. e. doctrinam salutis ab hominibus credendam] sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Iesu Christi ». Act. 20, 28 sq. S. Paulus exhortatur eos, qui etiam « post discessionem suam » « regent ecclesiam Dei », ad hoc a Spiritu Sancto positi, ut attendant sibi et universo gregi.

S. Petrus ut « consenior » monet « seniores » 1 Petr. 5, 2-4, hortans eos: « Pascite qui in vobis est gregem Dei », Supponit eos hoc facturos esse non tantum eo tempore quo ipse vivebat. Cf. v. 4. — Cum se « conseniorem » dicit, muneris similitudinem exprimit.

Ob. — Disputant num Titus episcopus ordinarius fuerit, an potius legatus a latere; num Timotheus eo tempore verus episcopus Ephesinus fuerit, an potius loco apostoli aliquo tempore ecclesiam administraverit; qui omnino sint ii, quos Act. 20, 28 Paulus, in epistola sua Petrus admonuerit. Ergo loci ad Tit. Tim., Act. 20, 28 inservire nequeunt, ut argumentum pro *episcoporum* munere exhibeant. — R. N. Etenim e traditione habemus, ea munera, quae illi ad quos apostoli loquebantur gerebant, idque sive ordinario, sive ut quibusdam videtur, magis extraordinario modo, eos solos qui episcopi deinde vocabantur postea modo ordinario gessisse. Probavimus porro, ipsos apostolos tales episcopos ordinarios instituisse. Unde iure concludimus: *quaecumque de muneribus regendi dicebant apostoli, ad tales episcopos ordinarios primo et per se spectare volebant, ad alios nonnisi ob quandam sive participationem sive forte extraordinariam quasi potestatem,* quae tamen id, quod ad episcopalem potestatem pertinet, quasi eminenter in se continebat.

Arg. III. — *E verbis Christi simul cum traditione.* — 1. Christus, uti vidimus, apostolis munus regendi sub Petro promisit atque contulit. — 2) Hoc munus ad episcopos transiit. Etenim *a*) *hoc munus regendi aeternum est.* Iamvero apostoli qua personae singulares mortui sunt. Ergo semper habebant *quosdam successores.* At rursus *non sunt, qui talem successionem habere dici possunt, nisi soli episcopi.* Etenim inde a primis temporibus

episcopi, non inferiores, regebant etiam in foro externo in ecclesia. Porro *textus illi Patrum,* quos audivimus, *successionem* in locum apostolorum *concedunt episcopis*, in quantum a presbyteris distinguuntur. Ergo certe primo apostolorum successores non erant ii, qui episcopis subdebantur. Secundo neque ut successores apostolorum considerabantur metropolitae, archiepiscopi, vel quocumque tandem nomine ii vocabantur, quibus inde a primis fere temporibus quaedam eminentia in ordine hierarchico ipsorum episcoporum concessa erat, solum eatenus quatenus haec eminentia in iis erat. Nunquam enim — ut ab aliis, praecipue ab ecclesiastica institutione talium munerum abstrahamus — traditio in ratione successionis apostolicae ullam distinctionem admisit inter eiusmodi episcopos atque caeteros episcopos. Ergo certe episcopi qua tales in munere regendi erant successores apostolorum. *b*) Videmus in episcopis *functiones regendi eiusdem generis esse atque erant in apostolis.* Apostoli docent auctoritative, praecepta disciplinaria dant, iudicant presbyteros atque puniunt; eadem agunt episcopi. Quae singula alio loco evolvuntur, cum de singulis partibus potestatis ecclesiasticae sermo erit.

Pars II. — Episcopi non succedunt in extraordinarias potestates apostolorum neque in charismata cum iis connexa.

Expl. term. — Vidimus in prop 10 Rep. p. 265-8 quale sit munus episcoporum divinitas institutum. Vidimus mox, scilicet prima parte huius propositionis, episcopos esse successores apostolorum. Nihilominus historia aevi apostolici docemur, apostolos multo plures facultates atque functiones exercuisse, atque eae sunt, quae ad episcopos pertinent. Concludimus recte, episcopus in his non esse successores apostolorum.

Quae *potestates apostolorum, in quibus episcopi iis non succedunt, vocantur extraordinariae.* Cuius nominis ratio haec est: Id quod ad *ordinem permanentem alicuius societatis pertinet,* ad eum per se pertinet, atque proinde *recte vocatur ordinarium; quod ad eum ordinem in aeternum permanentem non pertinet, extraordinarium* dicitur. Iamvero apostoli multas facultates exercebant atque charismata habebant, quae statui permanenti ec-

clesiae non necessariae erant, sed tantum statui extraordinario, seu statui incipientis ecclesiae. Quae omnes in eum finem conspirabant, ut apostoli revelationem complerent, evangelium primi in orbe propagarent, primi constitutionem ecclesiae executioni mandarent.

Unde *non gratuito vel quasi a priori potestates apostolorum ordinarias ab extraordinariis distinguimus, sed* optimis ex rationibus iisque haustis *ex comparatione muneris episcoporum a nobis probati cum functionibus apostolorum, in quantum eas nobis historia aevi apostolorum exhibet.*

Quae sint hae potestates extraordinariae atque charismata apostolorum, hic non probamus, sed alibi probanda sumimus. Tantum ad eum finem principaliora ex iis brevi conspectui subicimus, ut relatio episcopatus ad apostolorum munia capiatur.

I. **Quoad potestatem extraordinariam docendi apostolorum.**

1) *Id quod ab apostolis praedicandum erat,* non circumscribebatur veritatibus a Christo revelatis, sed *post Christi ascensionem nova quaedam iis revelabantur, quae ecclesiae proponenda erant.* Id quod probatur cum de completione revelationis christianae agitur. — At *tantum tempore apostolico veritates* novae vel iam revelatae iterum revelabantur. Id quod demonstratur, quando de revelatione ut per mortem apostolorum clausa sermo est. Unde neque Romanus pontifex neque episcopi novas revelationes ecclesiae nuntiare possunt, sed tantum possunt eas, quae iam revelatae sunt, conservare, proponere, explicare, ea quae cum iis connexa sunt docere, idque eo gradu, qui diverso Pontificis atque episcoporum magisterio convenit.

2) Apostoli potestatem habebant *ut singuli in toto orbe evangelium nuntiarent sive infidelibus sive fidelibus.* At *episcoporum ius docendi fideles concluditur inter eosdem fines diversos,* inter quos concluditur ius alia agendi, quae ad regimen spectant. Hoc ex eo eruitur, quod per se numquam episcopo permissum erat in aliena dioecesi praedicare, aliave peragere, quae ad verbum Dei annuntiandum spectant, sicut ei non erat concessum alios actus ad regimen spectantes in aliena dioecesi ponere.

3) Apostoli *qua singuli dono infallibilitatis praediti erant*

in annuntiandis veritatibus revelatis atque connexis. — *Episcopi vero singuli fallibiles* sunt. Utrumque postea videbimus.

4) Aliquod donum temporis apostolici, non singulis quidem apostolis sed tantum quibusdam ex iis, et etiam quibusdam sociis eorum a Deo concessum, erat *donum inspirationis in scribendo.* — Quod *donum cum tempore apostolico exspiravit.* — Utraque assertio probatur in tractatu de inspiratione.

5) Apostoli, uti testatur historia eorum apostolorum quos praedicantes videmus atque ob paritatem de caeteris assumendum est, *singuli insigniti erant potestate patrandi miracula, quibus fidem a se praedicatam firmarent.* — *Ad episcopos qua tales hoc donum non est transmissum,* neque si ut collecti respiciuntur neque si ut singuli.

II. Quoad ea, quae regimen spectant, in quantum a doctrina imponenda diversum est.

a) Apostoli habebant potestatem α) *ut in toto orbe ecclesias fundarent* easque eo modo quo conveniens videbatur sive ipsi *regerent*, sive *superiores eorum*, etiam episcopos, *nominarent*, eosque β) in administrandis muneribus regerent.

Argumenta pro hac assertione non desumimus e Mt. 18, 18 vel 28, 20. Nam illis in locis, saltem si in se solis considerantur, sermo est de potestate sola ordinaria, quae collegio qua tali data est. Cf. v. g. Wilmers n. 109 p. 192. — Potius sumimus argumenta e *factis et verbis apostolorum, quae in Act. et epistolis continentur.*

Etenim apostoli de facto in loca ubi evangelium disseminaverant, mittunt eos, qui res omnes ecclesiasticas ordinarent, presbyteros constituerent, iudicarent, ordinarent, totam ecclesiam regerent (cf. epistulae pastorales S. Pauli). Iis porro mandata de munere administrando dant. Ergo in omnibus istis locis haec facere poterant. Porro traditio ut vidimus probat, apostolos ubi praedicaverant episcopos diversos instituisse, atque potestatem suam illis detulisse. Ergo si extensionem respicis, apostoli amplissimam potestatem habebant. — Accedit *theologorum doctrina* quae vix exceptionem habet.

b) *Episcopi autem semper eam solam potestatem habebant,*

quae primo ad suam propriam dioecesim restricta erat, id quod vidimus prop 10 Rep. p. 267; secundo *in propria dioecesi minora poterant*, quam ea sunt, in quae apostoli potestatem habebant.

Potestatem episcoporum *magis restrictam fuisse quam apostolorum* potestatem *quoad ambitum iurium in quibus imperabant*, inter multa haec probant: Apostolus Paulus Tit. 1, 5 scribit: « Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et instituas per civitates presbyteros sicut et ego disposui tibi (διετεξάμην i. e. vi auctoritatis praescripsi, cf. Cornel. a Lapide ad 1.; Belser ad 1. o. c. p. 238). Iamvero unus episcopus alii episcopo talia praescribere nequit. Accedit quod inde a primis saeculis episcoporum potestas haud paucis in rebus *subdita erat potestati metropolitarum* vel aliorum qui sub papa in episcopos potestatem exercebant. Tandem talia iura, uti episcopatus instituere, semper talia habita sunt, ut singuli episcopi vi iurisdictionis episcopalis ea nullo modo exercere possent.

Ob. — Primis saeculis habebantur *episcopi* qui sive *per diversas dioeceses* peregrinabant atque munia sacra, saltem praedicationis *inter Christianos* exercebant, sive *ad exteras gentes* proficiscebantur, ut iis evangelium praedicarent. Ergo potestas episcoporum non erat ad unam dioecesim restricta. — R. Dist. antec.: Id faciebant ex ordinaria potestate episcopali, n.; *vi delegationis episcoporum, in quorum regionibus praedicabant, sive auctoritate Petri* eiusque successorum *vel alicuius apostoli*, si de aevo apostolico agitur, c. — Ita explicanda est res, quia probavimus, episcopos qua tales singulos nonnisi singulas partes e iure divino regere debere.

Pars. III. — De ulteriore explicatione successionis singulorum episcoporum in munus apostolorum.

Supponitur, id quod alibi probatur, episcopos omnino pares esse apostolis in potestate ordinis seu sanctificandi ex opere operato. Unde in ea potestate apostolis cum perfecta aequalitate succedunt. Restringitur ergo quaestio ad potestatem iurisdictionis. In hac vero abstrahimus ab omnibus charismatibus apostolorum, v. g. quod cum infallibilitate singuli docebant, item ab omni quasi intensitate iurisdictionis, prouti in ipsis solis erat, v. g. quod alios episcopos instituere poterant. Vidimus enim in talibus episcopos non succedere apostolis. Remanet ergo id solum

considerandum, quod *et apostoli et episcopi fideles suos ex munere iurisdictionali divinitus instituto* — eoque, ut videbimus unico praeter primatum divinitus instituto — *sub Petro eiusque successoribus regebant. Hoc enim episcoporum qua talium proprium est.* Quaeritur ergo, qua ratione si res ita considerantur, singuli episcopi apostolis succedant.

Qua in re *duae classes sententiarum videntur praecipue considerandae.*

Prior classis insistit in eo, quod singuli apostoli *a Christo iurisdictionem in totum orbem* sub Petro capite *acceperint,* quod vero — ut minimum dicatur — *nequaquam certum sit, singulos apostolos* ex voluntate Christi *singulas civitates* seu regiones, in quibus sat multos converterant, *assumpsisse, ut eas qua propri earum episcopi regerent.* Unde successionem episcoporum in munus regendi apostolorum non posse aliter concipi, quam ut episcopi sequantur quidem apostolos in quantum erant episcopi, qui tamen *soli fuerint episcopi quasi universales.* Ergo episcopos *succedere quidem apostolis, in quantum erant episcopi, at non cum omnimoda aequalitate.*

Altera classis insistit in eo, quod ubi est successio, ibi sit omnimoda aequalitas in munere in quod succeditur. Unde *debere assumi, omnes et singulos apostolos singulas quasdam dioeceses sibi assumpsisse,* idque e iure divino, i. e. e voluntate Christi. Hoc si assumatur, omnino idem esse munus apostoli, scilicet in quantum episcopus erat, et episcoporum, qui apostolis succedunt.

Quae altera classis *iterum in duas partes dispescitur.* Una tenet, singulos apostolos *duplicem personam gessisse, et principis totius orbis, utique sub Petro, et episcopi singularum quarundam civitatum.* Succedere episcopos *in hac, idque secundum omnimodam aequalitatem,* non vero in illa. Alia pars affirmat, apostolos e iure divino *solas tales singulas dioeceses regendas suscepisse.* Succedere ergo episcopos apostolis qua episcopis *secundum omnimodam aequalitatem.*

Scholion. — De theoriis recentioribus quoad originem postapostolicam eamque naturalem episcopatus. — *p. 62-75.*

Evolutio harum theoriarum.

Opinio plurimorum veterum Protestantium fuerat, causam episcopatus sitam fuisse in **ambitione aliisve inordinatis passionibus Christianorum**. Quae inde a Mosheim universalius reiecta est. Post quem haec est earum theoriarum evolutio:

Pragmatici eiusmodi **causas** admittunt, **quibus etiam civiles societates formantur.** — Post eos ii qui indagationem historico-speculativam excolebant, originem episcopatus **ex ideis religiosis naturalibus** repetebant, v. g. ex unitate Dei et Christi, ex oppositione inter Ethnico-Christianos et Iudaeo-Christianos. — Hos excipiebant ii qui in **institutionibus ethnicis vel iudaicis,** quae episcopatui similes fuerint, eius causam inveniebant. — Tandem methodus mystico-speculativa episcopatus institutionem **e donis pneumaticis** ecclesiae primitivae deducit. — Postremo sunt, qui **ex talibus causis,** si una non sufficit, **diversas eligunt**.

Exempla theoriarum quarundam singularum.

Episcopale munus formavit administratio pecuniae, accedente influxu institutionum ethnicarum (Hatch 1881); influxus sive synagogae recentioris (Grotius; Sabatier 1885), sive Essenorum (Hilgenfeld 1870-1900); ideae quaedam religiosae Christianismi primitivi (F. Ch. Baur 1845); potestas pneumatica (Loofs 1893); causae diversae inter se iunctae (Harnack). — Eas theorias descriptas et refutatas v. *p. 69-75.*

Quidam defectus methodologici diversis theoriis communes recensentur.

Defectus generalis et gravissimus omnium theoriarum hic est:

Vera causa originis episcopatus, quae historice probatur, scilicet institutio episcoporum per apostolos secundum voluntatem Christi, *spernitur.* Unde in suis studiis nonnisi ad falsas causas detegendas pervenire possunt.

Defectus quidam singuli eorumve classes. *Defectus quidam generaliores.* — *Arbitrarie* praecipue ex ideis aprioristicis v. g. de impossibilitate auctoritatis religiosae a Christo institutae *statuunt,*

tantum partem fontium genuinam esse. Cum hac parte episcopatum pugnare. Unde ubicunque is invenitur, fontes fide dignos non esse pronuntiant. Iamvero epistolas magnas S. Pauli de episcopatu *silere. Ergo eum eo tempore non adfuisse. — Supponunt, formulas minus determinatas,* quibus aliquod munus significatur, semper argumento esse, illud munus in se nondum fuisse determinatum; *non considerant eas inde oriri posse, quod res iam nota esse supponitur. — E similitudine in nominibus munerum* v. g. societatis cuiusdam ethnicae et ecclesiae (v. g. ἐπιμελητής) ad ortum muneris ecclesiastici ex ethnico concludunt.

Amisisse videntur omnem sensum ad recte iudicandam eam agendi rationem quam homines, ergo etiam Christiani primi aevi, sequi solent. V. g. faciunt eos agnorum instar *patientissime ferre, quod iura religiosa,* quae essentialia pro religione christiana habere debebant, sibi *auferrentur.* — Si admonitionem gravem, in documento priore non lectam, in documento quodam inveniunt (v. g. Clem. Rom. in ep. ad Corinth.), concludunt, tunc auctoritatem admonentis *primo ortam atque inductam* esse. — E necessitate, ut homines *alicui* regimini subsint, deducunt originem *formae regendi determinatissimae.*

Suppositiones falsissimas in re religiosa instar principiorum certissimorum admittunt. — V. g. sicut generatim omnem revelationem, ita in specie revelationem constitutionis iuridico-religiosae impossibilem habent. — Multi liberales Protestantes *apostolis generatim easdem ideas falsas de rebus religiosis ascribunt, quas* ipsi *habent.* — Quidam in episcopatu ecclesiae explicando omnem ideam religiosam excludunt. Quidam concludunt: docebant pneumatici, ergo non exsistebant episcopi, qui vi muneris ordinarii docerent. Etc.

Sectio IV. Solus primatus et episcopatus sunt munera ordinaria regendi divinitus instituta.

Propositio 12. — Praeter primatum et episcopatum nullum aliud munus regendi ordinarium divinitus in Ecclesia institutum est. — *Cf. Lith. p. 227-35.*

***Expl. term.* —** Excludimus ab institutione divina tum *omne munus regendi* quod *munus simplicis episcopi superet,* ut

sunt munera Cardinalis, patriarchae, primatus, metropolitae; *tum* munus illud cum potestate *quasi-episcopali,* quale habent superiores quorundam coetuum virorum religiosorum; tum munus omne *sub episcopo,* quo clerici episcopum in cura animarum suae dioecesis iuvant, ubi praecipue munus parochi considerandum est.

S. R. E. Cardinales e C I C c. 230 « Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt ». Magis enucleata tradit Wernz[2] II n. 622 p. 360-1: Cardinales « ex disciplina nunc vigente sunt post Romanum Pontificem supremae dignitates ecclesiasticae, constituentes Collegium clericorum ad eum finem institutum, ut Sede Romana plena ex officio in regimine universalis ecclesiae Romanum Pontificem ad instar senatus principaliter adiuvent, et sede vacante, quatenus a iure permissum est, suppleant novumque Romanum Pontificem eligant ». Ii omnes e Collegio Cardinalium, qui nunc in membra quarundam e Congregationibus Romanis assumuntur, quadam potestate regendi fruuntur, quae quoad materias quidem restricta est, quoad extensionem vero totum orbem complectitur.

Patriarchae titulus, quamvis recentiore tempore nullam « specialem iurisdictionem » e iure communi habeat, sed meram praerogativam honoris et ius cuiusdam praecedentiae, uti C I C c. 271 dicitur, olim tamen si sensu stricto adhibebatur, denotabat « Praesules Ecclesiae, qui ex officio et vi sedis episcopalis (suae) habent superiorem quandam iurisdictionem in omnes Episcopos et Metropolitas sive Exarchas vel Catholicos alicuius regionis ». Wernz ib. n. 712 p. 477.

Primas sensu stricto olim dicebatur « Praesul ecclesiasticus, cuius sedi episcopali vi muneris in perpetuum adnexum est ius quoddam super omnes metropolitanos et episcopos alicuius regionis, ita tamen, ut ipse Patriarchae subiiciatur, vel si forte Romano Pontifici immediate sit subiectus, nomen patriarchae non obtineat » ib.

Metropolita, qui ex saeculo 7° etiam **archiepiscopus** vocabatur, est « antistes, qui ex officio ut plurimum sedi suae adnexo praeest unius provinciae ecclesiasticae (eparchiae) Episcopis (parochiarum) alios episcopos sub se non habentibus ». Hi vero inde a saeculo 8°

vocari solent Suffraganei. Ib. n. 712, p. 478. Quae sint eorum iura et obligationes secundum hodiernam disciplinam v. C I C c. 273-80.

Superiores quorundam coetuum virorum religiosorum consideramus eos solos, qui habent potestatem iurisdictionis in foro etiam externo in suos subditos, porro eos consideramus tantum eatenus, quatenus hanc potestatem habent, non vero quatenus potestates dominativa in suos fruuntur.

« **Parochus** est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda » C I C c. 451 § 1. Describitur magis a Wernz ib. n. 821 p. 666 : « presbyter legitime deputatus, cui vi officii sive muneris stabilis iure proprio competit obligatio et potestas exercendi universam curam animarum certi numeri fidelium regulariter intra ultimam et determinatam divisionem sive partem territorii alicuius dioecesis degentium, qui vicissim ab eodem presbytero sacra recipere aliquatenus tenentur ».

Arg. — Qui est hodiernus scientiae theologicae status, in demonstranda thesi vix insistendum esse videtur. Etenim primo *commune his omnibus muneribus* est, neque in Scriptura neque in Traditione fundamentum solidum pro eorum institutione divina inveniri. Accedunt pro quibusdam ex iis muneribus *quaedam particularia,* quae institutioni divinae repugnant. Etenim iurisdictio olim *patriarcharum* atque *primatuum* propria, non iam exsistit. Cf. locos cit. e C I C. Praeterea tum *Cardinalium* tum *parochorum* munus nonnisi post saecula in Ecclesia ortum est, quamvis id introduci prius potuerit. Iamvero neque cum fidelitate, qua Ecclesia mandata Christi exsecutam esse historice demonstrari potest, neque cum indefectibilitate Ecclesiae postea probanda componi potest, quod munus ad constitutionem divinam suam pertinens aut per saecula sine ratione sufficienti instituenda distulerit aut semel instituta non perpetuo conservaverit. *Superioribus vero quorundam religiosorum* munus illud regendi, in foro externo quod habent, non esse institutionis divinae, iam ex eo patet, quod, in quantum omnino religiosorum Superiores sunt, e natura rei atque ita e iure divino nonnisi potestas dominativa, non vero iurisdictionalis, iis convenit. Id quod in Superioribus monialium videtur, quippe

quae sint verae superiores suarum, attamen solam habeant potestatem dominativam, quippe quae uti mulieres iurisdictionali frui non possint.

Principia ad solvendas difficultates.

Negata divina institutione munerum quae diximus, concedimus hoc:

1) *In conscientia obligatus* est tum Romanus Pontifex ut in regenda Ecclesia universali, tum unusquisque episcopus ut in cura animarum suae dioecesis, cuius ipse solus est proprius pastor, ea consilia exquirat eosque adiutores adhibeat, *quae sibi videbuntur necessaria.* Quales adiutores episcopi erant v. g. sacerdotes ad nutum servientes, sic dicti chorepiscopi (episcopi rurales a χῶρα nomen derivantes), etc.

2) Rationi consonum est, ut Romanus Pontifex aliquam *partem suae vigilantiae suaeque directionis auctoritativae in moderandis episcopis atque episcopatibus instituendis aliis communicet.* Unde id ab antiquissimis temporibus, continuo in usu videmus, disciplina tamen in hac re variante.

3) Deus Num. 11, 16-7 iussit ut Moses consiliarios et adiutores in regendo populo sibi adscisceret. Iesus Christus non solum 12 apostolis misit ut ipso vivente in Palaestina Iudaeis praedicarent, verum etiam Lc. 10 discipulos 72. Quo agendi modo *Deus et Christus normam consecrarunt,* ut ecclesiae rectores pro circumstantiis sibi crearent qui onus suum sublevarent. At sane parochorum antecessores illi 72 discipuli non erant. Discipuli illi temporariam missionem habebant in sola Iudaea et eo solo tempore ~~atque episcopalibus instituendis solo~~. Ad praedicandum Iudaeis mittebantur, non ad curam animarum sibi subditarum, cum dispensatione sacramentorum N L, quae saltem ex parte nondum erant instituta. Ordinem sacrum non habebant, dum parochi sacerdotes sint necesse est.

4) Si vis, etiam putare potes, Iesum eo quod Petrum et Iacobum et Ioannem prae caeteris apostolis elegit, ut transfigurationi suae assisterent, sibi in horto agonizanti propinquiores essent, similibus aliis honoribus distinguerentur, etiam iura mere honorifica in Ecclesia quasi praeformasse.

Sectio IV. — De ulteriore determinatione primatus Romani Pontificis.

Primo quaerimus de *amplitudine* potestatis regendi, quam Petrus eiusque successores acceperunt. *Secundo* inquirimus, num

immediate ipse Deus, an *immediate Romanus Pontifex* eam *iurisdictionem conferat,* quam ii omnes habent, qui sub Romano Pontifice et cum eo in Ecclesia iurisdictione fruuntur.

Caput I. — De amplitudine primatus Romani Pontificis.

Propositio 13. — Potestas regendi ecclesiam Petro eiusque successoribus tradita est plena. — *Cf. fasc. 4 p. 1-12.*

Non dedit tantam quantam potuit

[***Qual.*** — De fide divina catholica definita. Vat. 1826-31].

Adv. — In genere *Gallicani.* — ~~Pro tertia sententia in specie Richeriani~~, ~~Iansenistae~~, ~~Febroniani~~.

St. qu. — *Definitio:* Potestas plena hic intelligitur *potestas iurisdictionis tota simul, quae invenitur in illa societate,* de qua agitur. Opponitur ergo, in ecclesia ullam inveniri potestatem iurisdictionis quae non sit in Romano Pontifice. — *Vi theseos non affirmatur,* omnem potestatem esse etiam *a* Romano Pontifice. Hoc postea probatur. In qua probatione tamen etiam ad hanc thesim recurritur. — Vi muneris papa *non* accipit ipsam potestatem *ordinis,* sed potestatem dirigendi etiam potestatem ordinis.

Arg. — ***1) E Scriptura.*** Petro iam soli dictum est: « *Quodcumque ligaveris... solveris* ». Atqui alia determinatio horum verborum cogitari nequit, quam ut excludant quidem quae non sint ad finem ecclesiae, *includant vero omnes res ecclesiasticas.*

2) E Traditione. *Leo I:* « numquam nisi per ipsum dedit, *quidquid aliis non negavit* » (principibus). — *Bonav.:* « solus habet *totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus ecclesiae contulit* ». — Conc. Lugd. II, Flor. « *plenam* ». Vatic. « Si quis dixerit, eum habere *tantum potiores partes,* non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, *a. s.* ».

Ob. 1. — *Nemo eas vires physicas* habet, ut ecclesiam, quae totum mundum complectitur, solus gubernare possit. — Papa e lege divina, ad constitutionem ecclesiae pertinente, *episcopos « in partem sollicitudinis »* vocare debet.

Ob. 2. — Qui potestatem plenam habet, *necessitate morali in tyrannidem vel superbiam* deveniet. — Periculum remotum superbiae

in omni praelatura invenitur. Periculum proximum vero hic *e providentia divina, generatim bono ecclesiae debita, excluditur.* Idem historia testatur.

Ob. 3. — Esset potestas *illimitata;* atqui solius Dei potestas illimitata est! – Est potestas plena regendi *secundum normas iuris divini revelati et naturalis.* Intra quod ius divinum etiam comprehenditur constitutio ecclesiae divinitus data.

Ob. 4. — Si potestas papae esset plena, *munus episcopale non esset necessarium.* — Dist.: non esset necessarium ad eum finem, ut haberetur in ecclesia potestas sufficiens ad eam regendam, c.; ut impleretur voluntas Christi positiva, qui munus episcopale sapienter instituit n.

Ob. 5. — *Episcopi* non essent nisi *vicarii papae.* — N. Habent potestatem suam *vi muneris stabilis et nomine suo.* Cui non opponitur, papam iam solum ea omnia vi muneris ordinarii posse, quae episcopi possunt.

Ob. 6. — Si habuissent potestatem plenam, papae *non toties explicite dixissent, se solos certa negotia ecclesiastica absolvere non posse.* — Negarunt, se ea *valide* conficere posse, n.; se *prudenter* procedere posse sine cooperatione aliorum, v. g. Concilii universalis, c.

Ob. 7. — *Primatus evolutus est;* ergo eius potestas non semper erat plena. — Dist. antec.: *Exercitium primatus* in quibusdam rebus magis perfectum factum est, c.; ipsa potestas primatus in se crevit, n.

Ob. 8. – *Decreta Pseudoisidoriana e saeculo 9° plenitudinem potestatis Romani Pontificis introduxerunt.* — N. *a)* Ea iam antea (ante saeculum 9) agnita erat. Ea vero singula iura quae iis decretis introducta esse dicuntur, *iam antea in usu erant.* In quibusdam paucis Pseudo isidoriana volebant introducere novum ius, v. g. etiam Concilia provincialia a Romano Pontifice confirmanda esse; at in his effectum non habuerunt. In genere id effecerunt, ut *praxis, quae iam aderat, quibusdam priscis papis ascriberetur, quibus de facto ascribenda non erat.* — *p. 9-12.*

Ob. 9. — Plena potestas Romani Pontificis includit, ut *e iure divino appellationes episcoporum* accipere possit. Atqui *hoc ius tandem Concilium Sardicense canone 3-5 Romano Pontifici concessit.* V. g. can. 5. « Rem decident... aut episcopi finitimi ex commissione papae aut presbyteros iudices ipse mittat ». — C. ma. N. obiectum *canonum* istorum esse ius divinum appellationis; *est modus unus e multis possibilibus, quibus Romanus Pontifex hoc ius divinum exercere potest.* Quod Patres Concilii talem modum exercendi iuris appellationis Romano Pontifici proponunt, hicque eum approbat, sane non excludit ipsum illud ius esse institutionis divinae, in ipsa plenitudine iurisdictionis Petri eiusque successorum concessae inclusum. — *p. 36-8.*

Propositio 14. — Potestas regendi Petro eiusque successoribus collata extenditur in universam Ecclesiam, etiam in superiores intermedios, sive subditi considerantur singuli sive quomodocumque, etiam in Concilio universali, collecti. — *E p. 24-31.* Denz 1830

Argumentum pro omnibus partibus thesis simul ex eo facile petitur, quod probavimus, Petro eiusque successoribus *potestatem plenam regendi ab ipso Christo directe traditam esse.*

At ob momentum rei iuverit argumenta directa e Scriptura et Traditione pro singulis partibus afferre. In argumento e traditione praecipue superioritatem Romani Pontificis super Concilia universalia stabiliemus. Nam praecipue haec a plurimis negata est. Est autem Concilium universale conventus pastorum Ecclesiae ex universa Ecclesia legitime congregatus ad decisiones de rebus ecclesiasticis simul cum Romano Pontifice ferendas.

E Scriptura.

a) Potestas regendi Petro concessa *extenditur* **in universam Ecclesiam.** — Excipitur solus Petrus eiusque successor. Alibi videbimus, num ipse ut persona privata aliquo modo afficiatur iis praeceptis, quae ut caput Ecclesiae dedit.

Arg. — Mt. 16, 18 Christus Petrum constituit *petram Ecclesiae suae, dat ei claves « regni caelorum ».* Iamvero hi termini significant Ecclesiam universam, regnum coelorum universum per modum unius corporis. Porro Io. 21, 15 est locus parallelus in quo Christus id confert quod Mt. 16, 16-19 promiserat. Ergo non possunt aliter intelligi oves Christi Io. 21, 15 quam ut sint omnes qui ad Ecclesiam pertinent non tantum ut singuli verum etiam ut collecti.

b) **Etiam in superiores intermedios.** — Complectimur omnes superiores, sive muneribus a Christo institutis fungantur, uti sunt episcopi, sive talibus, quae ecclesiasticae institutionis sunt, uti v. g. Cardinales.

Arg. — 1). Etiam superiores intermedii *non sunt extra Ecclesiam,* extra regnum Dei, sed ad oves pertinent. Atqui quicumque ad Ecclesiam, regnum, gregem Christi pertinent,

Petro sunt subiecti. — 2) *Omnis iurisdictio superiorum ecclesiasticorum qua talium est res ecclesiastica.* Atqui omnes res ecclesiasticae a Petro dependent: « Quaecumque solveris, ligaveris ». Ergo etiam superiores intermedii uti tales a Petro dependent.

c) **Quocumque tandem vinculo ecclesiastico inter se colligantur.** — *a)* Intelliguntur omnia Ecclesiae membra, sive episcopis subditi, sive ipsi episcopi sive episcopos dignitate superant, uti Cardinales. *b)* Intelligitur quodvis vinculum morale ecclesiasticum, quo inter se uniti cogitari possunt. Vincula talia sunt v. g. consensus animorum, si sunt dispersi; unio voluntatum in ratione legumlatorum in doctrina proponenda vel rebus disciplinae ordinandis, si in concilio provinciali vel universali collecti leges ferunt. *c)* Intelligitur etiam quaevis unio, qua cum capite Ecclesiae uniuntur v. g. ea, qua caput ecclesiae iis eam iurisdictionem tribueret, ut secum in uno eodemque actu universam ecclesiam obligarent. *d)* Intelliguntur tamen semper ut distincti (utique non separati) ab ipso capite Petro.

Arg. I. — *Quaecumque* tandem unio moralis cogitatur, sive inter subditos episcoporum, sive inter ipsos episcopos etc., sive inter episcopos atque subditos eorum, *certe nulla talis possibilis est, qua ipsi aut efficiantur persona Petri aut desinant esse oves Christi, pertinere ad Ecclesiam, ad regnum Dei.* Atqui omnes qui non sunt ipse Petrus atque ad Ecclesiam pertinent, sunt regendi ab ipso Petro. Ergo quodcumque tandem vinculum morale inter Ecclesiae sive simplices fideles sive episcopos nectitur, semper remanent subiecti Petro.

II. Quodcumque tandem tibi cogitas vinculum etiam iurisdictionis, quo ipsi episcopi Ecclesiae in nescio quibus conciliis sive provincialibus sive universalibus coniunguntur, certe *etiam haec omnia dona iurisdictionalia sunt res ecclesiasticae.* Atqui omnes res ecclesiasticae sunt Petro subiectae: « quodcumque ligaveris, solveris ». Ergo etiam ipsi episcopi vel alii, etiam in quantum omni quae cogitari potest iurisdictione ecclesiastica instructi atque inter se vel cum capite coniuncti sunt, manent subditi Petro.

III. Christus Petro dat eam potestatem de qua ait: « data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Non enim ex

alio fonte haurit potestatem suam Mt. 18, 16-19 quam Mt. 28, 20. Atqui huic *Christi potestati certe subiecti sunt episcopi atque simplices fideles, quomodocumque tandem uniti cogitantur.* Ergo eodem modo Petro subiecti sunt.

E Traditione.

Afferimus quaedam testimonia, quae premunt, Romanum Pontificem habere potestatem *absolute supremam,* in quem proinde nemo hic in terris, ne universalis quidem ecclesia auctoritatem habeat. Adiungimus porro quaedam quae data opera edicunt, eum superiorem esse ipsis conciliis universalibus.

Bonifacius I 422 scribit ad Rufum, ep. Thessalonicensem ep. 13 n. 2 de decisione alicuius synodi provincialis: « ... de nostro non esse iudicio retractandum. Nunquam enim licuit, de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari ». Quod principium generale est.

Gelasius a. 495 ep. 26 n. 5 episcopis Dardaniae haec scripsit: Ecclesia Romana de « omni Ecclesia fas habeat iudicandi neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio... ».

Concilii Ephesini Patres de sententia, qua Nestorium condemnabant, haec habent in actione prima: « Coacti per sacros canones et epistulam sancti Patris nostri *Caelestini,* romanae ecclesiae episcopi [qui Nestorium deponi iusserat], lacrimis interim perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus ».

Concilii Chalcedonensis Patres *Leoni I* scripserunt: « quibus (520 episcopis in Concilio congregatis) tu sicut caput membris praeeras ». Hardouin II, 655. Unde ne Graeci ipsi quidem canonem 28 qui a Concilio quidem factus, a Leone vero reiectus erat, non habebant legitimum.

Nicolaus I de re Photii ad Michaelem imperatorem ep. 8 haec habet, Hardouin V 169: « Nulla regula, nullaque consuetudo demonstrat, sedis apostolicae semel prolatam sententiam, ipsa non annuente, ultra posse mutari ».

Concilium Later. IV: Romana Ecclesia... « disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra ». D. 436.

Lugdun. II: « Summum... et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam ». D. 466.

Clemens VI (1342-52) vult credi ab Armenis, Romanos Pontifices, se incluso, esse eos, qui a nemine « iudicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt, sed soli Deo iudicandi servati fuerint, servemur et servabuntur; et quod a sententiis et iudiciis nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari ». Si solus Deus iudicare potest, ergo neque Concilium universale.

Ipso tempore Concilii Constantiensis, quo magis turbati erant multorum animi, Gerson haec habet: « Fallor si non ante celebrationem huius sacrosanctae Constantinensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum ista traditio [quod scilicet nec a Pontifice appellari neque eum iudicialiter evocari sit aliquatenus possibile], ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus vel damnatus ». De pot. eccl. consid. 12.

Martinus V post concilium Constantiense iussit omnes qui de haeresi Wiclif suspecti erant, interrogari utrum credant, Romanum Pontificem, successorem Petri habere « supremam auctoritatem in Ecclesia Dei ». D. 674.

Concilium Florentinum definivit, Romanum Pontificem esse: « totius Ecclesiae caput ». D. 694.

Concil. Lateranense V edixit: « Solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat ». D. 740.

Concil. Vatican. 1827: Docemus « hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis *pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes,* officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae *ad disciplinam et regimen* Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ». Et docemus etiam eum esse « iudicem supremum

fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse iudicium recurri; sedis vero apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudicio Romanorum Pontificum ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare ». D. 1830.

Postquam potestatem plenam Romani Pontificis consideravimus, vix aliae difficultates superesse possunt, quam eiusmodi, quae e factis historicis hauriuntur.

Ob. 1. — **Concil. Constant. III** *damnavit Honorium* ut haereticum, quam damnationem Romani Pontifices approbarunt. *Ergo papa est sub concilio.* — R. D. antec.: Concilium iurisdictionem exercuit in hominem viventem subditum, n.; aliquid declaravit circa mortuum, quo famae eius aliquod nocumentum fiebat, c. Iurisdictioni ecclesiasticae atque punitioni viventes subsunt, non mortui. Quid fuerit id, quod Patres in Honorio reprehenderunt, postea videbimus.

Ob. 2. — **Synodus Constantiensis** *docet* sess. V. d. 6 Aprilis 1415: « *quod ipsa* in Spiritu Sancto legitime congregata concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, *potestatem a Christo immediate habet cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis exsistat, obedire tenetur in his,* quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictae ecclesiae in capite et membris ».

Responsum primum. — Supponendo interim, his agi de vero papa eoque agnito, dist.: *haec decreta sunt legitima*, n.; *non legitima*, c. Etenim non sunt confirmata haec decreta a Romano Pontifice, quam confirmationem omnes ad validitatem decretorum necessariam existimant. Nam illa confirmatio contineretur aut Bullis « Inter cunctas » et « In eminentis » febr. 1418 aut confirmatione post sessionem 45 d. 22 Aprilis. Iamvero

a) In bullis Martinus tantum enumerat alia quae approbat, ea scilicet quae spectant ad haereticos, de quorum doctrinis in concilio actum est: Wiclif, Hus, Hieronymum de Praga, communionem sub una specie, salvum conductum haereticis praestitum.

b) Quoad sessionem 22 Aprilis. Martinus V affirmavit « quod omnia et singula decreta Constantiensis Concilii approbabat et ratificabat, *quae in materia fidei conciliariter statuta erant et non aliter* ». Atqui

1) *Non constat,* ut minimum dicamus, his verbis aliquam *confirmationem contineri diversam ab ea, quae praecesserat.* Etenim post finitum concilium, per accidens, cum petentibus Bohemis ut liber qui-

dam Ioannis a Falckenberg a Martino praetermissus condemnaretur, tumultus oriretur, papa ea verba protulit. Qua ratione decreta tanti momenti edi non solent. Ergo nonnisi denuo enuntiavit eandem confirmationem quae praecesserat.

2) Etsi ageretur de nova confirmatione, tamen *non ageretur de confirmatione decreti sessionis (4ae et) 5ae*. Nam Martinus d. 22 Aprilis loquitur de iis quae « in materia fidei » statuta erant. Iamvero quamvis obiective quaestio de Romani Pontificis superioritate super concilium non ad disciplinam spectet in quantum a dogmate distincta est, sed plane ad ipsum dogma, tamen de facto eo in concilio ob concretas circumstantias modus loquendi is invaluerat ut « in materia fidei » solummodo ea vocarent, quae contra Wiclif, Hus, Hieronymum de Praga tunc statuebantur, atque has quaestiones ab omnibus aliis distinguerent. Ita patet v. g. ex ipsa sessione 5a. Nam in hac proferebantur prius ea decreta de quibus nobis est sermo, scilicet de superioritate Concilii super papam. Deinde sequitur in Actis: « Quibus peractis rev. Dominus electus Poznaniensis in materia fidei et super materia Ioannis Hus legebat ». Similia in sessione 6a habentur.

3) Etsi ageretur de nova confirmatione, etsi porro terminus « quae pertinent ad fidem » comprehenderet in sensu a Martino adhibito etiam doctrinam de superioritate papae super concilium in docenda fide, tamen sessionis 5ae decretum de quo agitur, non esset confirmatum. Etenim *confirmat, ut vidimus, Martinus V tantum ea decreta quae « conciliariter statuta erant* et non aliter ». Iamvero hic modus non erat decreti sessionis 5ae de quo nobis est sermo. Nam ut v. g. Turrecremata, Summa de Eccl. l. 2 c. 94 testatur, in decretis 5ae sessionis formandis *sola intererat obedientia Ioannis XXII* neque ea tota. Porro e sententia Martini atque cardinalium nihil erat decretum conciliariter, quod maiore forte parte votorum nationum, at sine consensu cardinalium statutum erat. Cfr. Hefele t. 7 p. 104.

Responsum secundum. — Auctores graves multi tum veteres tum recentes aliam solutionem dant: Neque hoc indubium est, respexisse Patres concilii decreto sessionis 5ae papam certum, sed rationes sunt cur putetur, eos tantum id voluisse affirmare, eos qui *dicuntur esse* papae, schismatis tempore debere se conformare synodo tali, quae utique non est concilium universale, in his quae ad abolendum schisma spectant. Quae conformatio erit actus obedientiae in eo, qui de facto non erat papa, actus vero non obedientiae sed iustitiae legalis, amoris boni communis in eo, a quo, cum iam esset papa legitime agnitus, postea pars ecclesiae, ob dubia supervenientia se separavit. (Non enim obiective iurisdictionem suam ob talia dubia amittere videtur). Qui auctores pro solutione sua rationes has adducunt: *a)* in actis semper solus finis praticus componendi schismatis premitur, neque quidquam statuitur, quod certo in alium sensum trahi debere videatur; *b)* ipsum concilium ante electionem Martini confessum est, « quod papa electus ligari non potest ».

Ob. 3. — *Decreta* 5^{ae} *sessionis* (*et* 4^{ae}) *repetita sunt a* **concilio Basilensi**, concilium Basilense vero confirmatum est ab Eugenio IV. — R. Dist. min.: continuatio celebrationis concilii confirmata est ab Eugenio, c.; decreta ipsa confirmata sunt, sd.: quaedam, c.; omnia, n. Imo doctrinam de superioritate concilii super papam verum in sensu certe falso concilii Basileensis, « sacro approbante concilio » Florentino Eugenius IV constitutione « Moyses » 4 Septembris 1439 reprobavit.

Ob. 4. — **In iure can.** I pars dist. 40 c. 6 « Si papa », statuitur: « ...huius (papae) culpas istic redarguere praesumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus *a nemine est iudicandus, nisi deprehendantur a fide devius* ». Ergo saltem in uno casu papa subest concilio. — R. Dist. antec.: intelligendo eum ita a fide defecisse ut fieret publice haereticus, c.; aliter, n. Id quod iia declarari solet: Si scilicet eveniret — hypothetice loquor — ut papa fieret haereticus, etiam secundum auctorum eorum sententiam papa desineret esse membrum Ecclesiae, consequenter desineret esse caput Ecclesiae, consequenter, cum non iam sit papa, iudicari posset. — Nota aliud esse, e cathedra docere haeresim, aliud manifeste confiteri pro sua persona haeresim. Illud impossibile est, ut probabimus; hoc possibile esse auctores medii aevi generatim tenebant. Cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. 2 c. 30.

Propositio 15. — Potestas tradita Petro est immediata in omnes fideles. — *p. 31-40.*

St. qu. — Quaeritur num potestas Romani Pontificis sit *immediata etiam in subditos episcoporum.* Immediata vero est, si ad id, ut obligationem in subditis episcoporum producat, non necesse est ut mediet voluntas episcopi sive imperantis sive permittentis.

Arg. — ***1) E Scriptura.*** — Secundum Mt. 16, 19 *omnis res ecclesiastica eo ipso quod a Petro solvitur vel ligatur in coelo solvitur vel ligatur:* « Quaecumque... ». Atqui eo quod aliqua res ecclesiastica invenitur in *aliquo subdito episcoporum, non desinit esse vere ecclesiastica.* Ergo. — Alia forma argumenti: e potestate plena.

2) E Traditione. Saeculo 5 *Zosimus* sibi potestatem ascripsit accipiendi *appellationem* etiam presbyteri; 6 et 7 iam habetur *exemptio* a iurisdictione episcoporum; 12 *reservatio* a quibusdam peccatis in legem evehitur a Later. II; 13 *S. Bonaventura:* papa « non est tantum praelatus mediatus » fide-

lium, S. Thomas vero ex eo principio deducit, papam regularibus dare posse iurisdictionem ad confessiones fidelium audiendas; 14 Clemens VI: « *de omnibus* (personis) *iudicare* »; Conc. Vat. 1827: « et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem... immediatam esse » docemus.

Ob. 1. — Si plures in eandem personam haberent potestatem immediatam, *haberetur essentialis deordinatio* in regimine societatis. — Si plures, quorum unus alteri est subordinatus, ita ut praeceptum subordinati eo ipso cesset esse validum, quod praeceptum superioris contrarium habetur, n. Cf. praecepta officialis et generalis in eundem militem.

Ob. 2. — *Episcopi necessarii non essent.* — N. Cf. Ob. 4 p. 302.

Ob. 3. — Ergo *papa semper plures causas ad se trahere potest, usque dum episcopis nihil remaneat,* quod ligent vel solvant. — N. Hoc excluditur e *voluntate absoluta, qua Christus munus episcoporum instituit.*

Ob. 4. — Si secundum ea, quae in solutione ultimae difficultatis dicta sunt, papa *non potest omnes res* eorum, qui episcopis subditi sunt, *ad se retrahere, haec potestas immediata inutilis est.* — N. Potest v. g. *partem ecclesiae,* uti hodie multas missiones, non per episcopos ordinarios sed *per vicarios apostolicos regere;* potest, *servato limite* qui in ambitu iurium muneri episcopali essentialium contineretur, et *personas et res ad se retrahere:* potest leges universales dare, quibus *immediate omnes fideles tenentur; appellationes* accipere etc.

Ob. 5. — Haec potestas immediata *detrahit muneri episcopali a Deo instituto.* — Destruit *falsum* conceptum de hoc munere, quem quidam sibi finxerant.

Ob. 6. — Moraliter necessaria est *imprudentia atque superbia* in tali munere administranda. — N. Cf. Ob. 1 et 2 p. 301-2.

Ob. 7. — *Concilium Carthaginiense 16* a. 418 *in re Apiarii* statuit: « Ad transmarina (papam) autem *qui putaverit appellandum, a nullo inter Africam in communionem suscipiatur* ». Ergo denegatur papae ius appellationes clericorum recipere, ergo potestas immediata in subditos episcoporum. — N. Canon edicit tantum, *exercitium huius iuris secundum canones ecclesiasticos tunc vigentes et ab ipso papa approbatos non competere papae, sed episcopis finitimis.* Tum a papa tum a Concilio ad solos canones ecclesiasticos, ad utilitatem respicitur; ius divinum appellationes recipiendi non tangitur. — *Haec ultima difficultas p. 38-40.*

Propositio 16. — Potestas in universam ecclesiam tradita Petro eiusque successoribus episcopalis est atque convenienter ita vocatur. — *p. 43-7.*

Expl. term. — Sensus theseos est: papa habet talem potestatem in ecclesiam *universam,* qualem habet episcopus in dioecesim propriam, in oppositione ad talem potestam, qualem habet *metropolita* in dioeceses episcoporum suffraganeorum. Quae differentia praecipue haec est: Metropolita non habet potestatem, regendi dioecesim suffraganei, sed tantum habet potestatem, vi cuius ei competit ius quoddam restrictum inspectionis, vel quaedam in certis casibus iurisdictio. Episcopus vero dioecesim suam *qua proprius pastor* potestate ordinaria regit in omnibus, quae ad munus veri pastoris necessaria sunt.

Patet, *limitationes* ortas ex natura potestatis episcopi, in quantum tantum *partem* ecclesiae regit, atque *supremo pastori subditus est, in Romano Pontifice inveniri non posse.*

Adv. — 1) *Ipsi rei* opponuntur omnes ii, qui negant auctoritatem Romani Pontificis esse ordinariam et immediatam in omnes fideles in omnibus rebus ecclesiasticis. Haec enim ad notionem potestatis episcopalis requiruntur. — Speciatim sunt Febronius, Eybel, Tamburini, Pistorienses eorumque sequaces. Qui modo affirmant, papam habere merum ius inspectionis et directionis cuiusdam absque imperio, modo eum tantum tunc imperare singulis episcopis aliquid posse, quando id ad eorum defectus supplendos necessarium fuerit. Hanc potestatem quam maxime diminutam, imo fere nullam, nihilominus quidam honorifico nomine primatialem vel papalem dixerunt!

2) Erant qui ipsam doctrinam hanc concederent, putarent vero prudentiam ob speciales rationes sibi velle ut haec potestas tali *nomine non vocaretur.*

Pars I. — Ea potestas episcopalis est.

Arg. — I) Ex iis, quae de primatu demonstravimus. — Potestas episcoporum ea est, qua suam quisque dioecesim regit *ut pastor proprius, ita ut directe et immediate attingere possit omnia membra dioeceseos in omnibus rebus quae a proprio*

pastore necessario dependent; potestas vero metropolitarum tantum habet ius quoddam restrictum *inspectionis* vel in *quibusdam casibus aliquam iurisdictionem in greges non suos sed alterius.* Atqui probavimus, Romanum Pontificem priore modo se habere ad ecclesiam universam. Ergo.

2) E Traditione. — Quae usque nunc de potestate plena, immediata, etiam e Traditione probavimus, hanc thesim re continent. At quaedam directa testimonia adiciantur, in quibus et res et ipsa vox habetur. *Concilium Chalced:* « universae ecclesiae episcopus ». *Bernardus:* « orbis episcopus ». *Mos subscribendi:* « ego... catholicae Ecclesiae episcopus », in oppositione ad « ego... Albanensis ecclesiae episcopus ». *Vat. 1827* hanc veritatem definivit. Cf. text. Rep. p. 306.

Ob. — *Contra ordinem* est, haberi *plures episcopos in una diocesi.* — *Si unus alteri subditus est, n.*

Ob. 2. — *Sufficit ad finem auctoritatis,* scilicet ad ordinem in societate efficaciter procurandum, *si papa tantum in iis casibus imperare potest, in quibus snperiores singuli intermedii suo officio desunt.* Ergo maior auctoritas ei ascribenda non est. — R. 1) N. suppositum. posse a priori statui, Deum ecclesiae suae nonnisi ea contulisse, quae absolute necessaria sunt. Iam ipsis societatibus naturalibus ampliore ratione providit. Cum de institutione divina positiva agatur, non videndum est, quomodo res institui potuerit sed quomodo instituta sit. — 2) Ita societati universae qua tali provisum nullo modo esset. Ei enim imperari nullo modo posset.

Pars II. — Ea potestas apte vocatur episcopalis.

Argumenta petuntur e *natura rei*, quum per se nomen rei correspondens sane adhiberi prudenter possit; e *traditione*, quum iam ab antiquis temporibus ita vocata sit; *e solutione* rationum, quae quibusdam obstare videbantur, quominus hoc nomen adhiberetur.

Ob. 1. — Terminus « catholicae ecclesiae episcopus » significat, *eum solum esse episcopum in Ecclesia catholica,* ergo nullos alios episcopos esse. — N. ma. Significat, eum solum habere potestatem episcopalem in *universam* ecclesiam, quo non excluditur, alios habere potestatem episcopalem in partes.

Ob. 2. — *Potestas Romani Pontificis deprimitur* in mente fidelium, si episcopalis dicitur. — *Si intenditur coniuncta cum iis imperfectionibus, quae propriae sunt iurisdictioni episcopi particularis, qui insuper supremo pastori subditus est, c.;* si hae exclusae cogitantur, n.

Ob. 3. — *Vox nova est.* — *a) Transeat.* Novae etiam erant voces ὁμοούσιος, transsubstantiatio. *b) N.* Cf. arg.

Ob. 4. — Gregorius M.: « Nullus (e Romanis Pontificibus) sibi *hoc temerarium nomen* arripuit ». — Eo sensu, quo patriarcha Constantinopolitanus sibi hoc nomen imponere voluisse videtur, ut scilicet « despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari ». Agnovit Gregorius, Concilium Chalcedonense recte Romanos episcopos vocasse « antistites universales ».

Scholion. — Ex iis, quae de primatu Romani Pontificis docuimus, deducitur quae sit distinctio inter sedem et sedentem.

Lit. — *Bouix,* de papa t. I, P. 2, c. 4, p. 259-304. — *Palmieri,* th. 30, p. 696-9.— *Straub,* n. 606-12, I, p. 498-500.

Expl. term. — Sedes est signum auctoritatis. Sumitur 1) pro ipso **munere auctoritatem habentis** vel pro auctoritate inhaerente in eo qui occupat hanc sedem, hoc signum auctoritatis. Esse quandam identitatem inter haec duo patet e talibus dictis, uti S. Hieronymi: « Beatitudini tuae, i. e. Sedi Apostolicae..... coniungor »; esse quandam distinctionem e talibus, uti « Romanus Pontifex et apostolica sedes..... » — 2) Sedes secundo sumitur pro *serie sedentium,* i. e. pro omnibus successive eandem auctoritatem habentibus. Qui modus loquendi a priore dependet.

I. **Si sedes sumitur pro munere.** — Tunc comparatur munus cum ipso subiecto, quod illud habet. Inter haec duo est distinctio saltem rationis cum fundamento in re vel realis secundum doctrinam quam quis tenet in philosophia de distinctione relationis a suo subiecto. Unde

1) *Sedes una est, sedentes successive plures* sunt.

2) Sedes *permanens* est, eo quod permanet ipsum munus. Hoc enim aut actu habetur aut secundum exigentiam et destinationem divinam semper adest in Ecclesia; porro permanent actu multi eius effectus, scilicet in omne tempus eae leges fidei quas antecedentes Romani Pontifices tulerunt, et per certa saltem tempora multae leges disciplinae ab iis profectae. *Sedentes* simpliciter *transeuntes* sunt.

3) *Sedes immutabilis* est, quia auctoritas seu potestas plena Romani Pontificis plane immutabilis est. *Sedentes mutabiles* sunt, secundum quod aut unus alio melior vel prudentior etc. est

aut idem sedens quodam tempore melior vel prudentior esse potest quam alio.

4) *Sedes* primatialis *secundum quosdam indefectibiliter e iure divino coniuncta est cum sede dioecesana dioecesis Romanae;* unusquisque sedens potest desinere esse Romanus Pontifex et simul caput ecclesiae.

5) *Sedes cognosci potest,* antequam singuli sedentes qua singuli cognoscuntur; v. g. aliquis ethnicus e Scriptura et Traditione nosse potest haberi primatum eumque in Sede Romana, nescire vero quis hodie sit papa.

II. **Si sedes sumitur pro serie sedentium:**

1) Patet esse *inter* sedem et singulos sedentes *distinctionem inadaequatam, sed realem* uti inter totum integrale et partes eius.

2) At *singuli habent eandem potestatem quam series.* Nam probavimus singulos habere potestatem plenam. Atqui plus quam plena haberi nequit. Unde distinctio haec nullo modo afficit ipsam auctoritatem, ac si plus auctoritatis esset in sede quam in sedentibus singulis, sed afficit solum subiectum, quod, etsi plures sunt sedentes inter se excipientes, eodem modo plane eandem semper auctoritatem habet, ac si unus tantum atque idem homo a Petro usque ad ultimum iudicium in hac sede sederet.

Eadem ratione in statu quodam civili monarchico, si supponitur eius constitutionem non mutari, eadem potestas regia ab uno ad alterum regem semper transit, ita ut non quidem plus potestatis regiae habeatur, sed tantum plures habentes potestatem illam, unus scilicet post alium.

Caput. II. — De Romano Pontifice ut fonte proximo iurisdictionis ecclesiasticae.

Prop. 17. — Omnis iurisdictio in ecclesia a Romano Pontifice confertur. — *Cf. Lith. p. I - XXV.*

Nota. — Haec propositio in hac Universitate data opera tractari solet in tractatu de poenitentia. Attamen etiam ad tractatum de iuridica constitutione Ecclesiae vere pertinet, atque di-

versas in ea applicationes haud parvi momenti habet. Unde eam tractamus, etsi minus ample, quam per se meretur.

Lit. — Praecipuum opus est *Iac. Laynez* S. I., Disputationes Tridentinae i. e. habitae in Conc. Trid., ubi splendide et amplissime hanc thesim defendit, Disp. I qu. 3-5 vol. I p. 97-323. — *Bellarminus*, De Romano Pontifice l. 4 c. 22-5; de Concil. l. 2 c. 16. — *Suarez*, De legibus l. 4 c. 4 n. 3-13; de poenit. disp. 25 s. 1 n. 2-14. — *Wilmers* th. 60-2. — *Palmieri* th. 14.

Qual. — Certa.

Expl. term. — Potestas *iurisdictionis* intelligitur, non vero omne ius, v. g. ad absolutionem post confessionem rite factam. — Potestas iurisdictionis, non vero ordinis, haec enim in sacramentis a consecrante confertur. — *Omnis*. Tum ea, quae in munere divinitus instituto exercetur, i. e. in episcopatu, tum ea, quae in omnibus aliis muneribus sive a personis singularibus sive a Collegiis habetur, uti v. g. a Cardinalibus, episcopis, Concilio provinciali vel oecumenico, parochis. — *Non* autem *decidimus, a*) num etiam potestas regendi dioeceses proprias ipsorum Apostolorum et eorum quos ipsi immediate episcopos constituebant, a Petro an a Christo immediate descenderit; *b*) num confessarius Romani Pontificis potestatem suam absolvendi a Romano Pontifice accipiat (Suarez, def. fid. l. 4 c. 7 n. 21; de sacr. poen. disp. 15 s. 2; Lugo, de sacr. poen. disp. 15 s. 2), an immediate a Deo (Straub n. 797-9).

Adv. — Speciatim affirmabatur, iurisdictionem *ad munus episcopatus* divinitus institutum a Deo ipso immediate dandam esse. Ita saeculo 16 Franciscus a Victoria O. P. in Hispania, quem multi sequebantur. Item Gallicani, Jansenistae, Febronius. Aliqua sententia quam Bolgeni saeculo 18° propugnavit, id de *eo voto decisivo* statuit, *cuius episcopi regentes in Concilio universali e iure divino praticipes sunt.*

Ex iis, qui iurisdictionem ad munus episcopatus immediate a Deo repetunt, quidam docent, eam *extra consecrationem episcopalem* quidem dari, at tantum occasione designationis personae quae a Romano Pontifice facta sit. Plurimi vero statuunt, *consecrationem episcopalem intervenire debere, id quod tamen diversis modis explicant.* Praecipue hi sunt: A Deo vi consecrationis datur iurisdictio illimitata, a Romano Pontifice

vero materia certa limitata, i. e. ovium numerus limitatus. Alii: a Deo vi consecrationis confertur iurisdictio iam limitata, at a Romano Pontifice apponenda est conditio sine qua non. Alia iterum sententia: a Deo vi consecrationi conceditur iurisdictio in foro interno, a Romano Pontifice addi debet iurisdictio in foro externo. Alii: a Deo vi consecrationis procedit iurisdictio regendi secundum Evangelium, a Romano Pontifice datur potestas regendi secundum canones ecclesiasticos.

Pars I. — Quoad munera et functiones, quae ab episcopatu et voto decisivo episcoporum regentium in Concilio universali diversa sunt.

Arg. — 1) Papa habet iurisdictionem supremam et plenam in totam ecclesiam, eamque omni eo gradu communicabilem, qui in dictis muneribus habetur; porro ipse haec munera iniunctione, mandato confert. Atque hic est modus quo etiam in aliis societatibus iurisdictio confertur. Ergo nulla alia origo iurisdictionis pro his muneribus statuenda est.

2) Adversarii secundae partis arguunt fere e sola consecratione episcopali. Unde hanc partem concedunt.

Pars II. — Quoad munus episcopatus et votum decisivum episcoporum qui dioecesim regunt in Concilio universali.

Quoad regimen episcoporum in suis dioecesibus.

Arg. — ***1*) E traditione.** — V. g. e *Patribus* S. Optatus Milev, De schismate l. 7, c. 3 agens de comprimendo Donatistarum schismate: « Petrus... claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit ». Ergo saltem de aetate postapostolica agit. — S. Leo M., Sermo 4 in anniv. assumpt. suae c. 2: Deus « ... si quid cum eo (Petro) commune caeteris voluit principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit ». — Ioannes ep. Ravennae Gregorio M. scribit ep. 3 ep. 57: « ... illi sedi, quae universali ecclesiae iura sua transmittit ».

Medio aevo. — Conc. Remense anno 900 « auctoritate episcopis per beatum Petrum principem apostolorum divinitus con-

lata » excommunicat. — Scholasticorum mirus consensus : S. Bonav., Brevil. pars 6, c. 12 ; Scotus et Scotistae ; B. Albertus ; S. Thomas in l. 2 sent. diss^e. ult. qu. 2 art. 3, et Thomistae. — Pius II in bulla Retract. 1403 « a quo [Christi Vicario] tamquam capite, omnis in subiecta membra potestas et auctoritas derivatur ».

Aetate posteriore. — Fere omnes celebriores dogmatici, canonistae, historici (Hergenröther, Katholische Kirche und christlicher Staat, p. 880-1, n. 1 enumerat 90), Pius VI Denz. 1500 reicit negantes papam eum esse, « a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam auctoritatem accepit ». Multa Concilia provincialia.

***Arg.* — *2)* E natura rei.** — Non est recurrendum ad causam primam, si adest causa secunda, quae ad effectum explicandum sufficit, neque ulla ratio specialis habetur, unde nihilominus ad causam 1^am immediate agentem recurratur. Atqui iurisdictio Romani Pontificis sufficit omnino, ut iurisdictio episcoporum ex ea derivetur, aliunde vero nulla specialis ratio habetur, cur immediate ad Christum recurratur, id quod e solutione obiectionum apparebit. Ergo.

Ad min. Sufficit iurisdictio Romani Pontificis, in quantum consideratur *a)* in se ipsa, cum sit plena ; *b)* modus, quo papa episcopum facit, sc. iniunctione. Etenim iniunctio actus est, quo Romanus Pontifex aliquem alicui dioecesi praeficit (Cf. formula « praeficimus eum in patrem et episcopum eiusdem ecclesiae »). Iamvero aliquem alicui praeficere nihil aliud est quam eum superiorem alterius facere, superior autem aliquis formaliter constituitur auctoritate ; *c)* effectus. Tanta est ac tamdiu valet, quanta iniunctione conceditur et quamdiu iniunctio durat.

Principia ad difficultates solvendas.

Ad solvendas diff. e rationibus speculativis et historia.

1) Ad hoc, ut munus sit divinitus institutum, sufficit ut Deus statuerit, talem et talem debere esse complexum iurium et obligationum, porro *iurisdictionem ad hoc munus necessariam debere ei ab eo dari, ad quem id spectat.*

2) Receptio potestatis regendi per se *indifferenter* se habet ad id, ut is qui regit, regat nomine proprio, uti episcopus regit, vel nomine eius, qui dedit iurisdictionem, uti vicarius apostolicus.

3) Item ea receptio nullo modo impedit, quominus ea potestas versetur *immediate* circa omnes subditos episcopi.

4) Maior pars auctorum statuit: *a*) *Apostolos eam quoque potestatem qua singuli quasdam dioeceses regebant, accepisse immediate a Christo* eamque non ut participationem potestatis Petri; *b*) per hanc diversitatem in origine potestatis non destrui rationem verae successionis in munus apostolorum. Quidam vero putant, iurisdictionem eam apostolis esse datam vel a Christo, at ut participationem iurisdictionis Petri, vel forte ab ipso Petro.

5) *Mortuo papa* singulae dioeceses per episcopos respectivos, ecclesia universalis per Collegium Cardinalium [potestate utique non suprema] regitur ea auctoritate, quae a Romano Pontifice dum viveret data, adhuc perdurat.

6) Tempore *magni schismatis* secundum quosdam auctores singuli episcopi obedientiarum antipaparum singulas dioeceses regebant ea iurisdictione quam, non obstantibus excommunicationibus talium Obedientiarum per legitimum Romanum Pontificem factis, nihilominus ab eodem legitimo Pontifice acceperint, idque ob errorem communem respectivorum fidelium simul cum titulo colorato, qui fuerit collatio potestatis ab antipapa qui multis videbatur legitimus. — *Concilium vero Constantiense* inter abdicationem Gregorii XII et electionem Martini V res ad schisma abolendum spectantes ordinabat *potestate a legitimo Pontifice Gregorio XII* ante abdicationem suam Concilio *data*.

7) Ob indefectibilitatem Ecclesiae Deus non potest permittere, ut Romanus Pontifex iurisdictionem necessariam episcopalem non det vel datam universam retrahat.

8) *Consecratione episcopali* non confertur vera potestas iurisdictionis, sed *tantum datur specialis destinatio atque exigentia,* ut generatim potius personae charactere insignitae iurisdictionem accipiant quam aliae. Neque aliud significant verba: « Da ei claves... » Cf. ordinationem sacerdotalem, quae, quamvis in ea proferantur verba « Quorum remiseritis... » non confert iurisdictionem, sed tantum exigentiam quandam ut conferatur.

Ad solvendas diff. e Scriptura et Traditione.

9) Verba *Mt. 18, 18* « Quaecumque alligaveritis... » non agunt ea quidem de potestate extraordinaria, sed de ordinaria apostolorum eorumque successorum, at *neque* eam *conferunt neque* eam *promittunt uti per Christum dandam* sed ut dandam per eum, ad quem spectat. Laynez, Disp. Trid. I p. 182-3.

10) *Act. 20, 28* episcopi dicuntur positi a Spiritu S. *regere ecclesiam* Dei, in quantum Spiritus S. *munus eorum instituit* et consequenter voluit potestatem iis dari ab eo ad quem id spectat.

11) *S. Th.* 2, 2 qu. 284 a 6 ad 2 docet quidem « *curam episcopalem cum solemnitate consecrationis committi* », uti regi regiam potestatem,

quia perpetua sint haec munera, in oppositione ad munus non perpetuum parochi; at non docet conferri iurisdictionem *per* ipsam consecrationem.

12) In quibusdam aetatibus ecclesiae iurisdictio forte *tempore simul cum consecratione* dabatur.

~~Pars II.~~ — Quoad episcopos in Concilio Oecumenico.

Rationes tum ex natura rei eaedem sunt atque in utraqua assertione antecedente; ex parte auctoritatis vero similes, cum testimonia generalia sint. Diserte de episcopis ut in Conc. Oecumenico collectis id affirmant v. g. Vasquez, Suarez, Laynez, Cercia, Wilmers, Wernz, n. 738, Hergenröther p. 909; Palmieri th. 28, III, Straub n. 806; de Groot p. 602.

Adversarius Bolgeni (1789) nullum auctorem pro sua sententia afferre potuit; quem pauci, uti Vehring, Philipps secuti sunt. Statuit, eam universalem potestatem vi consecrationis episcopis dari.

Difficultates iisdem capitibus solvuntur atque ea sunt, quae mox posuimus.

Scholion. — De origine iurisdictionis apostolorum.

Postquam vidimus, episcopos omnes caeterosque qui munera ecclesiastica post aevum apostolorum accipiebant, suam iurisdictionem immediate a Romano Pontifice derivare, de fonte iurisdictionis ipsorum duodecim vel tredecim apostolorum singulorum agemus. Nonnisi de iurisdictione sensu stricto loquimur, i. e. de potestate regendi subditos, non vero de aliis praerogativis apostolorum, v. g. quod revelationem christianam complebant. Tres praecipue sententiae videntur considerandae.

Prima sententia: Omnis iurisdictio apostolorum immediate a Christo uti participatio plenitudinis suae potestatis communicatur. — Rationes inter alias eiusmodi sunt: 1) Io. 20, 21 Christus ad missionem, ergo potestatem suam etiam iurisdictionis, uti a Patre acceptam provocans, apostolos mittit, missione generalissima, ~~eosque uti singulos.~~ Etenim, primatu nondum dato, Collegium apostolorum quod uti Corpus mitteret, nondum ~~existebat.~~) — 2) Paulus Gal. 1, 1 de se ait: « Paulus apostolus non ab hominibus neque per homines [ne mediate quidem] sed per Iesum Christum ». Iamvero ad apostolatum pertinet omnibus posse praedicare. Iamvero iterum

potestas docendi auctoritativa in hoc ordine rerum, si erga baptizatos exercetur, aut pars est potestatis iurisdictionis aut eam in docente supponit. Eadem autem erat potestas caeterorum apostolorum, quae erat Pauli. — 3) Doctrina communissima Patrum. V. g. S. Hieronymus in Tit. 1, 1 M L 26, 557: Apostolus Paulus « grandem inter christianos sibi vindicans dignitatem, apostolum (al. apostolorum) se Christi titulo praenotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret: indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos ». S. Cyrillus Alex. in Io. 20, 21, l. 12 in Io. M G 74, 707: « Ordinavit quidem his verbis Dominus noster Iesus Christus orbis duces atque doctores... ». Alia cf. v. g. Straub n. 198-210. — 4) Plerique theologi. Cf. v. g. Caietanus, De auctoritate papae c. 3.

Secunda sententia: Omnis iurisdictio apostolorum a Petro uti participatio suae ipsius iurisdictionis confertur. — Rationes v. g. 1) Ita Patres quidam. S. Optatus, De schim. Donat. l. 7 n. 3 M L II, 1087: Petrus « praeferri apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum communicandas caeteris solus accepit ». S. Leo I ep. 10 c. I M 54, 629: « ... si quid cum eo (Petro) commune caeteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit ». — 2) Alias non haberetur plane eadem Constitutio Ecclesiae iuridica tempore post aevum apostolorum atque ipso aevo apostolorum. — 3) Quidam theologi, uti Turrecremata, Summa de eccl. l. 2 c. 54 ed. Salm. 1560, p. 257, c. 57, 58, 61; Lainez, Disp. Trid. v. I qu. 2 c. 3 n. 57-70 p. 77-96 eam ut probabilem habet atque a n. 64 obiectiones contra eam solvit.

Tertia sententia: Omnis iurisdictio apostolorum *a*) immediate a Christo confertur, *b*) at uti desumpta e potestate iurisdictionali S. Petri. — Intelligitur tum ea iurisdictio, qua apostoli dioeceses eorum regebant, quos e conversis propriis semper formavisse dicuntur (cf. Rep. p. 294-5), tum ea, qua eas, postquam alios episcopos eorum constituissent, uti quidam primates vel quasi patriarchae, regere perrexisse feruntur. Non vero comprehenditur in ea assertione iurisdictio qua apostolus aliquam dioecesim rexit, quam ab apostolis acceperat regendam, uti S. Iacobus Hierosolymitanam accepit. — Rationes pro eo, quod Christus immediate eam iurisdictionem contulit, v. generatim penes theologos.

Quod vero Christus eam desumpsit e potestate Petri, statuendum est propter haec: 1) Alias non eadem omnino constitutio Ecclesiae esset tunc quae est nunc. — 2) A pari: si papa per seipsum aliquem deputat v. g. parochum cum iurisdictione huic muneri propria, eam dat uti participationem potestatis episcopi. — 3) Typus V T Num. 11, 25 « auferens de spiritu qui erat in Moyse et dans 70 viris ». Billot th. 26, § 2[3] p. 562–9.

Sectio VI — Ex iis quae de Romano Pontifice atque episcopis docuimus, deducitur, quae sit e iure divino relatio inter eum atque episcopos, sive ii considerantur prouti singuli suis dioecesibus praesident, sive spectantur prouti in Conciliis maxime universalibus congregati sunt.

Doctrinae capita de Romano Pontifice, e quibus eius relationem ad episcopos et Concilia universalia deducimus, sunt praecipue haec duo: 1) eius *potestatem regendi ecclesiam esse plenam*, 2) eam esse *fontem immediatum iurisdictionis omnis in ecclesia* praeterquam eius ipsius, quae in ipso invenitur. E quibus ea quae docere intendimus, sat facile fluunt.

Notandum est: *1*) Is, qui potestatem regendi plenam habet, *ex ea potest communicare aliis, prout id utile iudicaverit*; ergo etiam eam potestatem qua erga episcopos atque Concilium universale pollet, aliis communicare potest, per quos eam exerceat. Eos solos actus auctoritativos supra episcopos vel Concilium exercendos aliis communicare nequit, quibus exeritur potestas, quae tum extensive totam ecclesiam obligaret, tum intensive summa esset seu decisiva pleneque independens. Qui enim talem haberet, primatum haberet. Iamvero nonnisi unus primatum in ecclesia tenere potest. Potestatem vero quae extensive totam ecclesiam obligaret, dummodo non sit intensive summa, communicare potest. Ita v. g. Cardinales Sancti Officii leges doctrinales dant, quae universalem quidem ecclesiam obligant, at decisivae eae non sunt sed per se ab ipso Romano Pontifice revocari possunt.

Notandum est: *2*) Etiam ii qui negant, Romanum Pontificem omnem iurisdictionem in Ecclesia e sua plenitudine com-

municare, sed affirmant eam sive episcopis dioecesim regentibus, sive iis in Concilium universalem congregatis immediate a Deo conferri, ad easdem generatim conclusiones devenire possunt, quas hac sectione statuimus, dummodo simul statuant interventum voluntatis Romani Pontificis non tantum ad liceitatem verum etiam ad validitatem actuum talis iurisdictionis requiri. At etsi tali modo ad easdem conclusiones devenire possunt, tamen ita neque veram rationem harum conclusionum reddunt, neque illam summam unitatem atque dependentiam perspicere possunt, qua in hoc ordine rerum caput ecclesiae cum episcopis atque Concilio coniungitur. Intimior enim est coniunctio et magis radicata connexio cum capite ecclesiae, si principes subordinati ipsumque Concilium universale auctoritatem suam habent ab ipso Romano Pontifice uti a vera et propria immediata auctoritatis causa, non vero ab ipso Deo uti unica eius causa immediata, a Romano Pontifice vero tantum uti a conditione sine qua non.

Modus procedendi. — Cum de conclusionibus agatur generatim brevibus nobis esse licet. Deductioni speculativae pro rei dignitate aliqua ex historia addemus.

E natura tractatus nostri, qui constitutionem considerat, quam Ecclesia a Christo auctore suo accepit, *nonnisi eas relationes examinamus, quae* ex ipsa constitutione Ecclesiae sequuntur atque *iuris divini sunt,* non vero eas, quae in iure canonico ab ecclesiastica auctoritate libere iis adiunguntur.

Caput I. — De relatione capitis Ecclesiae ad Episcopos prouti suis sedibus praesident.

Lib. — *Wilmers* th. 59 p. 347-55. — *Cercia,* Demonstrationis catholicae pars altera, Neapoli 1850 sectio 3 lectio 9 et 10 p. 2 33-54. — *Bouix,* De episcopo, tom. 1 pars II et III ed. 2 1873 p. 147-397. — *Zaccaria* S. I., Anti-Febronio l. 1, speciatim c. 4-7 incl., ed in Cesena 1770 tom. 3 p. 122-343 ; Antifebronius vindicatus, dis. 8 c. 1-4, Caesenae 1771 tom. 3 p. 351-451. — *Thomassinus,* Pars I l. 1 c. 54-60 p. 185- 210 ; Pars II l. 2 c. 1-43 p. 307-444 ; c. 50-64 p. 470-522. Longissime evolutionem historicam exhibet. — *Phillips,* Kirchenrecht

§§ 219-22 t. 5 Regensburg 1854 p. 311-78. — *Wernz* II 2 n. 731-54 de institutione, n. 761-3 de restrictione, n. 764-6 de amissione muneris episcopalis. — *Ottiger* II p. 733-51.

Consideramus ex ordine relationem capitis Ecclesiae 1) ad munus episcopale ; 2) ad gradus hierarchicos intermedios inter episcopos et Romanum Pontificem ; 3) ad dioeceses ; 4) ad assumptionem personarum ad munus episcopale eiusque ablationem.

§ 1. — De munere episcopatus.

Assertio I. — Romanus Pontifex munus episcoporum abolere nequit.

Expl. term. — Aboleret certe eo, quod v. g. *a*) simpliciter nullos episcopos iam nominaret sed per se ipsum solum totam Ecclesiam regere vellet; vel eo quod *b*) singulas ubique dioeceses non per unum hominem sed per Collegium iuberet gubernari; vel eo quod *c*) loco episcoporum nomine proprie regentium vicarios apostolicos institueret, qui scilicet non nomine proprio sed nomine Romani episcopi regionem sibi concreditam gubernarent. At etiam tunc illud vere aboleret, si munus singulorum episcoporum ita restringeret, ut non manerent veri principes, utique summo in Ecclesia principi subiecti, in ea parte Ecclesiae quam regunt. Idem enim est, essentialiter mutare munus atque illud abolere.

Arg. — Quod iuris divini est, Romanus Pontifex tollere nequit. Iamvero prop. 11 Rep. p. 273-88 probavimus, episcoporum munus esse iuris divini. Ergo.

Ob. 1. — Romanus Pontifex *liber est*, ergo *forte* munus illud *de facto abolebit*, v. g. semper plus facultatum episcoporum ad se trahendo. — R. Ob Ecclesiae indefectibilitatem Deus permittere nequit, ut tale quid unquam fiat. Caeterum historice constat, Romanos Pontifices id agere solitos esse, ut episcopis sua maneret sarta tecta auctoritas atque dignitas. Cf. v. g. Leonis XIII Encycl. « Satis cognitum » 29 Iunii 1896, Acta Leon. XIII v. 16 p. 205.

Ob. 2. — CIC can. 329 § 1 rationem episcopi ita exhibet : « Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum *potestate ordinaria* regunt sub auctoritate Romani Pontificis ». Iamvero ad essentiam potestatis ordinariae secundum can. 197 § 1 tantum pertinet, quod est « *ipso iure*

adnexa officio »; imo § 2 data opera docetur: « Potestas ordinaria potest esse *sive propria sive vicaria* ». Ergo non iam intrat in definitionem Episcopi dioecesani quod habet potestatem non vicariam Romani Pontificis sed propriam, uti id ad essentiam huius muneris pertinebat prius. Ergo munus Episcopi per novum CIC essentialiter mutatum est. — R. Transmitto quaestionem de sensu vocis « ordinaria », num ea scilicet hoc loco sumenda sit secundum c. 197 § 1, an potius secundum definitionem antea fere usitatam, quae potestatem ordinariam dicebat eam, quae habebatur vi muneris *et nomine proprio*. Certe episcopi in c. 329 § 1 iam eo exhibentur uti ornati potestate propria, non vere vicaria Romani Pontificis, quod dicuntur « successores apostolorum », quam dignitatem in vicariis apostolicis admittere non possumus.

Ob. 3. — Magna est *diversitas potestatis iurisdictionalis episcoporum,* v. g. secundum quod ad ritus quosdem orientales pertinent; vel, si ad ecclesiam occidentalem, secundum quod his ecclesiae temporibus vivebant vel illis; imo secundum quod eadem aetate in diversis terris ad Ecclesiam latinam pertinentibus sedem suam habent, v. g. propinquius ad Urbem, magis remote ab Urbe. — R. Salva essentia muneris, c.; ea non salva, n. Cf. assert. 2.

Assertio 2. — Salva essentia muneris episcopalis Romanus Pontifex potestates minus vel magis amplas cum eo coniungere potest, concessas mutare, revocare, ampliare, ad longius vel brevius tempus eas concedere, etc.

Arg. — *a*) Qui *potestatem plenam* regendi habet, ex ea principibus inferioribus plus vel minus concedere potest, secundum quod pro temporum atque locorum circumstantiis opportunum iudicaverit. — *b*) *Vicissitudines historicae* quas vide v. g. penes canonistas assertum confirmant. V. g. potestatem episcoporum remittendi peccata Romanus Pontifex nunc ampliorem, nunc, per quaedam peccata sibi reservata, minorem concessit.

Assertio 3. — Romanus Pontifex leges ferre potest pro fructuosa dioecesium administratione.

Arg. — *a*) Ex una parte Romanus Pontifex est *pastor pastorum,* unde ad eum pertinet omnis providentiae ratio, ut pastores subordinati animas sibi concreditas ad finem a Deo constitutum dirigant. Ex alia parte ratio principis veri sed sub-

ordinati non eo tollitur, quod secundum leges principis supremi regere debet, sicuti neque ratio principis supremi eo tollitur, quod secundum Constitutionem regat necesse est. — *b*) *Historia* idem docet. Nam inde ab initio canones pro ipsis episcopis sive in Conciliis provincialibus sive in Conciliis generalibus sive ab ipso Romano Pontifice lati sunt, quibus ratio regendi dioeceses magis determinabatur.

Assertio 4. — Romanus Pontifex potest quasdam personas et quaedam loca dioeceseos alicuius vel omnium sub se solo ut episcopo retinere, quin ea episcopo subiiciat, vel etiam ea, etsi episcopo antea subiecta erant, ab eius obedientia eximere.

Arg. — *a*) Romanus Pontifex *vi potestatis suae immediatae et episcopalis* omnium locorum atque personarum verus episcopus est; nulla autem existit lex divina, quae iuberet, omnes homines omniaque loca particularibus episcopis subiici. — *b*) *Historice* idem constat. Nam exemptiones quae dicuntur, locorum atque personarum iam a multis saeculis in usu erant. Quoad monasteria v. g. praecesserunt exemptiones a gradibus hierarchicis intermediis inter episcopos et Pontificem concessae; secutae sunt eae, quibus Romani Pontifices immediate sub se ipsis quaedam monasteria constituebant.

Cf. v. g. Wernz l. c. n. 864-8 p. 658-61; Thomassinus pars I l. 1 c. 26-37 p. 696-740.

Assertio 5. — Quaedam gravioris momenti negotia uni Romano Pontifici reservantur natura sua, quaedam positiva lege sibi reservare potest.

Arg. — *Prius negotiorum genus* constituunt sane eiusmodi negotia, quae episcopi singuli e natura sua decidere nequeunt. Iamvero talia sunt omnia ea, ad quae potestas suprema regendi requiritur. Exemplum evidentissimum habetur in decisione peremptoria in re fidei et morum. Haec enim infallibilitatem personalem requirit, quae soli capiti Ecclesiae a Deo tributa est. Huc etiam pertinet, quod episcopi a lege universali, i. e. a

Romano Pontifice pro orbe lata, per se dispensare nequeunt, quippe qui in legem superioris nullam vim exercere possint.

Secundum negotiorum genus Romanus Pontifex *a*) sibi reservare *potest*, uti evidens est. Etenim vi potestatis plenae Romanus Pontifex iam per se solus omnes causas ecclesiasticas valide decidit ipse, etsi per se ad singulas dioeceses pertinent. — *b*) *Convenit*, eum maioris momenti negotia quaedam sibi reservare, v. g. ob eorum difficultatem, vel ob bonum unitatis, ut in quadam ampliore regione, imo si ei videbitur, in tota Ecclesia disciplinae uniformitas habeatur. — *c*) Talia haud pauca Romanus Pontifex diversis temporibus sibi de facto reservavit. Ita v. g. quoad ritum sacrificii missae episcopi ipsi nihil iam determinare possunt.

Scholion. — *De nomine eiusmodi negotiorum maioris momenti* CIC hoc habet can. 220: « Gravioris momenti negotia quae uni Romani Pontifici reservantur sive natura sua, sive positiva lege, causae maiores appellantur ».

Assertio 6. — Nequit admitti illud principium: Episcopus in sua dioecesi facere potest, quidquid Romano Pontifici pro universa Ecclesia est permissum, exceptis iis, quae Romanus Pontifex sibi specialiter (vel expresse) reservavit, sed potius alterum tenendum est principium...: Episcopi..... in suis dioecesibus... illam tantum partem iurisdictionis ecclesiasticae obtinent, ad quam pro necessaria et conveniente administratione muneris episcopalis, secundum sanctiones canonicas a Romano Pontifice vocati sunt. Ita Wernz II 2^2 n. 762 p. 561.

Arg. — *E natura rei.* — Quaedam e natura ecclesiae solus Romanus Pontifex agere potest; ergo episcopus iam per se ea facere non potest, quin papa ea expresse vel specialiter sibi reservet (Cf. Assertio 5). Praeterea leges ecclesiasticae universales a Romano Pontifice latae e natura sua etiam subditos Episcoporum obligant, ab iis vero episcopus ne in sua quidem dioecesi dispensare potest, etiamsi papa hoc non expresse statuerit. Nemo enim per se a lege superioris dispensare potest.

Tandem papa in regenda Ecclesia universali ad legem canonicam non astringitur, episcopus vero in administranda dioecesi sua leges canonicas sequi tenetur (Cf. Assertio 3). — Cf. Suarez, De leg. l. 6 c. 14 n. 3-7; Bouix De episcopo pars 5 c. 9 t. 2 p. 101-6; Wernz l. c.; Bulla « Auct. fidei » n. 6-8 D. 1506-8.

§ 2. — De gradibus hierarchiae iurisdictionis intermediis inter Romanum Pontificem et episcopos dioecesibus suis praepositos.

Assertio 7. — Solus Romanus Pontifex nativo iure gradus intermedios hierarchiae iurisdictionis instituere potest.

Arg. — *a*) *E natura rei.* — Probavimus, omnes gradus iurisdictionis ecclesiasticae inter Romanum Pontificem et episcopos esse iuris ecclesiastici. Iamvero solus Romanus Pontifex habet e iure divino potestatem supra episcopos, eamque plenam. Ergo ipse solus eiusmodi gradus instituere potest. Tales superiores diversorum graduum sunt v. g. Cardinales, patriarchae, primates, archiepiscopi vel metropolitae, nuntii, in quantum etiam quamdam iurisdictionis potestatem habere solent, delegati apostolici, etc. Maiorem partem talium dignitatum Romanus Pontifex cum sedibus quibusdam episcopalibus stabili modo coniungere solebat. Necessarium id autem non est. Ita v. g. per longum tempus primas in Africa non erat certae sedis episcopus, sed qui natu maior inter episcopos erat. — *b*) Confirmant *facta historica* plurima. E quibus sola haec accipe. Concil. Chalced. petiit ut episcopus Constantinopolitanus iura obtineret sane haud inferiora iis quae habebant Antiochenus et Alexandrinus patriarcha, id quod tandem a Concil. Lat. a. 1216 approbatum est, cf. cap. 23 X de privil. V 33. — Ii apostolici viri quos Romani Pontifices medio aevo ad gentes convertendas miserunt, generatim constituebantur metropolitae eorum episcopatuum quos instituturi erant. — Evol. hist. cf. Wernz II 2² n. 715-8 p. 482-92.

Ob. 1. — Dignitas superior dignitate episcopali *iam ab apostolis instituta est* in Tito, Timotheo; exercita a Ioanne, qui ecclesias Asiae,

quibus episcopi praeerant, regebat; item a Paulo, qui ecclesias a se fundatas regebat. Ergo non a Romano Pontifice introducta est. — R. In quibus gradibus instituendis apostoli usi sunt ea potestate, quae per se, in statu ordinario Ecclesiae seu post mortem apostolorum, in solo Romano Pontifice inveniri potest. Unde derivata fuerit ea potestas, prout erat in apostolis excepto Petro, v. Rep. Scholion p. 319-21.

Ob. 2 — Leo M. de patriarchatu Alexandrino scribit: « nunquam a se ipso deficiat ». Nicolaus I in genere de iuribus sedium patriarchalium Orientis: « transferri non possunt ». Ergo Romanus Pontifex hunc iurisdictionis gradum *mutare non potest,* ergo neque eum instituit. — R. Sensus prioris dicti videtur is, non esse prudens, eiusmodi mutationem facere, id quod utique de circumstantiis moraliter iisdem intelligendum est; secundi vero, ea iura ab una sede in aliam, renitente Romano Pontifice, transferri non posse.

Ob. 3. — Ideo secundum antiquitatem christianam Antiochia et Alexandria iura patriarchalia tenent, quia in priore S. Petrus sedit, secundam per discipulum suum Marcum fundavit, qui in eam a principe apostolorum directus est. Iamvero hoc factum sane independens est a voluntate Romani Pontificis conferentis illa iura. — R. D. ant.: formaliter ob hoc ipsum factum, sine interventu voluntatis Romani Pontificis, n.; quia hoc factum unum e motivis erat, unde Romanus Pontifex movebatur, ut ea iura his sedibus conferret, c. Cf. Thomassinus Pars I l. 1 c. 7-9 incl. p. 27-31.

Ob. 4. — Secundum antiquitatem christianam eae omnes Ecclesiae alteri subiciebantur, *quae ab ea fundatae erant.* V. g. ideo eius ritum assumere debebant. Atqui iterum hoc factum historicum fundationis alicuius ecclesiae v. g. per ecclesiam Antiochenam, independens est a voluntate Romani Pontificis. — R. Romanus Pontifex legem probaverat, ut subiceretur Ecclesia filia Ecclesiae matri, id quod sane generatim aequum erat. Cf. resp. ad. Ob. 3.

§ 3. — De dioecesibus.

Assertio 8. — **Solus Romanus Pontifex nativo iure dioeceses erigere, existentes abolere, dividere, cum aliis unire, etc. potest.**

Arg. — *a) E natura rei.* — Episcopi singuli iure nativo solummodo potestatem habent gubernandi dioecesim acceptam, ea autem quae nominavimus eam facultatem omnino superant. E contra hi actus natura sua requirunt potestatem supremam in totum illud regnum, cuius partes regendae traduntur. Iamvero solus Romanus Pontifex potestatem supremam in Eccle-

siam habet. — *b*) *Historia* teste Romani Pontifices inde fere a saeculo 11° ius instituendi, dividendi vel uniendi Episcopatus sibi reservarunt. V. g. Urbanus II 1092 ep. 4, Hardouin t. VI P. II col. 1655, ad Rainoldum archiepiscopum Remensem scribit: « Solius enim Apostolici (sc. Rom. Pontificis) est, Episcopatus coniungere, coniunctos disiungere, aut etiam novos constituere ». In Syllabi prop. 51 damnata est sententia: laicum gubernium non « tenetur oboedire Romano Pontifice in iis, quae episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem » D. 1751. Historicam evolutionem praxis ecclesiae in instituendis Episcopatibus v. breviter Wernz II 2² n. 734-5 p. 521-5 cum ampla literatura; larga ratione Thomassinus Pars 1 l. 1 c. 54-9 incl., p. 185-207.

Ob. 1. — Antiquitus *episcopi* evangelium praedicabant iis ethnicis populis, qui suis dioecesibus adiacebant, atque *in regiones conversas iurisdictionem episcopalem exercebant.* Idem dic de Patriarchis, qui haud raro episcopos in eas terras mittebant, quae patriarchatui suo viciniores erant vel ad quas ex iis aditus facilius patebat. Cf. v. g. Thomassinus Pars 1 l. 1 c. 55 n. XIII et XIV p. 191. Ergo episcopi e natura sua universalem iurisdictionem habent vel saltem proprio Marte dioeceses suas ampliores reddere possunt. — R. Id factum est e lege ecclesiastica sive consuetudinis sive etiam scripta, c., e iure nativo episcoporum vel patriarcharum, n.

Ob. 2. — *Episcopatus erigebant alii praeter Romanum Pontificem.* Ita egerunt aetate apostolica singuli apostoli, uti v. g. S. Paulus Titum aut episcopum Cretensium instituit aut eum deputavit ut in Creta insula episcopatus erigeret. Posterioribus saeculis non tantum Romani Pontifices, verum etiam, imo generatim, sive Synodi episcoporum sive Patriarchae sive Metropolitae vel Primates cum comprovincialibus id egerunt. Plurimum porro intervenit tum in Occidente tum in Oriente imperatoris vel regum voluntas. Imo si Romani Pontifices novas dioeceses erigebant, consensum episcoporum et principum civilium antea expetebant. Tandem cum S. Gregorius M. ad ethnicas nationes in Anglia Apostolos misit, quibus etiam ius erigendi dioeceses conferebatur, id ideo fecit, quia vidit episcopos Gallos, « qui in vicino sunt, pastoralem erga eos sollicitudinem non habere ». Ep. 59 ad Brunechildem ML 77, 842. Ergo dioeceseum erectio nativo iure sane non ad solum Romanum Pontificem spectat.

R. Concedo facta et nego explicationem. — Ad singula: Quoad actiones apostolorum cf. Rep. Scholion p. 319-21. — Quoad actiones patriarcharum aliorumque episcoporum qui in instituendis episcopatibus partes habebant, dist.: id agebant iure nativo, n.; potestate a Rom.

Pontifice iis collata, c. Quae explicatio possibilis est, cum historia nobis mera facta exhibeat, non vero ius patefaciat, e quo facta deducebantur; necessaria vero est ob probationes supra datas. Confirmatur eo quod Romani Pontifices iam ante saeculum 11 tum multos episcopatus in diversis terris sua auctoritate erigendos curarunt, tum normas dederunt, secundum quas ab episcopis potestatem ad id habentibus instituendi essent. Cf. v. g. Leo M ep. 12 ad episcopos Mauritaniae ML 54, 646-56. — Verba vero Gregorii aliaque similia non fontem potestatis patefaciunt, sed occasionem, qua moti Romani Pontifices auctoritatem sibi inhaerentem exerebant. — Consensum eorum, quorum intererat, expetere, haud raro ad suavem gubernationis modum pertinet. Principum votis Ecclesia quantum natura rei patiebatur, obsecundabat, quia saepe episcopatus fundabant vel alios favores Ecclesiae praestabant. Quodsi ii aliquando limites potestatis suae excedebant, facta ita constituta in Ecclesia valorem iuridicum non habebant, nisi post ratihabitionem per ecclesiasticam auctoritatem concessam.

§ 4. — De muneris episcopalis consecutione vel amissione.

Assertio 9. — Solus Romanus Pontifex nativo iure ad munus episcopale assumere vel ab hoc onere suscepto liberare potest. Quod ius comprehendit personae designationem, collationem potestatis personae designatae, confirmationem personae e Pontificis concessione ab aliis designatae, translationem ab una sede ad aliam, acceptationem renuntiationis, ablationem officii sive in poenam sive ob aliud motivum.

Definitiones. — Actio *assumendi* ad munus episcopale, qui terminus a Concilio Tridentino D 968 consecratus est, omnes actus includit, qui ad id requiruntur, ut quis legitimus episcopus fiat. — Cum de sola hierarchia iurisdictionis agamus, non consideramus in episcopo potestatem ordinis, neque proinde consecrationem, qua eam potestatem accipit. In dogmate vero docetur, eam potestatem quoad valorem sive receptionis sive exercitii non pendere a superiore potestate iurisdictionis, quoad legitimitatem vero receptionis atque exercitii ab ea pendere omnino. Unde sicuti nativo iure ad solum Romanum Pontificem spectat, episcopum ad munus regendi assumere, ita eodem

iure ad eum solum pertinet legem dare, quis ordinationem conferre debeat, si ipse eam conferre aut non vult, aut non potest, si scilicet ipse ordinatione episcopali adhuc insignitus non est.

Quodsi is qui potestatem regendi supremam et plenam habet, partem eius alicui, quem vult ipse, confert, eumque ad hoc munus promovit, quin alterius voluntas eam personam determinaverit, in tali casu ipse et *potestatem episcopalem confert* et ad eam eligit, seu conferendo eligit; eo ipso enim quod uni soli potestatem dat relictis caeteris, eum eligit. At quam diversi sint conceptus eligendi atque potestatem conferendi, v. g. ex eo videtur, quod solus Deus potestatem regendi unicuique Pontifici Romano tradit, homines vero eam personam determinant, cui haec potestas a Deo tradatur.

Est enim *electio* « designatio personae ad officium ecclesiasticum promovendae legitimo quodam modo facta ». Wernz[2] II, 2 n. 352 p. 124.

Cum eiusmodi electione per se non conferatur potestas regendi, accedat necesse est eiusmodi actus superioris potestatem regendi habentis, quo ea potestas electo traditur. Qui actus vocatur *confirmatio* i. e. « approbatio electionis canonicae ad praelaturam vel officium per superiorem habentem ad id potestatem », ib. n. 382 p. 146. Aliquando confirmatio non primo conferebat potestatem, sed superior ea ratione ius electionis concedebat, ut electus immediate post electionem iam munere fungi inciperet, attamen mere ad interim, ita ut firmitas, qua munus gerere poterat, nonnisi vi confirmationis accederet, atque electus, si confirmatio non dabatur, eo ipso omni auctoritate careret. Cf. Phillips p. 396.

Ablatio officii ecclesiastici est actus, quo legitimus superior auctoritatem regendi a persona quae illam habebat stabiliter aufert. Cf. Wernz n. 534 p. 273. Quae ablatio si in poenam delicti fit, privatio officii dicitur. Depositio si de episcopis dicitur, generatim hoc sensu magis generali intelligitur.

Translatio si quoad terminum a quo respicitur, est ablatio officii prioris, si quoad terminum ad quem, est collatio officii novi. Si de translatione episcoporum ab una sede ad aliam sermo est, natura prius amittitur episcopatus unus, quam recipitur alter, ne quis duos simul habeat, ib. n. 517 p. 257.

Restitutio in eo est, quod quis eandem sedem, e qua pulsus erat, iterum regendam accipit.

Divisiones. — Romanus Pontifex, si per se ipse eiusmodi actus circa aliquam personam exerit, *immediate* confirmare, transferre etc. dicitur; si vero aliis eiusmodi potestatem concessit, *mediate*, i. e. per eos confirmare, transferre etc. dicitur. — Eiusmodi potestas a Romano Pontifice potest aut esse concessa gradibus hierarchicis intermediis inter ipsum atque episcopos per ipsam legem sive scriptam sive mera consuetudine introductam, aut in singulis casibus per proprium novum actum superioris conceditur. Priore in casu haud raro dicitur *antecedenter* data; generatim nonnisi *postea* per novum actum datur. Secundum priorem modum v. g. vicarius capitularis, canonice electus, in Ecclesia latina eo ipso est etiam confirmatus. — Si electio, confirmatio etc. per proprium actum immediatum consequentem superioris fieri debet, superior electionem etc. sibi *reservare* dicitur.

Affirmamus, *solum Romanum Pontificem* omnes actus commemoratos circa episcopos ponere posse iure *nativo*, i. e. eum solum e iure divino hanc potestatem habere, atque proinde neminem alium, sive singuli quidam episcopi considerantur sive in Conciliis collecti, nisi per concessionem Pontificis, ullum ex his actibus ponere posse. — Affirmamus papam hos omnes actus semper *valide* ponere, i. e. semper si tales actus ponat, eiusmodi potestatem revera et coram Deo conferri, auferri etc.; ad id ut *licite*, i. e. sine peccato hac potestate utatur, accedat necesse est, eum secundum normas prudentiae aliarumque virtutum procedere.

Evolutio historica.

Modus assumendi episcopos. — In Oriente. — De modo eligendi episcopos iam egimus Rep. prop. 9 p. 260. Unde hic tantum de *confirmatione* agendum est. — *Episcopi* post aetatem apostolicam confirmabantur primitus, uti videtur, ab episcopis comprovincialibus (Wernz n. 741 p. 532). At quando suam potestatem exercebant sive patrarchae, scilicet prioribus temporibus Antiochenus et Alexandrinus, sive exarchae, i. e. prioribus tem-

poribus episcopi Ephesi, Heracleae in Thracia, Caesareae in Ponto, etiam ipsi simul cum Metropolitis in hoc negotio partem habebant (ib. n. 721 p. 494; n. 741 p. 532), etsi non eodem omnino modo (cf. Hefele I² § 42 I, II p. 393-4). — *Metropolitae* a Patriarchis (Exarchis) confirmabantur (Wernz n. 721 p. 494) — Confirmationem *patriarcharum* certe iam saeculo 4 Romani Pontifices sibi reservaverunt.

In patriarchatibus quibusdam hodie existentibus e iure recentiore episcopi a Romana sede confirmantur, patriarchae vero a Romano Pontifice aut confirmantur, si a synodo episcoporum electi sunt, aut eliguntur si a synodo praesentati fuerint (ib. n. 753 p. 540-1, n. 720 p. 493-4).

In Occidente. — Nonnisi post medium saeculum quartum gradus quidam hierarchicus inter Romanum Pontificum et episcopos multis introductus esse videtur, cum ipse Romanus Pontifex eas per se ipse partes expleret, quae in Oriente a metropolitis et primatibus vel patriarchis expleri solebant (Cf. v. g. quem citavimus Zaccaria, Antifebronio, Parte II l. 1 c. 4 n. VI ed. tom. 3 p. 138-9). Excipienda est Africa, ubi iam ante Concilium Nicaenum episcopus quidam partes exarchae vel patriarchae egit. Iure ergo metropolitano etiam in alias terras paulatim introducto, metropolitis etiam *episcoporum* confirmatio concessa est (Wernz n. 718 p. 491; n. 725 p. 499) at non sine quodam consensu sive Romani Pontificis sive eorum quos sibi substituerat. *Metropolitae* vero generatim a synodis episcoporum et aliorum metropolitarum vel etiam a primatibus paulatim in Occidente exortis confirmabantur (ib. n. 722 p. 498). — Quaedam vero partes Occidentis speciali iure regebantur. Ita v. g. in Illyrico archiepiscopus Thessalonicensis potestate potius delegata Vicarius Apostolicae Sedis constitutus est, cui etiam episcoporum per eam regionum confirmatio reservata esset (ib. n. 744 p. 535). (De tota hac periodo v. Zaccaria, Antifebronio l. c, n. VII-XIX p. 139-80).

At postquam saeculo 14 ipsa electio omnium episcoporum ex iure generali Romano Pontifici reservata esset, in qua sane confirmatio includebatur, connaturaliter factum est, ut etiam confirmatio eorum episcoporum, quorum electio e privilegio apostolico aliis concessa erat, ipsi Romano Pontifici reservare-

tur. Exceptiones rarae sunt; ita v. g. archiepiscopus Salisburgensis et metropolita Lembergensis ritus Rutheni ipsi per se suos suffraganeos et eligunt et confirmant.

De ablatione officii ab episcopis. — Evolutio historica potius proponitur, ubi quaestio tractatur, num vinculum quo episcopus cum dioecesi coniungitur e iure divino indissolubile sit necne. Unde tantum haec brevissima notamus. Depositio episcoporum, metropolitarum, patriarcharum, simili iure regebatur atque eorum assumptio (Cf. F. Kober, Die Deposition und Degradation nach den Grundsätzen des kirchlichen Rechts, Tübingen 1867 c. 4 § 3 et 4 p. 379-523). Translationes episcoporum usque ad saeculum fere 9 e causa proportionata ex auctoritate Concilii provincialis fieri poterant. At saltem ab eo tempore Sancta Sedes ea sibi magis expresse et generaliter reservavit. Quam praxim Innocentius III solemniter confirmavit potius quam introduxit c. 1-4 X de translatione (1, 7). (Ampliora cf. Wernz l. c. n. 521-2 p. 260-3; Thomassinus pars II c. 60-4 incl. p. 502-22).

Adversarii.

Tum *Gallicani rigidiores* atque *Febronius* et *Pistorienses*, tum *Gallicani moderatiores* huic assertioni opponuntur. Illi explicite, in quantum docuerunt, ea iura originaria in aliis quam Romano Pontifice fuisse, v. g. in Conciliis provincialibus, in Romanis Pontificibus autem per usurpationem potius inveniri; hi implicite, in quantum tradiderunt, Romanam Sedem canonibus Ecclesiae subesse, secundum hos autem in Romano Pontifice nullum ius confirmationis etc. fuisse. Ex illis v. v. g. Dupin, De antiqua Ecclesiae disciplina, diss. 1 § 13; Febronius, De statu praesenti Ecclesiae etc. c. 4 § 3 ed. 2 Bullioni 1745 p. 240-3. E quibus principiis deducebant, episcopos etiam hodie in casibus extraordinariis, etsi voluntas Romani Pontificis nulla plane ratione intercesserit, in suis dioecesibus legitime potestate iurisdictionis frui posse. Quae doctrina inde a Sanctione pragmatica in Gallia pluries schismatis periculum creavit, uti sub Ludovico XII, Henrico IV, tempore magnae revolutionis, sub Napoleone I, de quibus plura Bouix, De episcopo t. 1 pars 2 c. 1 p. 151-3. — Quae iura divino instituto ad Romanum Pontificem spectantia at ab adversariis quos

diximus ei negata, Regalistae diversarum terrarum principibus civilibus attribuebant, uti exhibet Roskonany, De primatu etc. § 100.

Argumentum.

E Romano Pontifice in quantum habet potestatem plenam atque solus est fons immediatus iurisdictionis omnis in Ecclesia. — Episcopus e iure divino vi muneris sui tantum eam potestatem accipit, quae ad id requiritur ut dioecesim suam regat. Omnes porro hierarchici gradus inter episcopos dioecesanos et Romanum Pontificem, uti metropolitae etc., a solo Romano Pontifice potestatem omnem recipiunt, quam exercuerunt unquam vel exercent. Cf. Prop. 12 et 17. Ergo neque episcopi neque hierarchici superiores, etsi episcopi vel archiepiscopi etc. in concilio quodam uniti fuerint, eos actus ponere poterant iure nativo. Romanus vero Pontifex primo habet potestatem plenam faciendi omnia quae in Ecclesia vi iurisdictionis fieri possunt, ergo nativum ius habet, ut ea agat, de quibus hic est sermo; deinde solus eam potestatem plenam habet, ergo etiam solus tale nativum ius habet.

Applicatur hoc argumentum generale ad singulos actus de quibus sermo est. Designare personam quae dioecesim regat, designatae auctoritatem regendi conferre atque obligationem regendi ei imponere, eum qui hanc auctoritatem et obligationem habet ab eo onere liberare, in poenam eum tali munere privare, omnes hi actus e natura sua non faciunt partem eius potestatis qua singuli pastores assignatos sibi greges regunt, sed eam superant, atque proinde divino iure ad eum solum spectant, cui soli nativo iure cura totius Ecclesiae regendae incumbit. Atqui haec cura in solo Romano Pontifice e iure divino inest. Ergo ipse solus nativo iure omnes eos actus ponere potest.

Obiectiones.

Omittimus eas difficultates, quae contra singulas partes assertionis afferuntur, cum ita materia nimis crescere videatur; ponimus eas, quae fere contra omnes simul afferri solent.

Ob. 1. — Difficultas palmaris speculativa Gallicanorum atque sequacium haec erat: *Papa canonibus ecclesiasticis subest.* Canones vero isti, quibus eiusmodi actus, qui in assertione recensentur, gradibus intermediis inter Pontificem et episcopos attribuuntur, non ab universali Ecclesia sed a Romano Pontifice mutati sunt. Ergo haec nova discisciplina usurpationi Romani Pontificis debetur. — R. *N. ma.* Evidens est, papam ob suam potestatem plenam nullis canonibus ecclesiasticis ligari posse, sed omnes ab eo vim suam petere. Iamvero qui utitur iure suo nemini iniuriam facit.

Ob. 2. — *Cum de factis agatur,* ea methodus considerandi ea facta *adhibenda est,* quae factis convenit considerandis, non ideis, i. e. *methodus historica.* Atqui nos methodum considerandi facta dogmaticam secuti sumus. Ergo, cum quasi oculis male sanis rem aspexerimus, iudicium nostrum de ea rectum esse nequit. — R. D. ma.: Methodus historica sibi vult, ut facta accurate *demonstrentur* et exhibeantur *prouti erant, c.;* ut *explicentur abstrahendo ab eorum essentia iuridica,* quae insuper saepe e documentis eorum ipsorum temporum, ad quae facta pertinent, erui potest, n. Sicuti in explicandis actibus vitalibus corporis humani abstrahi nequit ab anima humana, ita in actibus auctoritatis ecclesiasticae explicandis sane abstrahi nequit a potestate primatus, quae omnis ecclesiasticae potestatis quasi anima est. Cf. Phillips V p. 361-8.

Ob. 3. — Tum origo huius disciplinae de influxu voluntatis Romani Pontificis in onere muneris episcopalis imponendo et auferendo, tum eius disciplinae mutatio *per evolutionem historicam* effecta est. — R. Si evolutionem historicam intelligis eum complexum causarum seu motivorum, quae in voluntatem Romani Pontificis influebant, ut ex incommutabili suo semperque eiusdem ambitus iure primatus nunc plus nunc minus potestatis cum gradibus intermediis inter seipsum et episcopos communicaret, c.; si evolutionem historicam ita intelligis, ac si ea sine voluntate Romani Pontificis vel saltem non per eius solius voluntatem immediate vel mediate intervenientem effecta esset, n.

Ob. 4. — Mutatio veterioris disciplinae *debetur decretis Pseudo-Isidorianis.* — R. 1) *Transeat.* Sive ea documenta huius compilationis, quae genuina non sunt, cum praxi in iis contenta in mentem Romani Pontificis aliorumve influebant ut ea disciplina mutaretur, sive non, tandem perinde est, quae res Romano Pontifici occasio fuerit, ut iure suo nativo uteretur — 2). *N. as.* Applica responsum ad ob. 8 in prop. 13 Rep. p. 302.

Ob. 5. — De facto *papa ipse toties non elegit, confirmavit* etc. episcopos. Ergo falsum est, Romanum Pontificem solum iure nativo eiusmodi actus ponere posse. — R. Dist. antec.: papa saepe non elegit etc. *immediate,* c.; *non mediate,* seu conferendo aliis suam potestatem eligendi etc., quin tamen eam amitteret, n.

Ob. 6. — Papa si olim quosdam e talibus actibus ponebat, *aliquando dicebatur agere iure devolutivo.* Imo ipse Nicolaus III in cap.

Cupientes 16 d. elect. in 6 (I 6) eadem expressione utitur. Atqui iure devolutionis agere supponit, illud ius esse primario in aliis, tantum secundario in eo, qui iure devolutionis procedit. — R. Nego hunc terminum necessario tantum hoc sensu adhiberi. Potest scilicet significare, *ius ad fontem eius originarium iterum esse devolutum,* ad eum quasi refluxisse. Id quod ita se habere probavimus. Cf. Thomassinus pars I ab initio, Responsio ad notas scriptoris anonymi in t. 1 et 2, in tertiam partem, notat. 12, folio 3 b. Phillips § 223 t. V p. 391-2.

Quae in obiectione quarta de eiusmodi actibus per Romanum Pontificem iam ante Pseudoisidoriana exercitis innuimus, multis exemplis ostendi possunt. De quibus cf. v. g Thomassinus, Phillips locis citatis. V. quoque breviter Ottiger p. 733-41. — Quoad *assumptionem* recole v. g. quod Martinus I 649 auctoritate S. Petri episcopum Ioannem Philadelphiae facultate instruxit, ut in patriarchatu Antiocheno et Hierosolymitano episcopos orthodoxos institueret. — *Transtulerunt* v. g. Bonifacius I Perigenem, Coelestinus I Proclum, S. Gregorius M. haud paucos. — Tandem v. g. Gelasius I ep. 10 sive Commonit. ad Faust. n. 5 (Thiel p. 344) haec de *depositione* habet: « In hac causa Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, et ceteri, non solum unus, sed plures, utique nomen sacerdotii praeferentes, sola sedis apostolicae sunt auctoritate deiecti ».

Caput II. — Capita doctrinae de Conciliis universalibus eruuntur e doctrina quam tradidimus de Romano Pontifice, de episcopis, de origine omnis iurisdictionis in ecclesia.

Lit. — *Turrecremata,* Summa de eccl. 1. 3, « in quo de universalibus conciliis et de eorum authoritate tractabitur », complectitur capita 59, ed. Salmant. 1560 p. 411-534. — *Caietanus,* De Comparatione authoritatis Papae et Concilii; De comparata authoritate Papae et Concilii apologia, pars 1ª et 2ª. Uterque tractatus habetur inter Opuscula Caietani ed. Bergomi 1570 p. 1-59. — *Suarez,* De fide disp. 11 s. 1-3 ed. Paris. 1858 p. 323-36. — Praecipue *Bellarminus,* Controv. tom. 1 pars 2 l. 1: De Conciliis et Ecclesia, c. 1-21 incl., ed. Ingolst. 1590 col. 1095-1159; 1. 2: De Conciliorum auctoritate, inde a c. 12-19, ib col. 1201-23 (capita anteriora agunt de infal. Conciliorum).

Wirceburgenses [3] I disp. 2 c. 2 art. 2 p. 245-67. — *Murray* III p. 152-82. — *Scheeben* I § 33 n. 512-63 p. 230-48. — *Mazzella* [2], disp. 5 art. 5 n. 1016-38 p. 795-812. — *Hurter* [12],

th. 78 p. 439-45. — *Pesch*[4] n. 446-58 p. 297-305. — *De Groot*[3] qu. 13 art. 1-5 p. 454-92. — *Tepe* th. 57-61 p. 455-84. — *Mendive* p. 223-32. — *Palmieri*[3] th. 28-9 p. 658-95. — *Billot* qu. 16 p. 699-704. — *Ottiger II* p. 709-33. — *Straub* th. 23 I p. 164-87. — *van Laak* Lith. 1903-4 I-XXV, ubi eadem divisio atque probatio assertionum, quam hic proposuimus.

Phillips, Kirchenrecht[3] II, Regensburg 1857 § 84-5 p. 237-69 — *Bouix,* De papa, ubi et de Conc. oecum. tomi III pars 8 c. 1-3 ed. 1870 p. 345-436. — *Wernz,* Ius Decret.[2] II 2 n. 842-51 p. 695-715.

J. Forget, art. Conciles, in Diction. de Théol. Cath. (Vacant) 1908 III col. 636-76. — *idem,* art. Conciles in Dict. Apol. (d'Alès) 1911 I col. 588-628.

C. J. von Hefele, Conciliengeschichte, v. 1-9, Freiburg, Herder, 1855-90, inde ab initio usque 1536; v. 8 et 9 composita sunt a Card. Hergenroether; v. 1-6 in 2 ed. edita sunt. Versionem cum additamentis cura Leclercq, Paris, Letouzey et Ané 1907 sqq.; usque 1917 v. 1-8 pars prior in 15 partibus. — *Granderath,* Geschichte des Vatik. Konzils v. I-III, v. I Freiburg, Herder 1906 l. 1 c. 2 p. 83-133 enarrantur discussiones in Congreg. Rom. habitae de quaestione, qui ad Concil. vocandi sint; l. 3 c. 1-3 p. 389-422 agitur de ordine in deliberationibus Concilii observando; v. II c. 3 p. 20-37 de numero Patrum ad oecumenicum Concilium requisito; v. III l. 1 c. 4 p. 69-89 de numero requisito ad legem conciliarem. Porro in vol. I-III ad vocem « Konzil » diversa de superioritate Pontificis super Concilium aliisque similibus quaestionibus inveniuntur.

Definitio. — Concilii oecumenici definitio, uti dicitur clara, in oppositione ad distinctam haec est: *Conventus legitimus pastorum totius ecclesiae catholicae ad deliberandum et decernendum de negotiis ecclesiae universalis, ita ut decreta supremam habeant auctoritatem.* Cf. Wernz II 1 n. 843 p. 697. Haec definitio assumitur ut inter omnes agnita atque ab omnibus ad eos conventus applicata, quae Concilia universalia dicuntur.

Con. mat. — Doctrina de Conciliis melius proponitur *postquam tractatum iam fuerit tum de munere regendi Romani Pontificis et episcoporum tum de derivatione potestatis, qua epi-*

scopi regunt, a potestate Romani Pontificis. Antea enim interna constitutio Concilii perfecte intelligi nequit.

Divisio tractationis. — Agimus de Concilii 1) convocatione 2) celebratione 3) confirmatione 4) necessitate vel utilitate. Hac doctrina stabilita sequuntur quaedam corollaria.

De *infallibilitate* Concilii oecumenici postea data opera agetur.

Art. I. — De convocatione Concilii.

Divisio huius partis. — Quaerimus 1) a quo Concilium sit convocandum ; 2) qui sint ad illud convocandi ; ad 3) quos fines convocari possit.

Quis habeat ius convocandi.

Assertio 1. — Solus Romanus Pontifex habet ius ut concilium universale convocet.

Solus Romanus Pontifex i. e. nemo alius praeter Romanum Pontificem. Non autem excluditur, eum in hoc iure exercendo posse *alios uti quaedam instrumenta adhibere,* qui eo in casu e delegatione Romani Pontificis agunt. — *Convocare* i. e. *iubere* ut certae personae, quas postea determinabimus, *conveniant ad eum finem* ut, auctoritate ab eo data ad quem eam dare spectat, *de rebus ecclesiasticis pro tota ecclesia decernant.* Iussio intelligitur aut solemnis aut non solemnis, aut expressa aut tacita, ergo iussio *vera quocumque tandem modo intimata sit.*

Arg. 1. — Eius solius est dirigere media ad universale bonum totius societatis, *cui soli bonum universale totius societatis est concreditum.* Atqui soli Romano Pontifici cura boni universalis totius ecclesiae concredita est, ipsa convocatio vero est medium ad hunc finem. Ergo solius Romani Pontificis est Concilium universale convocare.

Arg. 2. — Eius solius est, imperare omnibus episcopis, *cui soli omnes episcopi subiecti sunt.* Atque soli Romano Pontifici omnes episcopi sunt subiecti. Ergo solus Romanus Pontifex potest iubere omnes episcopos, ut ad finem ecclesiasticum promovendum conveniant.

Assertio 2. — Solus Romanus Pontifex potest conferre ius ad decernendum de rebus totam ecclesiam obligantibus vel ad totam ecclesiam spectantibus.

Decernere intelligitur omnis actus qui iurisdictione perficitur, sive legifer est, sive alius v. g. iudicialis.

Arg. — *Solus papa habet iurisdictionem in universam ecclesiam,* nemo vero episcopus eam immediate a Deo accepit vel accipit; id quod thesi 17 Rep. p. 314-9 probavimus. Atqui ad decernendum de rebus totam ecclesiam spectantibus atque *ad obligandam ecclesiam universam requiritur iurisdictio in universam ecclesiam;* haec vero iurisdictio revera est in Conciliis. Ergo solus Romanus Pontifex eam membris Concilii poterat concedere.

Scholion. — Saepe *convocatio ita intelligi videtur, ut iam communicationem potestatis comprehendat.* Quo in casu duae illae formalitates, quas assertione 1ª et 2ª consideravimus, in convocatione tantum ratione distinguendae sunt.

Qui ad concilium universale convocandi sint.

Assertio 3. — Convocandi sunt ii episcopi qui dioeceses regunt.

1) *Non quaerimus, num papa aliquando e iure divino debeat convocare Concilium,* sed num, si vult celebrare Concilium, debeat convocare episcopos eos qui dioeceses regunt. Patet has quaestiones inter se esse diversas. V. g. e iure divino nemo tenetur confiteri octavo quoque die, at si octavo quoque die confiteri vult, sane e iure divino octavo quoque die aliquam materiam absolutionis afferat necesse est.

2) Intelliguntur ii episcopi *qui dioeceses regunt,* etsi nondum consecrati sunt; non vero intelliguntur ii, qui vicariatus apostolicos nomine Romani Pontificis administrant. Neque intelliguntur ii praelati, etsi charactere episcopali insigniti, qui aliam quandam iurisdictionem habent, v. g. in congregationibus Romanis. — A fortiori non intelliguntur ii episcopi qui tantum consecrati sunt, non vero ullam iurisdictionem a Romano Pontifice acceperunt.

Arg. — Concilium est conventus pastorum ecclesiae universalis, qui sub Romano Pontifice de rebus ad universam ecclesiam spectantibus decernunt. Atqui *episcopi sunt e iure divino ordinarii pastores* in ecclesia. Ergo praecipue ipsi ad conventum pastorum ecclesiae universalis convocari debent.

Rationes cur Deus convenientissime rem ita instituerit, hae fere sunt: 1) In rebus ad disciplinam spectantibus pastores ordinarii ecclesiae speciali experientia praediti esse solent. 2) Quod ad res fidei attinet, pastores ordinarii scire solent, quid in suis dioecesibus doceatur, saltem sì agitur de iis rebus, quae explicite creduntur. 3) Episcopi etiam cum in suis dioecesibus versantur, ii sunt, qui in rebus omnibus ecclesiasticis iudicium exercent.

Scholion. — *Quaeritur, num eiusmodi viri, qui charactere quidem episcopali ornati sunt, non vero dioecesim proprie dictam regunt, e iure divino ad Concilium vocandi sint.*

Tale ius *primo* non *ex eo deducendum esse videtur, quod consecrationem acceperunt;* etenim consecratio qua talis neque ullam iurisdictionem dat, sive particularis intelligatur sive universalis, neque ius ad iurisdictionem accipiendam singulis personis confert, sed tantum specialem quandam convenientiam, ut iurisdictionem accipiant, iis tribuit, quippe cum, uti alibi probatur, *in genere* potius eiusmodi personis consecratis iurisdictio conferenda sit, quam aliis.

Secundo illud ius neque ex eo repetendum est, quod multi episcopi consecrati *quandam aliam iurisdictionem exercent,* imo talem, quae iurisdictioni episcopi simillima est; nam nulla tali iurisdictione pastores ordinarii ecclesiae constituuntur, id unum autem ex natura Concilii atque e traditione sequi videtur, pastores ordinarios eius membra esse debere.

Tandem pro illo iure neque ad id recurrendum est, quod secundum hodiernam praxim iis qui consecrationem episcopalem accipiunt, *simul assignatur titulus alicuius dioeceseos quae olim in terris infidelium existebat.* Sunt utique qui putent, eos qui consecrantur, ob hunc titulum iis attributum iurisdictionem etsi non actualem, habitualem tamen accipere, qua veri pastores eiusmodi dioeceseum constituantur. At maiori parti auctorum id non videtur.

Assertio 4. — Convenienter convocantur idque cum voce decisiva 1) cardinales, vicarii apostolici, ordinum generales etc.; 2) certis sub circumstantiis etiam episcopi solum consecrati.

C I C can. 223 § 1, n. 1, 2, 4 iubet cardinales, etsi non sunt episcopi, abbates nullius, abbates primates et abbates Superiores Congregationum monasticarum, supremos moderatores religionum clericalium exemptarum ad Concilium vocari. Praeterea ad concilium Vaticanum de facto omnes vicarii apostolici, imo omnes episcopi consecrati, etsi vicarii apostolici non erant, convocati sunt. Porro § 2 habet: « Etiam episcopi titulares vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum (decisivum), nisi aliud in convocatione expresse caveatur ». Dicimus, id *convenienter* fieri, non autem eandem convenientiam statuimus pro omnibus iis quos enumeravimus. — *Abbates nullius* sunt *ii abbates,* qui charactere episcopali quidem destituuntur, at iurisdictionem etiam in foro externo super territorium quoddam nulli episcopo subiectum habent, sive saeculares illi sunt sive regulares.

Arg. — 1) Concilium est congregatio pastorum in ecclesia Dei. Atqui *cardinales ut tales, vicarii apostolici, ordinum generales, abbates nullius* etc., etsi non habeant munus regendi divinitus institutum, tamen multas habent *partes in regimine ecclesiastico,* atque cardinales quidem *regimen quoddam universale* habere solent, caeteri autem quos diximus, *iurisdictionem quasi episcopalem* habent. Ergo conveniens et utile est, ut convocentur. Quae utilitas maxima esse potest, si scilicet ii viri e certis quibusdam muneribus, etsi ecclesiasticae institutionis, maximam experientiam in rebus ecclesiasticis gerendis hauserunt.

2) Episcopi, *etsi solum consecrati sunt,* tamen charactere episcopali insigniti sunt, atque ita *specialis quaedam convenientia adest,* ut iurisdictionem recipiant. Praeterea — id quod magis premendum esse videtur — secundum praxim hodiernam ecclesiae saepe *quaedam munera administrant,* in quibus *multa experientia* in rebus gerendis acquiritur, v. g. saepe sunt episcopi auxiliares. Ergo secundum circumstantias potest esse conveniens ut convocentur.

Assertio 5. — Convenienter ad consilium dandum convocantur etiam theologi insignes.

Theologos hic intelligimus omnes, qui secundum principia ecclesiae catholicae doctrinis theologicis operam dant. Quoad res fidei et morum indagandas *dogmatici theologi* praecipui momenti sunt, cum merito supponantur versati esse tum in traditione ipsa tum in conclusionibus, quae inde deduci possint. Ut vero res disciplinae sapienter ordinentur, uti patet, praecipue *canonistae* in consilium adhibendi sunt.

Intelligitur theologos vocari ad *consilium* dandum non ad votum deliberativum (decisivum) ferendum. Si Patres Concilii secundum consilium theologorum sententiam suam ferunt, obligatio decreti etiam de rebus fidei et morum est ex auctoritate decidendi, qua pollent Patres Concilii, non vero ex auctoritate regendi theologorum; theologi enim nullam auctoritatem regendi habent. Unde C I C c. 223 § 3: « Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati, suffragium non habent, nisi consultivum ».

Arg. — Ad decreta Concilii, quae sunt aut de rebus fidei et morum aut de rebus disciplinaribus, rite facienda requiritur norma recta. Haec vero norma recta *non datur revelatione* divina nova, ipsis Patribus Concilii impertienda, id quod postea demonstrabimus; *non formaliter ipsa auctoritate* iis collata, uti e conceptu ipso patet; *sed ipso auxilio divino, quo decreta ab errore in rebus fidei et morum servantur immunia.* Hoc autem auxilium seu haec assistentia, ex iis quae postea dicemus, supponit *naturalia media adhiberi.* Ergo ea a Patribus revera adhibenda sunt.

Illa media autem sunt ea omnia, quae iuvant, ut cognoscatur, quae sit vera doctrina de fide et moribus, quid ad convenientem disciplinam utilius sit. Iamvero *inter haec media doctrina theologorum insignium recensenda est.* Imo probabimus consensum theologorum in rebus fidei et morum a vero aberrare non posse. Quae autem sit doctrina communi consensu theologorum admissa, praecipue theologi insignes diiudicare poterunt. Ergo conveniens est, Patres Concilii eorum consiliis uti.

Assertio 6. — Aliquando etiam principes saeculares atque similis conditionis viri apte ad Concilium convocantur.

1) *Non loquimur de convocatione ad votum decisivum,* quod laicis dari non convenit. — 2) Dicimus *aliquando* eiusmodi viros apte convocari, ut insinuemus, multum a circumstantiis pendere, num id utiliter fiat. Aliquando ex eorum praesentia forte plus damni quam utilitatis praevideri posset, v. g. si principes essent ecclesiae inimici. — 3) Non dicimus convocationem eam, si fit, debere semper esse veram iussionem; si utilitas, quae speratur, minus urgens est, *invitatio sufficere poterit.* Non negamus autem, verum imperium principibus christianis imponi posse.

Arg. — Possunt esse eiusmodi circumstantiae, in quibus nonnisi a principibus saecularibus efficaciter impediri potest, quominus celebratio Concilii turbetur *ab hostibus externis vel a quibusdam Concilii ipsius membris.* Hoc ultimum si accidit, etiam cura ordinis in ipsis sessionibus Concilii servandi iis demandari potest; si primum, cura Concilii defendendi.

Praeterea prudentiae esse potest, ut, antequam certae leges ferantur, audiatur, quid de iis sentiant principes. Etenim primo utile esse potest, in rebus disciplinae statuendis etiam eorum *consilium audire,* quippe qui prudentia in rebus gerendis excellere soleant, dummodo ecclesiae bonum vere cupiant. Praeterea haud paucae leges multum in vitam et legislationem civilem influunt, v. g. leges novae de impedimentis matrimonii dirimentibus. Unde aliquando prudentia exigit, antea de iis cum principibus agere, ut eos, si latae fuerint, *facilius uti debent sequantur.* Id eo magis valebat, si uti saepe medio aevo, in Conciliis etiam de *bello sacro* v. g. contra Saracenos agebatur.

Assertio 7. — Aliquando apte ipsi haeretici vel schismatici ad Concilium vocari possunt.

1) Intelligitur convocatio quae *aut iussione aut invitatione* continetur, secundum quod ecclesiae videbitur. Iubere enim, si ei videbitur, potest, cum, uti postea probabimus, et schismatici et haeretici, utpote baptizati, ecclesiae subiecti sint.

2) *Finis,* ob quem schismatici et haeretici vocantur, *non est* is, *ut habeant vocem decisivam,* cum haeretici et schismatici quippe qui extra ecclesiam sint, ecclesiam regere non possint.

Arg. — 1) *Rei vel criminis suspecti* a legitima auctoritate ad iudicium vocari possunt, iique iussione vere tali. Atqui Concilium habet legitimam auctoritatem in haereticos et schismaticos, hi vero possunt esse rei vel criminis suspecti, v. g. ii haeretici vel schismatici, qui ipsi personaliter ab ecclesia defecerunt.

2) *Subditi iuberi possunt, ut ad finem societatis debito modo conferant, omnes vero homines* impellente charitate, invitari possunt, ut *medium aliquod adhibeant,* quo *facilius veritatem religiosam necessariam addiscant.* Atqui interesse Concilio ad hos fines utile esse potest, uti patebit ex iis quae de utilitate Conciliorum dicturi sumus. Ergo haeretici et schismatici ad eos fines promovendos, in quantum sunt ecclesiae subditi, iuberi, in quantum vero homines sunt, ab ecclesia invitari possunt, ut Concilio intersint.

Ad quid Patres Concilii convocentur.

Assertio 8. — Potest conferri Patribus Concilii a Romano Pontifice potestas decernendi simul cum se ipso de rebus ecclesiasticis sive omnibus sive quibusdam tantum.

Patribus, *in quantum considerantur uti a Romano Pontifice distincti, ab eo conferri potest potestas vera decidendi de rebus omnibus ecclesiasticis, non vero potestas suprema et independens* a potestate Romani Pontificis. Si enim alii, in quantum sunt a Romano Pontifice distincti, haberent potestatem supremam et independentem, iam essent duo capita ecclesiae atque proinde constitutio ecclesiae divinitus data mutata esset.

Arg. — Qui habet potestatem supremam et independentem et plenam regendi, e sua potestate sane communicare potest, dummodo hac communicatione non desinat in eo esse ea potestas, quae secundum constitutionem societatis, de qua agitur, in eo solo inesse potest; praeterea intra hos limites *maiore vel minore mensura* potestatem suam communicare potest.

Atqui *primo* papa, si communicat potestatem decernendi simul secum ut est caput, de rebus ecclesiasticis omnibus, non desinit solus habere potestatem supremam et independentem et plenam. Etenim ita aliis, in quantum ab ipso distinguuntur, utique communicat potestatem *extensive summam*, seu quoad omnia obiecta et personas excepto Romano Pontifice, *minime vero potestatem intensive summam* seu supremam et independentem.

Secundo, nulla potest assignari causa, qua libertas Romani Pontificis adstringatur, *cur semper tantum e sua potestate dare debeat, quantum omnino communicare potest.* Imo potest esse ratio cur nonnisi pars communicetur. Nam potest esse, ut nulla necessitas urgeat, ut decreta de multis vel omnibus speciebus rerum ecclesiasticarum fiant, sed ut sufficiat de uno vel alio genere rerum ecclesiasticarum providere. Imo potest esse nocivum concedere potestatem de omnibus rebus decernendi. V. g. tempora ita possunt esse turbulenta, ut de rebus disciplinaribus ea qua decet tranquillitate atque cum solida spe fructus vix deliberari possit, deliberatio vero de rebus fidei vix difficultatibus obnoxia sit.

Art. 2. — De celebratione Concilii.

a) Sub nomine celebrationis Concilii *comprehendimus tum ipsum convenire eorum qui vocati sunt, tum omnes actus eorum* atque Romani Pontificis qui in Concilio fiunt, usque ad confirmationem Romani Pontificis exclusive.

b) *Etiam universalitas* celebrationis, si *ipsum convenire atque permanere* in Concilio respicitur, uti universalitas convocationis, *diversos gradus admittit. Maxima* esset, si omnes qui ad Concilium ius habent atque vocati sunt, de facto in Concilio adessent. Minima est, si *ultimus limes* attingitur, quo praesente episcopatus universi orbis adhuc vere repraesentari dici possit. Qui limes Bellarmino adesse videtur, *si e maioribus provinciis ecclesiae quidam conveniunt.* Cf. De Conc. c. 17 ed. Ingolst. col. 1136.

Divisio huius partis. — De *actibus* membrorum Concilii tractaturi, *primo* inquirimus in *naturam actus principalis,* quem singula membra Concilii ponunt, i. e. in naturam *voti delibera-*

tivi, quod dant, respiciendo eum actum *quatenus a singulis procedit,* nondum quatenus omnes tales actus in unum actum synodalem conspirant. Deinde *de actibus Patrum Concilii* agimus, in quantum in unum actum synodalem conspirant. Ac primo quidem quaerimus, *quis eos actus regat;* secundo *quales sint in seipsis,* idque sub triplici respectu, scilicet *quid requiratur ut possint dici actus corporis Concilii,* quae *cognitio* actum conciliarem praecedere debeat, quae sit *vis iuridica* eiusmodi actus synodalis.

De natura voti decisivi singulorum membrorum Concilii.

Assertio 9. — Singuli Patres sunt veri legislatores et iudices relate ad omnes fideles universamque ecclesiam.

1) *Legem fert* is, qui auctoritate publica communitati normam agendi imponit. — *Iudex sensu stricto* is est, qui auctoritate publica legem latam ad actus singulorum applicat, decidendo num ii legi conformes fuerint necne. Quod iudicium saepe *determinatio poenae* sequitur.

Leges quas Concilium fert, aut sunt de rebus fidei et morum aut de disciplina. Leges de rebus fidei et morum seu *leges fidei* eae sunt, in quibus fidelibus imponitur, quid credere debeant; leges disciplinares eae sunt, in quibus aliae actiones imponuntur.

Leges fidei saepe feruntur postquam controversiae ortae fuerant, num haec vel illa doctrina credenda sit necne. Unde lex fidei saepe est simul decisio, quae inter duas doctrinas doctrinae revelatae conveniat, quae vero non. Quod si fit, lex fidei iudicium quodammodo imitatur. Atque hoc sensu *leges fidei* etiam dicuntur *iudicia* atque episcopi *iudices fidei.*

In Conciliis episcopi *partes tum legumlatorum tum iudicum de personis* sustinent.

2) Legislator et iudex *opponitur mero testi vel consiliario.* Posset utique absolute papa primo auctoritate sua convocare omnes episcopos, ut v. g. testentur quid in dioecesibus suis credatur, vel ut aliud consilium ab iis petat; deinde posset, testi-

monio vel consilio episcoporum audito, iis aut materialiter praesentibus aut etiam absentibus, ipse solus legem ferre. Quo in casu ipse solus Pontifex esset iudex vel legislator, non vero haberetur decisio Concilii cuiusdam.

3) *Ad essentiam legislatoris et iudicis non requiritur, ut ipse solus auctoritate suprema legem det vel iudicium proferat.* Hodie in omnibus fere monarchiis deputati in camera vere leges ferunt, at minime auctoritate suprema. Ubique vero a tribunali iudicis inferioris ad tribunal iudicis superioris appellari potest. Sufficit ut legem ferant, iudicium exerceant ea publica auctoritate quam habent, rem decidendo quantum ex ipsis est. Id quod ad episcopos in Concilio ita transferendum est, ut etiam ipsi singuli *statuantur veri legislatores atque iudices, at non supremi.* At nequaquam eorum auctoritas simul cum auctoritate papae plus auctoritatis est, uti in cameris auctoritas regis simul cum auctoritate deputatorum plus auctoritatis est, quam solius regis vel solorum deputatorum.

4) *Essentia actus iudicialis vel legislativi neque eo destruitur. quod decisio quae fertur, datur secundum normam, quam sequi omnino praeceptum est; neque eo, quod forte simul ipse actus e praescripto hic et nunc ponendus est.* — Primum quod attinet, potest esse, ut v. g. lex praescribat, ob certum crimen, nisi adsint circumstantiae determinatae ob quas poena minor permittitur, poenam mortis infligendam esse. Si in eo casu iudex, cum certo cognoscat circumstantias mitius iudicium permittentes non adesse, poenam mortis lege praescriptam reo addicit, nemine negante vere et proprie iudicat. Secundum quod attinet, potest esse illicitum, v. g. peccatum contra iustitiam legalem, si iudex actum condemnandi vel absolvendi omitteret. Imo non repugnat, quominus praescriptum sit, actum iudicialem *hic et nunc* exerceri. Etiam haec obligatio ex eadem iustitia legali potest oriri.

Neutrum praeceptum, neque illud de *specificatione* actus neque illud *de actu hic et nunc ponendo,* cum essentia iudicii pugnare, *illustrari apte potest exemplo iudicii quod in sacramento poenitentiae exercetur.*

Si quis immediate ante mortem cum sufficiente dispositione peccatum mortale confitetur, ipse confessarius sub peccato mortali absolvere debet, i. e. secundum normam iuris divini non

potest sententiam retentionis peccati proferre, sed debet sententiam absolutoriam enuntiare; *neque potest non agere; neque potest differre actum iudicialem,* sed hic et nunc sententiam absolutoriam subito proferre debet. Tamen nemine negante sacerdos, cum absolvit peccatorem, quem hic et nunc absolvere debet, vere actum iudicialem exercet.

Ita non repugnare videtur, quominus papa in Concilio et specificationem et exercitium actus legislativi vel iudicialis hic et nunc peragendi praescriberet. Eodem actu episcopi et obedirent suo superiori et iudicarent suos inferiores. Quamquam de facto generatim res in Conciliis ita acta non est.

5) Episcopi in Concilio sane *non possunt leges dare capiti suo*, unde dictum est, *eos erga fideles* i. e. caeteros se habere uti legislatores et iudices. Additum est, *erga universam ecclesiam,* ut exprimatur, unumquemque episcopum, cum legislator pro tota ecclesia factus sit, illo uno actu legislatorio qui ex actibus episcoporum et actu Romani Pontificis formatur, *etiam caeteros omnes episcopos* obligare.

Arg. — Iudex est, qui auctoritate publica utitur ad causam dirimendam. Atqui Patres Concilii in decisionibus conciliaribus utuntur auctoritate publica. Nam

1) hoc semper in *societate publica de qua agitur, scilicet in ecclesia*, *omnium sententia et erat et hodie est.* Est autem in societate de suis rebus constitutionalibus haec sat obvia cognitio.

2) Idem e *constanti formula* eruitur, qua Patres utebantur atque utuntur, scilicet: « iudicans subscripsi », vel simili. Iamvero non potest statui eos omnes continuo auctoritatem, quae sibi non conveniebat, sibi ascripsisse, praecipue cum supremus pastor pro officio suo cavere deberet, ne continuo omnes indebita iura sibi usurparent.

3) Idem eruitur, si consideramus, *quae personae ad Concilium cum voce decisiva convocandi sint.* Sunt enim, uti vidimus, e iure divino episcopi, qui dioeceses proprie tales regunt, e iure ecclesiastico vel ex usu qui novis ortis circumstantiis formari coepit, ii qui alias speciales partes in gubernio ecclesiastico habent. Iamvero nisi auctoritate publica regendi in actu suo conciliari uterentur, comprehendi non posset, cur tantum ii cum voce decisiva ad Concilia convocandi sint.

4) Tandem certe Patres in Concilio universali *non minore auctoritate utuntur quam in synodis dioecesanis,* in his autem auctoritate publica res decernunt.

De actibus membrorum Concilii,
in quantum in unum actum synodalem conspirant.

Assertio 10. — Solus papa habet ius nativum Concilio praesidendi.

1) Praesidet Concilio is, *quis auctoritative, i. e. exigendo obedientiam, actus membrorum Concilii ad finem eorum proximum dirigit,* i. e. ut decreta synodalia rite formentur. — Unde *non praesidet* is, *qui tantum materialiter primum locum inter episcopos occupat* vel qui accipit honores externos maiores iis qui membris Concilii tribuuntur. Talia enim v. g. imperatoribus concedi possunt, si in Conciliis praesentes sunt.

2) Affirmamus, soli Pontifici Romano inesse *ius nativum* praesidendi. Non autem negamus, eum pro natura rei posse quaedam ex iis quae ad praesidem spectant, *alii vel aliis compluribus delegare,* id quod ordinarie etiam factum est. — Imo pro circumstantiis temporum et locorum *ipsis laicis* concedi potest, ut nomine Romani Pontificis vel eius legatorum quosdam actus praesidii exerceant. Quod locum habere potest, si v. g. periculum est, ne quaedam membra Concilii ordinem deliberandi turbent etc. Hoc enim si accidit, utile esse potest, ut vi brachii saecularis terreantur vel compescantur.

3) *Actus praesidii duplicis generis* esse possunt. Quidam sunt, *quibus ipse finis Concilii in concreto magis determinatur, atque in quibus continetur nova collatio sive restrictio eius mensurae auctoritatis, quae Patribus Concilii ab initio data erat.* Talia acciderent, si Romanus Pontifex v. g. ab initio Concilio tantum potestatem contulisset ad certas res, v. g. fidei decidendas, non vero ad res disciplinae constituendas, durante Concilio autem auctoritatem Concilii ampliaret, vel viceversa. — Quidam vero sunt actus praesidii, quibus *stante eadem potestate Concilii tantum modus quo ad conciliarem decisionem tenditur magis determinatur.* — Duas has species actuum duabus partibus assertionis breviter consideramus.

Pars prior.

Arg. — *Potestas Romani Pontificis durante Concilio non est minor quam ante Concilium*, neque ipse priore decreto suo ligari potest. Atqui ante Concilium maiorem vel minorem potestatem Concilio concedere poterat. Ergo etiam durante Concilio eam ampliare vel restringere valet.

Corol. — Ergo in iure praesidendi Romani Pontificis id quoque continetur, ut *solus iure nativo determinare possit, de qua re a synodo deliberandum sit,* ut porro *ius episcoporum proponendi* de qua re synodaliter agendum sit, *tum in suo Esse tum in maiore vel minore mensura* huius iuris *a solo Romano Pontifice dependeat.*

Rationes hae sunt: *a*) *Deliberatio synodalis sane est res, quae ex natura sua est medium ad finem i. e. decisionem synodalem.* Atqui a solo Romano Pontifice habetur potestas ad decisionem synodalem ferendam. Ergo etiam ab eo solo habetur ius ad synodalem deliberationem. — *b*) Concilium tantam auctoritatem habet, quantam papa ei dare vult; ergo papa potestatem Concilii etiam ita restringere potest, ut tantum de certis rebus decernere possit. Atqui *si ipsam iurisdictionem Concilii ad certas res restringere potest, ergo etiam ea quae sunt ad talem iurisdictionem*, ergo etiam deliberationem synodalem.

Pars secunda.

Actus praesidis, quibus actus Patrum ad finem determinatum diriguntur, sunt v. g. determinare quomodo *cognitio causae* sit instituenda, v. g. num in congregationibus particularibus an generalibus; quo tempore, per quantum tempus, quo ordine in sessionibus etiam solemnibus *sit loquendum, quo loco* Concilium sit habendum vel continuandum.

Arg. — 1) *Ei soli iure nativo competit* dirigere ea quae *sunt ad actum, cuius solius est possibilem reddere ipsum actum.* Atqui solius papae est dare auctoritatem eam, quae sibi videtur, ad decisiones conciliares ferendas. Ergo etiam solius papae est, dirigere ea quae ad talem decisionem ordinata sunt.

2) Praesidere eo modo quo diximus, supponit, eum qui praesidet iurisdictionem in membra Concilii habere. Atqui *solus*

Romanus Pontifex habet iurisdictionem in omnes Patres Concilii tum singulos tum collectos. Ergo.

Scholion. — Generatim tamen non minus aequitati quam ecclesiae utilitati consulitur, si membris Concilii *ius quoddam* conceditur, ut *debito modo synodo ea decidenda proponant,* quae iis ad utilitatem ecclesiae facere videntur. Id quod historia confirmat.

Assertio 11. — Ad id ut lex corporis episcoporum sit conciliaris non requiritur, ut in ea ferenda habeatur unanimitas suffragiorum.

Unanimitas suffragiorum habetur, si omnes episcopi, nullo excepto, in suo voto concordant.

Arg. — Ut habeatur actus Concilii *nihil aliud requiritur, quam ut habeatur actus capitis coniunctus cum actu corporis* cuius caput est. Atqui, supposito actu capitis, habetur actus corporis ecclesiae, etsi non habeatur unanimitas votorum membrorum Concilii. Etenim

a) Ita se habet res saltem *in maiore parte aliorum corporum moralium. Imo alias vix unquam,* cum de hominibus agatur, *unio moralis* corporis magni cum capite haberi posset. Nulla vero ratio perspici potest, cur Christus in ecclesia sua rem aliter ordinaverit. Imo contrarium etiam e ratione speciali a priori exspectari potest. Cum enim hoc corpus morale, quod est ecclesia, caput eiusmodi habeat, in quo iam solo potestas plena resideat, etiam minus momentum attribuendum est huic corpori, in quantum a capite distinguitur, quam in aliis multis corporibus moralibus, in quibus potestas plena non iam in solo capite invenitur. — *b*) Id quod e *Conciliis confirmatur.* Vix enim ullum erat Concilium, in quo non quidam episcopi a reliquo episcoporum corpore dissidebant.

Assertio 12. — Ad id ut lex sit conciliaris aliquando sufficere videtur, ut ea procedat a papa simul cum minore parte Patrum.

Arg. — « ... minor pars Episcoporum potest esse *tanta* [eiusque rationis], ut iam *ex sese* aequali ratione, imo melius repraesentet ecclesiam universalem quam maior pars Episco-

porum in Concilio dissidentium v. g. in Concilio oecumenico cum maiore numero Episcoporum Africanorum et minore numero ex omnibus reliquis partibus Ecclesiae ». Wernz, Ius Decr. [2] II 2 n. 847 p. 715.

Ob. — Ergo *quidam episcopi sufficiunt* ad ecclesiae corpus, in quantum a capite distinctum est, repraesentandum! Dist. ant., si *et cum capite coniuncti et eius numeri et rationis sunt, ut, si soli in Concilio essent, merito dicerentur ecclesiam universalem repraesentare c.*; si hae conditiones non obtinent, n. Cf. quod ante asssertionem nonam de ultimo limite numeri, qui ad repraesentandam ecclesiam requíritur, cum Bellarmino diximus.

Assertio 13. — Si sola validitas et rectitudo decisionis conciliaris respicitur, omnis modus, quo Patres sufficientem cognitionem causae acquirere possunt, ad decisionem conciliarem sufficere posse videtur; si vero utilitas respicitur, quae e decisione conciliari merito exspectatur, generatim aptior est nova quaedam atque amplior in res decidendas inquisitio.

Pars prior.

Si mere speculative loquimur, puto per se sufficere posse, si Patres congregati tandem aliquando ex infallibili definitione solius Romani Pontificis quae synodalem actum antecederet, ad cognitionem certam pervenirent *de ea re fidei et morum,* quae explicite vel, si de decreto disciplinari agitur, implicite definienda sit.

Arg. — Ad decidendam rem sufficit habere certitudinem, id quod decidendum est, esse credendum, sive id honeste praescribi posse. Atqui *certitudo a modo quo acquiritur abstrahit.* Ergo sufficit omnis modus, quo cum certitudine cognoscitur, aliquid esse credendum vel aliquid honeste praescribi posse.

Pars altera.

Arg. — Ex una parte utilius est ad *fines decisionis,* si non fertur nisi post novam et ampliorem inquisitionem; ex alia parte e tali inquisitione vix unquam damnum timeri potest. Ergo ea generatim aptius adhibetur.

Maior probatur cum de utilitate conciliorum pro catholicis, haereticis, ethnicis agetur.

Assertio 14. — Lex conciliaris, in quantum procedit a Patribus Concilii etsi unanimiter consentientibus, abstractione facta a consensu Romani Pontificis, non est supremae auctoritatis, universam Ecclesiam peremptorie obligans.

Arg. — *Tali legi non inest auctoritas suprema.* Nam suprema auctoritas ea est, cuius nulla est maior et cui nulla est aequalis. Atqui in thesi de primatu vidimus, auctoritatem solius Romani Pontificis esse supremam, *duo autem subiecta plane distincta auctoritatem supremam habere non possunt.* Ergo auctoritas corporis episcoporum, in quantum a Romano Pontifice distinctum est, non est suprema. — Wernz, Ius decr. ²II 1, n. 850 p, 713: « ... suffragium decisivum omnium episcoporum... continet solummodo subordinatam et incompletam, non supremam et definitivam sententiam ».

Ergo eiusmodi lex nequit esse peremptoria. — Ea lex non est peremptoria, quae a maiore auctoritate potest vel non confirmari vel secundum subiectam materiam abrogari. Atque talis est lex, cuius auctoritas non est suprema. Ergo eiusmodi lex conciliaris non est peremptoria.

Art. 3. — De confirmatione Concilii.

Assertio 15. — Ad hoc ut decretum aliquod dici possit conciliare, requiritur, ut papa non solus rem dirimendam decidat, sed simul cum corpore episcoporum rem eandem dirimente.

1) *Id quod diximus requiritur ad eum finem, ut decretum de quo agitur dici possit conciliare, non vero ad eum effectum, ut adsit decretum supremae et plenae auctoritatis.* Suprema enim et plena potestas iam in solo capite habetur. — 2) Ad id ut decretum sit conciliare, requiritur ut etiam episcopi vere dirimant quaestionem, i. e. *non tantum consilium dent* Pontifici, qui solus rem dirimeret.

Arg. — Decretum conciliare est ordinatio Concilii i. e. *ordinatio procedens a voluntate capitis et corporis*, quod cum capite coniunctum est, atque ita quidem ut in danda lege moraliter uniti sint. Atqui si solus papa decidit, habetur ordinatio procedens a voluntate solius capitis. Ergo non habetur decretum conciliare. — Si vero sola deliberatio esset communis non vero ipsa legislatio, in tali casu haberetur conspiratio tantum in aliqua re, quae decretum antecedit, non vero in ipso decreto edendo, in ipsa obligatione imponenda.

Corol. — *Ergo fieri nequit ut papa declaret legem conciliarem, quae talis non erat.* Potest vero facere, ut res quae a Concilio non decernebatur, obtineat auctoritatem supremam, eo quod ipse eam decernit.

Assertio 16. — Ut lex conciliaris sit supremae auctoritatis totamque ecclesiam definitive obliget, approbatio Romani Pontificis ad eam accedat necesse est.

1) *Confirmatio Romani Pontificis intelligitur actus voluntatis Romani Pontificis externe significatus, quo cum actu corporis episcoporum in quantum ab ipso distincti legem proferunt, ipse suum, ut capitis, consensum coniungit.*

a) Intelligitur ea *manifestatio* actus voluntatis, quae etiam in aliarum legum confirmatione vel emanatione sufficit, neque maior, neque minor. Quare in eo actu *a*) non requiritur solemnitas quaedam vel scriptio vel similia. *b*) Secundum circumstantias consensus Romani Pontificis, ut in aliis legibus confirmandis ita etiam in confirmanda lege Concilii, aliquando colligi potest e quibusdam factis externis. Tale factum est v. g. externum silentium Romani Pontificis, cui decreta nota sunt, si scilicet dissensum, quem forte haberet, manifestare et poterat et debebat. Etiam *promulgatio decretorum Concilii* per Romanum Pontificem toti ecclesiae facta potest esse indicio, eum suum ut capitis consensum cum Concilio coniunxisse.

b) *Si respicitur tempus, quo hic actus papae poni debet*, sufficit omne illud tempus, quo haberi potest unio moralis inter legem corporis et capitis. Quare potest *a*) *praecedere lex cor-*

poris, sequi consensus papae. Potest *b*) *praecedere* actus capitis, sequi actus corporis. Potest *c*) *uterque actus simul poni.*

2) *Ipsius Romani Pontificis* consensus requiritur, non vero sufficit confirmatio data ab aliquo, qui auctoritatem minorem habet quam Romanus Pontifex, etsi caeteroquin amplissimam ab eo acceperit. Aliis verbis: non potest Romanus Pontifex legati arbitrio relinquere, utrum approbare velit decretum necne, dare consensum tali decreto episcoporum vel potius contradictorio, et tamen velle ut eiusmodi actus legati sit approbatio Concilii per Romanum Pontificem facta. Nam *consensum dando papa agit qua caput, in quantum supremam auctoritatem suprema intensitate exercet. Atqui hanc rationem agendi nemini delegare potest.*

Potest vero Romanus Pontifex *legati ministerio externo* uti, quo suam, papae, confirmationem huic vel illi decreto faciendam deferat. Uti enim charta ita etiam viva voce hominis sententia Romani Pontificis deferri potest. Potest etiam Romanus Pontifex confirmationem suam dare conditionate, i. e. potest iubere legatum ut declaret, papam confirmare decretum, in eo casu, in quo hoc vel illud decretum latum fuerit, id vero non declaret, si decretum aliud latum fuerit. De conformitate vero inter actionem legati atque instructionem a Romano Pontifice ei datam constare potest v. g. subsequenti silentio papae.

Arg. — Universam ecclesiam *definitive obligare non potest nisi suprema auctoritas ecclesiae supremo modo exercita.* Atqui solus Romanus Pontifex habet supremam potestatem eamque solus potest suprema intensitate exercere, lex vero corporis episcoporum nondum confirmata supremam et peremptoriam auctoritatem, ut vidimus, nondum habet. Ergo ut lex conciliaris sit supremae auctoritatis totamque ecclesiam definitive obliget, accedat necesse est consensus Romani Pontificis ut est caput totius ecclesiae.

Assertio 17. — Lex Concilii, seu lex quae procedit ab actu corporis episcoporum unito cum actu Romani Pontificis qui decisionem Patrum confirmat, est 1) actus moraliter unus; 2) peremptorius; 3) ra-

tio peremptorii in ea lege condenda ideo invenitur quia actus Patrum coniungitur cum actu Pontificis qui iam per se ipsum rationem peremptorii habet.

Pars prior.

Actus, quo Concilium legem condit, est actus *moraliter* non vero physice unus; physice enim tot sunt actus, quot Patres in concilio iudicant, addito actu papae.

Arg. — 1) *Omnes semper legem Concilii interpretati sunt ita, ut de lege una agatur,* non vero de tot legibus, quot Patres iudicantes in Concilio sedent.

2) Ad actum legislativum moraliter unum non requiritur aliud, quam ut ii qui agunt, conspirent in unum finem proximum, scilicet in obligationem unam imponendam. Atqui *actus et papae et episcoporum in eum finem conspirant, ut obligatio una omnibus fidelibus imponatur.* Ergo.

Pars altera.

Arg. — Leges Conciliorum *semper habitae sunt peremptoriae plane auctoritatis, etiam ab iis, qui de auctoritate suprema solius Romani Pontificis dubitabant vel eam negabant.* Atqui societas in re tanti momenti quoad constitutionem suam diiudicandam errare non potest. Quod argumentum tanto magis valet, quanto magis in omnibus difficultatibus extraordinariis ad Concilium recurrebant.

Pars tertia.

Arg. - *Primo,* lex totius Concilii certe *tantum ideo potest esse peremptoria, quia in ea condenda voluntas Pontificis intervenit.* Etenim actus episcoporum, sive ii respiciuntur soli sive omnes coniunctim, non sunt nisi auctoritatis essentialiter subditae et proinde non peremptoriae. Ergo id etiam valet pro eo tempore quo cum actu Romani Pontificis in actum moraliter unum coniunguntur.

Secundo. At num forte potest dici, actum Romani Pontificis legi Concilii in tantum communicare rationem legis peremptoriae, in quantum e Pontifice iubente simul cum Patribus iubentibus formaretur illud subiectum compositum, in quo solo

qua composito secundum constitutionem divinam ecclesiae auctoritas tota resideat? Minime. Ita quidem res se habet v. g. in modernis regnis constitutionalibus. In iis enim, secundum constitutionem eorum regnorum, auctoritas peremptoria legis, a rege et camera deputatorum profectae, ex eo provenit, quod voluntas regis et camerae in ea facienda conspirant. Plus enim auctoritatis habet rex constitutionalis et camera simul quam solus rex. At id in ecclesia admitti nequit. Nam *potestas plena essentialiter atque proinde semper iam in solo Romano Pontifice habetur, non vero tantum in episcopis simul cum Pontifice.* Ergo ratio peremptorii in lege Concilii ideo invenitur, *quia actus episcoporum coniungitur cum actu Romani Pontificis, in quantum ille iam per se ipsum supremam et plenam auctoritatem habet.*

Ob. — Christus Mt. 18, 18 ait apostolis omnibus: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo ». Atqui haec sane non sunt dicta apostolis qua singulis. Ergo valent de apostolorum collegio. Ergo omnes collegii partes eodem modo ad constituendam supremam et plenam iurisdictionem concurrunt. — *R.* N. consequentiam ultimae consequentis. Ex eo enim, quod haec verba diriguntur ad collegium apostolorum, sequitur utique, auctoritatem illam in collegio illo vere inveniri, modus vero quo inveniatur, his verbis non determinatur. Determinatus autem est eo, quod Dominus iam soli Petro ut huius collegii capiti dixerat: « Quodcumque ligaveris... ». Etenim ex una parte duo subiecta inter se plane distincta non possunt habere potestatem plenam, ex alia parte potestas plena data est iam soli Petro. Sequitur potestatem plenam in corpore eorum qui vere, at sub Petro, in ecclesia regunt, non posse inveniri ita ut ii ad auctoritatem plenam constituendam concurrere debeant, sed tantum eo modo, ut cum actu Romani Pontificis, qui solus iam plenam auctoritatem habet, in actum moraliter unum coniungantur.

Art. 4. — De necessitate vel utilitate Concilii universalis.

In hac assertione inter se comparamus ex una parte *decreta Romani Pontificis solius de aliqua re,* ampla etiam inquisitione praemissa, ex alia parte *decreta Concilii cum papa de eadem re,* conciliari inquisitione praemissa.

Assertio 18. — Concilia universalia non sunt necessaria ad eum finem ut habeatur auctoritas ecclesiastica plena.

Arg. — *In Romano Pontifice ipso est potestas suprema et plena*, qua maior haberi nequit. Ergo impossibile est, Concilia ad talem finem debere vel posse celebrari, ut habeatur potestas in ecclesia suprema vel plena vel maior ea, quae sine Conciliis continuo adest in ecclesia.

Assertio 19. — Non existit lex divina positiva, qua celebratio Conciliorum universalium praecipiatur.

1) Non loquimur de ea quaestione, num aliquando ob circumstantias celebratio concilii *moraliter necessaria* esse possit, de qua quaestione postea agetur. — Sed intelligimus legem divinam, qua celebratio Conciliorum *praescribatur abstrahendo a necessitate, quae e talibus circumstantiis oriretur.* Intelligimus ergo eam necessitatem, qua celebratio concilii necessaria fiat, quia est praescripta, non vero de tali necessitate, qua aliquando aliqua res ideo intelligitur esse praescripta a Deo, quia e natura circumstantiarum pro ecclesiae finibus necessaria esse videtur, Deus autem ea non velle non potest, quae pro ecclesia sua necessaria sunt. Ita v. g. munus illud determinatum episcoporum, qui pastores ordinarii sint, est necessarium, quia est a Christo praescriptum, non vero potest dici praescriptum a Deo, quia esset necessarium, ita ut Romanus Pontifex ex natura rerum sine eo ecclesiam regere non iam posset.

2) *Excludimus* legem divinam positivam *tum talem quae disertis verbis haberetur, tum talem quae ex institutione alicuius rei sequeretur, quae ipsa nonnisi e positiva institutione necessaria esset.* Excludimus ergo legem tum explicitam tum implicitam in alia lege mere positiva contentam. Prioris generis exemplum habetur in lege, qua episcopatus institutus est; alterius generis exemplum in lege, qua Romano Pontifici in ipsa institutione divina muneris episcopalis praescriptum est, ut episcopis de sua ipsius iurisdictione id omne communicet, quod ad munus episcopale ferendum necessarium est.

Arg. — *Non* adest lex divina *explicita.* De ea enim nihil habetur in Scriptura, nihil in Traditione. Deberet autem esse ecclesiae nota, praecipue cum de re maximi momenti, ipsa ecclesiae constitutione, agatur.

Non adest lex divina *implicita.* Nam haec posset tantum erui ex eo, quod auctoritas, quae est in episcopis et in Romano Pontifice, in quantum consideratur extra Concilium, celebratione Concilii complementum sui accipere deberet. Atqui hoc fieri nequit, cum potestas Romani Pontificis quae plena et suprema est, continuo *adsit in ecclesia.* Si autem putares, auctoritatem ecclesiasticam Concilii celebratione debere forte in actu secundo efficaciorem fieri, id reduceretur ad eam necessitatem, quae e circumstantiis oritur. De ea vero hic non quaeritur.

Ob. — Conciliis universalibus doctrinam de rebus fidei et morum proponentibus promissa est divina assistentia. Ergo e iure divino celebrari debent. — *R.* Assistentia divina promissa est *Romano Pontifici* tum soli tum *unito cum corpore episcoporum, abstrahendo ab eo, num sint uniendi in Concilium,* an alio modo simul cum Romano Pontifice doceant, c.; praecise prouti tantum in Conciliis adunati sunt, n. Adunatio in Concilio universali unus est modus, utique valde naturalis, quo episcopi speciali quadam atque extraordinaria ratione eam summam unionem exerunt et manifestant, qua inter se et cum Romano Pontifice in legibus dandis coniungi possunt.

Assertio 20. — Concilia universalia ad regimen ecclesiae generatim stricte necessaria non sunt ea necessitate, quae e circumstantiis oritur.

Qualis sit necessitas ex circumstantiis orta, ex exemplo patebit. Certe non est praeceptum divinum ut sacerdos equitet. Possunt autem esse *circumstantiae, in quibus praecepto ministrandi sacramenta infirmo in articulo mortis satisfacere nequit nisi equitando,* quo celerius scilicet ad locum ubi infirmus degit feratur. Quo in casu etiam e voluntate Dei est, ut equitet. Quaeritur ergo, num ea sit necessitas Conciliorum, quae remote quidem orta sit e necessitate prosequendi finem ecclesiae, proxime vero ex eo, quod hic et nunc celebratio Concilii medium unicum videtur esse, ut hic finis obtineatur. Cum affirmamus, ge-

neratim ne eam quidem strictam necessitatem Conciliorum adesse, quae e circumstantiis oriatur, non negamus aliquando veram necessitatem adesse posse, neque infitiamur generatim in iis haberi maximam utilitatem.

Arg. — Saltem generatim aliquid non est ob circumstantias necessarium, *si elementa illa*, ex quibus talis moralis necessitas oriri dicitur, *generatim alia ratione suppleri possunt.* Atqui ita res omnino se habet cum iis elementis, quae Conciliorum universalium utilitatem constituunt. Ergo Concilia generatim non possunt esse necessaria ne ob circumstantias quidem.

Ad min. — Elementa utilitatis Conciliorum universalium constituuntur ex eo, quod habetur lex ecclesiastica quae procedit, etsi nullo modo a maiore auctoritate, tamen 1) *a maiore numero auctoritatem habentium*, scilicet a corpore episcoporum, qui ex toto orbe collecti sunt; 2) *post deliberationem conciliarem.*

Atqui *primum elementum*, quod scilicet decretum procedat *a maiore numero auctoritatem habentium, qua tale non videtur tanti momenti esse,* ut inde generatim assecutio rei cuiusdam pro ecclesia necessariae pendeat.

Secundum vero elementum, quod scilicet situm est in meliore informatione e qua lex procedat, saltem generatim haberi potest *etsi episcopi in suis sedibus remanent vel synodos tantum particulares celebrant.* Possunt v. g. vota episcoporum vel synodorum scripto mitti; possunt ipsi alios mittere, quos instruant; potest S. Sedes legatos mittere, qui in diversis partibus ecclesiae per se et alios quid prosit exquirant, etc. Etsi vero hoc elementum melioris informationis *non posset haberi nisi convenientibus orbis episcopis*, tamen nondum absolute sequeretur, debere Concilium sensu stricto celebrari. Etenim formalis pars Concilii est in auctoritate universali corpori episcoporum a Pontifice data. Iamvero *sive haec auctoritas episcopis detur vel non detur, tandem aliquando eadem, absolute loquendo, potest esse informatio Pontificis per episcopos collectos facta,* eadem quoque potest esse decisio Pontificis quae locum habuisset, si episcopi cum eo decisionem tulissent. Potest enim in sua decisione consilium maioris vel sanioris partis episcoporum sequi.

Scholion. — 1) Aliquando ea *falsa opinio in parte ecclesiae viguit, non esse eiusdem plenitudinis auctoritatem Romani Pontificis atque totius ecclesiae,* atque proinde Concilium ad certas quaestiones decidendas multis plane necessarium videbatur. Forte in talibus circumstantiis atque stante tali errore Concilium universale necessarium dici poterat. *At haec aliqualis necessitas ex errore orta, atque proinde per accidens erat.* Quare in thesi non est attendenda. Neque ea necessitas hodie adhuc statui potest, cum hodie de plenitudine auctoritatis Romani Pontificis inter catholicos nullum iam sit dubium.

2) Non agimus de necessitate maiore vel minore *talis conventus episcoporum atque aliorum, qui auctoritatem in ecclesia habent, qui, quando nullus papa aderat,* auctoritate a legitimo Romano Pontifice qui se a munere abdicaverat accepta, *dispicere atque decernere debebant,* quid sit agendum vel quomodo de novo capite ecclesiae sit providendum. *Talis enim conventus, in quo deest papa, quanto tempore deest, non est Concilium,* cum ei desit membrum Concilii praecipuum, *sed est conventus sui generis,* qui tantum ob aliquas similitudines cum Conciliis universalibus hoc nomen sortitus est.

Assertio 21. — Celebratio Concilii per se est utilissima.

Dicimus celebrationem Concilii esse utilissimam *per se,* i. e. consideratis perfectionibus Concilio intrinsecis. Non vero dicimus, non posse esse elementa extrinseca, quibus haec utilitas plus vel minus minuatur, vel etiam elidatur, ita ut Concilia vel inutilia vel nociva evadant.

Arg. — In Conciliis per se habetur 1) *facilius perfectior cognitio causae,* quam per se alias haberetur; 2) semper vero habetur *decretum quod non a solo papa, sed a corpore episcopatus simul cum papa procedit.* Atqui utrumque elementum per se ad regimen ecclesiae utilissimum est. Ergo celebratio Conciliorum per se utilissima est.

Ad min. — 1) *Quoad cognitionem causae.* — Generatim melius et facilius cognoscuntur tum verae et falsae *doctrinae,* tum pericula fidei praecipue magis universalia, si tot et Patres et theologi e diversissimis terris sententias de iis inter se con-

ferunt. Unde generatim leges fidei formabuntur et in se clariores et ad utilitatem fidelium magis accomodatae. — Melius cognoscuntur peccata, abusus, necessitates magis generales. Quare etiam *leges disciplinares* generales facilius ad perfectiorem prudentiae normam diriguntur. Patet autem, has utilitates eo et certiores fore et uberiores, quo melius ipsa celebratio Concilii praeparata fuerit.

Debilibus catholicis, schismaticis, haereticis, ethnicis facilius persuadetur de veritate legum fidei. Eiusmodi enim homines fide debiliori vel nulla in infallibilitatem legum fidei, quae ex assistentia divinitus Conciliis concessa oritur, imbuuntur. Quare prae elemento divino, scilicet assistentia Spiritus Sancti, praecipue vel unice considerant *elementum humanum,* quod in decisionibus ecclesiae locum habet, scilicet *auctoritatem humanam,* quae ex diligenti usu mediorum inquisitionis nasci solet. Iamvero *hoc elementum humanum* in Conciliis universalibus *manifestius apparere solet.* Etenim et e numero et e pondere eorum qui sententias dant et e quadam inquisitionum *amplitudine* et *publicitate* manifestius apparet, quanta cum cura et traditionis divinae et rationis humanae iura in decretis fidei serventur. — Omnes vero catholici *confirmationem fidei* ex eo haurire poterunt, quod totum episcopatum in doctrina proposita convenire vident.

Similia dicenda sunt de conformitate *legum disciplinae cum regula morum* atque de ipsa earum *prudentia.*

2) *In quantum decreta a corpore episcoporum procedunt.* — Ex eo quod hae leges universales etiam ab ipso episcoporum corpore procedunt, *et ipsi episcopi quodammodo magis excitantur ut eas servent* atque in praxim deducant, *et fideles quodammodo magis ad eas afficiuntur.*

Quae maxima utilitas Conciliorum *historia splendida confirmatur.* Cf. v. g. Conc. Vat., Trid., Nicaenum 1[m].

Assertio 22. — Conciliorum celebratio per accidens aliquando bono ecclesiae nociva esse potest.

De *celebratione* loquimur *non vero de decretis,* quae forte a Concilio celebrato et confirmato procederent. De quibus ea valent, quae alio in loco de opportunitate legum ecclesiae dicenda sunt.

Arg. — Elementa ob quae e celebratione Conciliorum aliquando per accidens nocumentum pro ecclesia exsurgere potest, haec fere sunt:

Frequentia nimia vel diuturnitas Conciliorum, unde episcopi saepius atque diutius quam par est, a sedibus suis abesse cogerentur. E quo capite regimen ordinarium facile nocumentum subit, vel etiam legum disciplinarium universalium numerus facile nimium excrescit, vel earum frequentior quam par est mutatio habetur.

Aliquando periculum esse potest, ne *a quibusdam membris* Concilii sive proprio errore sive ob influxum v. g. principum saecularium, *sententiae in rebus fidei vel minus clarae vel falsae vel haereticae* proponantur. Simul fieri potest, ut talia membra sive auctoritate sua propria humana, sive auctoritate principum, qui eis favent, etiam *alia membra sive perturbent sive ab efficacia in agendo retrahant sive ad statuenda haeretica impellant.*

Aliquando periculum esse potest, ne quaedam membra, *obedientia erga S. Sedem destituta* atque simul ideis falsis de auctoritate Romani Pontificis imbuta, multos congregatos *ad schisma pertrahant.*

Etiam illud accidere potest, ut quibusdam membris Concilii, quae apud caetores magni fiunt, quaedam nova in re disciplinari magis placeant, quam par est.

Si unum vel plura ex his periculis adsunt et non simul utilitas quaedam magni momenti pro bono universali speratur, non impossibile est, ut plus nocumenti quam utilitatis in Concilio quodam celebrando insit. Quare de opportunitate Concilii convocandi nonnisi secundum normas prudentiae iudicandum est.

Art. 5. — Corollaria e thesibus de Conciliis.

Cor. I. — **Non est maior auctoritas in Concilio cum papa quam in solo papa.**

Etenim non potest esse auctoritas maior in aliqua societate quam suprema et plena. Atqui *ipse Romanus Pontifex iam solus habet auctoritatem supremam et plenam.* Ergo non est maior auctoritas in Concilio quam in solo Romano Pontifice.

Cor. 2. — Differentia inter legem Concilii et legem pontificiam non est essentialis sed tantum accidentalis.

Differentia essentialis inter leges, quarum eadem est materia, *non potest desumi nisi e parte formae seu auctoritatis.* Atqui eadem est auctoritas sive solius Romani Pontificis sive Romani Pontificis simul cum Concilio. Ergo non est essentialis differentia inter utramque legum classem.

Differentia accidentalis eiusmodi est, quae, eadem manente materia et forma legis, ex aliis capitibus provenit. Talis autem differentia accidentalis inter decreta Pontificis et Concilii habetur. V. g. *lex pontificia est ab uno,* qui auctoritatem plenam habet, *lex Concilii ab hoc uno et simul a pluribus*, qui ex auctoritate Romani Pontificis participant. *Lex Concilii* fertur *post deliberationem conciliarem,* lex *Pontificis post aliam* deliberationem.

Cor. 3. — Non potest appellari a iudicio papae ad iudicium sive corporis episcoporum, ut est distinctum a papa, sive papae simul cum Concilio.

Non potest appellari nisi ad auctoritatem maiorem. Atqui corpus episcoporum, in quantum est distinctum a papa, est subiectum papae; *corpus vero episcoporum simul cum papa non habet maiorem auctoritatem quam solus papa,* quippe qui supremam et plenam auctoritatem habeat.

Cor. 4. — Nisi agitur de materia immutabili, leges Conciliorum mutari vel abrogari possunt sive ab eodem Concilio sive a sequentibus Conciliis sive etiam a solo Romano Pontifice.

1) Agitur de *validitate* talis mutationis, quae validitas a sola auctoritate pendet; non agitur de liceitate, quae aliunde pendet. 2) *Non agitur de lege, qua res fidei et morum deciduntur.* Eiusmodi enim lex e parte materiae i. e. veritatis obiectivae quae stabilitur, immutabilis est, ita ut nunquam sive

ex toto sive ex parte mutari possit. Leges vero disciplinares, in quantum non necessario cohaerent cum rebus fidei et morum sed e prudentia normam suam recipiunt, mutari possunt.

Ratio haec est: Superior eiusdem auctoritatis atque ille qui legem tulit, eam sive mutare sive abrogare potest. Atqui tum *Concilia cum Romano Pontifice tum ipse Romanus Pontifex iam solus eandem semper potestatem plenam habent.* Ergo omnes leges mutare vel abrogare possunt.

Cor. 5. — **Possunt esse Concilia, quae fuerint particularia in convocatione vel in convocatione et celebratione, quorum tamen decreta vim habeant obligandi eandem, quam habent decreta Conciliorum universalium.**

Vis obligandi universalis est ex eo, quod auctoritas suprema et plena decreta auctoritatis subordinatae sua facit. Atqui *Romanus Pontifex decreta sua facere potest, etsi prius a solis Conciliis provincialibus vel* v. g. *generalibus alicuius regni edita sunt.*

Cor. 6. — **1) Concilia illegitime convocata atque congregata possunt incipere esse legitima. 2) Concilia legitime convocata et celebrata, possunt quaedam illegitima agere vel etiam universim illegitima fieri.**

Quoad. 1. — Potest esse, ut episcopi contra voluntatem Romani Pontificis convenerint ad deliberandum atque decernendum de rebus ad ecclesiam universalem spectantibus, atque proinde omni auctoritate ad eum finem sint destituti. Nihilominus *papa episcopis* qui etsi illegitime *iam in unum collecti sunt,* si ei videbitur, *auctoritatem ad deliberandum et decernendum de rebus ecclesiasticis dare potest.* Iamvero tali modo conventus ex illegitimo fit legitimus.

In *tali actu,* in quo Romanus Pontifex Patribus iam ut ita dicam materialiter congregatis daret iurisdictionem ad decernendum de rebus ecclesiasticis, *haberetur etiam convocatio.* Etenim Pontifex, volendo ut Patres decernant qua congregati, vult etiam

ut adsint qua congregati ; hoc autem est elementum formale in convocatione, non quod antea materialiter dispersi erant.

Quoad. 2. — Concilium legitime convocatum atque congregatum potest *decreta facere, ad quae facienda nulla auctoritas Patribus data est.* Iamvero decreta facta ab iis, qui auctoritate ad ea facienda destituti erant, illegitima sunt atque plane nulla. — Imo potest esse, ut Romanus Pontifex Concilium suspendat vel dissolvat, Patres Concilii vero continuent Concilium celebrare atque decreta facere, ac si Concilium non esset suspensum atque dissolutum. Iamvero *suspensione vel dissolutione Concilii omnis auctoritas decidendi pro ecclesia universali ab episcopis aufertur* atque tale Concilium, si nihilominus celebraretur, illegitimum fieret. Ergo quidquid tunc ita agunt, ac si Concilium universale formarent, plane illegitimum nulliusque valoris est. — Non autem dicimus, providentiam Dei permittere posse, ut tam inobedienter se gereret eiusmodi Concilium, quod de facto moraliter loquendo omnes episcopos orbis in se contineret.

Cor. 7. **— Ea decreta quae sive per illegitima Concilia sive per legitima Concilia at illegitime facta sunt, a Romano Pontifice auctoritatem accipere possunt obligandi totam ecclesiam.**

Ea quae tali modo decreta sunt, *possunt in se esse secundum normam fidei,* si de decretis fidei agitur, secundum normam *prudentiae vero,* si de disciplina agitur. Atqui *nihil obstat quominus Romanus Pontifex talia ipse statuat,* imo occasionem bonas quasdam leges statuendi ex ipsis talibus decretis illegitimis sumat. — Hoc sensu eiusmodi decreta illegitima legitima fieri dici possunt.

Difficultates quaedam historicae.

Cum historia de Conciliis in hac Universitate in historia Ecclestica tradi soleat, nonnisi quasdam difficultates ex historia haustas proponemus, quae veritatibus demonstratis adversari videntur.

Quae ut melius solvantur generatim valde conferunt quae conscripsit *C. Kneller S. I.* in Zeitschrift für Kath. Theologie : Papst u. Konzil im ersten Jahrtausend (De Papa et Concilio usque ad a. 1000; 1903 p. 1-96, 391-428 ; 1904 p. 58-91, 519-44, 699-722 ; ibid. : Die Berufung

der Konzilien (De Conciliorum convocatione) 1906 p. 1-37, 408-29; 1907 p. 51-76; ibid.: Prof. F. X. v. Funks letzter Aufsatz (De ultima commentatione, quam conscripsit...) 1908 p. 75-99. — *Ottiger* p. 716-32 rem breviter et erudite tractat. — Materia plurima diligenter collecta v. penes *Hefele*, Kirchengeschichte I² p. 1-83.

In difficultatibus de convocatione et celebratione, e synodis in Oriente habitis non considerabimus nisi eas synodos quae et convocatione et celebratione et confirmatione universales sunt. Unde omittimus synodum Constantinopolitanam I et V, quippe quae neque convocatione neque celebratione vere universales fuerint, sed tantum ob confirmationem decretorum (saltem quorundam) pro universa Ecclesia per Romanum Pontificem auctoritatem Conciliorum universalium nactae sunt. Sex synodi quae proinde considerandae remanent, ab imperatoribus piis convocatae sunt, dum Constantius et Iustinianus I, qui 2 et 5 synodum convocarunt, vim tyrannicam in res Ecclesiae exererent.

Quoad convocationem.

Ob. — Concilia oecumenica Orientis ea, quae etiam convocatione universalia erant, ab *imperatoribus christianis legitime convocata* sunt. Ergo non solus Romanus Pontifex iure nativo Concilia oecumenica convocare potest. — R. Dist. antec.: Imperatores christiani potestatem Patribus dederunt, ut de rebus ecclesiasticis legitime deliberarent atque deciderent, n.; Patres dispersos legitime adunarunt ad eum finem ut potestate aliunde accepta de eiusmodi rebus legitime deliberarent atque deciderent, sd.: *si id fecerunt auctoritate, quae eorum propria esset, n., et in tali casu tota legitimitas convocationis a convocatione Pontificis Romani proveniebat, quae semper subsecuta est; si id fecerunt potestate a Romano Pontifice accepta, cui quasi ministerialiter serviebant, c.* — Pariter dist. consequens.

Expl. — Romani Pontifices eo ipso quod legatos miserunt, qui suo nomine Concilio ad finem quem diximus obtinendum praesiderent, etiam voluerunt, ut Patres adessent qua congregati; hoc autem, ut iam dictum est in Cor. 6, est elementum formale in convocatione, non autem quod antea materialiter dispersi erant.

Ulterioris explicationis gratia haec addimus:

1) In hac responsione ex historia ecclesiastica factum illud unicum assumpsimus, quod ex una parte iam sufficit ad legitimitatem convocationis stabiliendam, ex alia vero a nemine inter doctos catholicos negatur, scilicet Romanum Pontificem ad dictum finem legatos ad Concilium misisse.

2) Quod spectat tum ad eos actus Romanorum Pontificum atque imperatorum, qui eiusmodi legatorum deputationem praecedebant, tum ad eorum inter se relationem, communissima auctorum catholicorum sententia usque ad recentissima tempora haec erat, *pios imperatores generatim non ex auctoritate, quam sibi propriam esse putaverint, Con-*

cilia ista convocasse, sed ex consensu Ecclesiae eique quasi potestate ministeriali servientes. Quod responsum iam dederant v. g. Stapleton, du Perron, Bellarminus, caeterorum in hac re fere duces.

V. g. *Stapleton,* Relectio... Contr. 6 qu. 3 de Concil. a. 1 Op. omn. ed. Par. vol. ? [deest numerus in libro quo utor] p. 813 haec habet: Imperatores duobus modis ad Concilia convocasse, uno modo « per viam exhortationis et admonitionis », alio modo « per modum authoritatis et praeceptive, sed per viam executionis et ius facti... non aliter; id est voluntatem et desiderium Roman. Pontificis, cuius est ista proprie curare et disponere, tardantibus aut etiam reluctantibus forte episcopis, pie exsequi ».

Idem proponit in scripto: A Return of Unthrutes upon M. Jewelles Replie. Antwerpe 1566, quod latine versum invenitur in Oper. omn. Paris, vol. ? p. 1199-1599. Ad nos spectant multa in art. 4 inde a col. 1234. Qui art. 4 invenitur etiam in Roccaberti, Bibl. Pontif. vol. 20, p. 124-262.

Card. du Perron de convocatione Conciliorum agit in: Replique a la response etc. éd. 3 Paris 1633 c. 42 p. 265-79; de nostra re praecipue p. 275-6. P. 275 docet: « ... les Empereurs Catholiques, et qui s'abstenoient d'user de la tyrannie sur l'Eglise, ne les convoquoient iamais, sinon ou en estâs recherchez par les Papes, ou en ayant eux mesmes recherché les Papes... ».

Bellarminus, De Conc. l. 1 c. 13 col. 1124: « Habemus ergo prima illa Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum sententia et consensu ». Loquitur de synodo 1-4, porro de Sardic.

Non autem omnino idem eiusmodi auctores statuerunt. V. g. quidam consensum potius formalem vel expressum, quidam potius tacitum assumebant. Porro non pro omni Concilio idem proponebant.

3) Recentius F. X. v. Funk, Die Berufung der ökumenischen Synoden des Altertums (De convocatione synodorum oecumenicarum veterum) in: Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen (Commentationes et inquisitiones ad historiam ecclesiasticam pertinentes), Paderborn 1897 III p. 39-86 tradit p. 56: « Ius convocandorum Conciliorum non tantum Imperatores sibi ascribebant, verum etiam aequales illud ut tale agnoscebant ». Ius intelligitur illud quod sibi ut proprium imperatores ascripserint (ib.), agnovisse illud tum episcopos tum papas (p. 70). Sedem Romanam in *Conciliis convocandis partes habuisse nullas* (p. 75). Quam sententiam v. reiectam a Kneller l. c. 1906, 1907, 1908, praecipue 1906 p. 413-29; 1907 p. 51-65.

4) Romanum Pontificem non habere ius nativum Concilia universalia convocandi statuerunt ex *haereticis* v. g. Luther in opusculo: Von den Konziliis und Kirchen (de conciliis et ecclesiis) 1539, ed. Weimar tom. 50 1914 p. 488-653; Calvin v. g. Inst. rel. christ. 1539-54 l. 4 c. 8 n. 13 ed. Baum etc. t. 1 1863 p. 612. — *Febronius,* De

statu Eccl. etc., c. 6 § 2-3 ed. 2 Bullonii 1765 p. 371-81 potestatem nativam Romani Pontificis ipse quoque omnino negat eamque e concessione principum repetit.

Quoad praesidium.

Ob. 1. — Conciliis oecumenicis Orientis, quae celebratione oecumenica erant, legitime celebratis *praesederunt imperatores eorumve procuratores*. Ergo non solus Romanus Pontifex iure nativo Conciliis oecumenicis praesidet. — Dist. ant.: in quantum Patribus mandata darent, quas leges de fide vel de aliis rebus ecclesiasticis ferre deberent, aut simul cum iis talia decernerent, n.; in quantum *honoris causa primum locum occupare solebant et saepe ordini rerum gerendarum prospiciebant*, sd.: *et haec ipsa iure proprio iis inerant, n.: ea ex concessione Ecclesiae derivabantur, c.*

Expl. 1) *Eos non* simul cum Patribus *in rebus fidei vel disciplinae decrevisse vel quae decernenda sint mandasse*, inter plurima haec probant: Constantinus I ad Patres Concilii Nicaeni I teste Eusebio, De vita Const. 4, 24 MG 20, 1172 haec dixit: « Vos quidem in iis, quae intra Ecclesiam sunt episcopi estis. Ego vero in iis quae extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus ». Porro Theodosius II procuratori suo pro Concilio Ephesino comiti Candidiano, praescripsit, « ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogma incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas est enim, qui sanctissimorum episcoporum catalogo ascriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis, sese immiscere ». Hardouin III 1346 C. Quibus similibusque verbis respondebant facta. Etenim imperatores eorumve procuratores omnino se ab ipsa synodo distinguebant. Unde v. g. in actis Concilii 6, nominatis iam praesidentibus laicis, dicitur: « conveniente quoque sancta et universali synodo ». Hardouin III 1055 C. Ipsi nunquam votum dederunt in Concilio. Tandem actis aut non subscribebant omnino aut nonnisi post episcopos, nisi aliud ab ipsis, uti in Concilio 8 petebatur: formula autem qua utebantur non erat ea quam adhibebant episcopi « definiens subscripsi », sed alia nullum gubernii actum exprimens, v. g. in Concilio 6: « Legimus et consensimus » Harduin III 1402 C.

2) Praeter praesidentiam honoris duplex aliquando a potestate laica ordo actionum exerebatur, unus qui externa, alius qui interna Concilii respiciebat. V. g. Theodosius Candidiani procuratoris sui « officium hoc esse statuit, ut homines Ephesum venientes supervacaneos inde expelleret, urbem tranquillam ac synodum tutam atque securam redderet [ecce externa], curaret etiam, ne in concilio ipso vehementes disceptationes orirentur, sed ut singuli episcopi sententiam libere proferrent, et res tranquillo modo perpensae et iudicatae communi consilio decernerentur; ut denique impediret, quominus synodi socii sua solum sponte eam derelinquerent, aut de aliis doctrinis, quam quarum causa

synodus convocata fuerat, controversiae theologicae agitarentur, vel de rebus privatis ageretur [ecce interna synodo]». Ottiger l. c. p. 724-5. Similia ipsi ordini synodi intrinseca in Concilio 6 a procuratoribus acta sunt. Quae utique nisi ex concessione Ecclesiae legitime fieri non poterant, concessit autem ea sacra synodus. Imo talia aliquando petente auctoritate ecclesiastica fiebant, ut scilicet quorumdam episcoporum turbulenta agendi ratio efficacius impediretur. Ita ipsi legati Pontificii ad Concilium Chalcedonense missi ab imperatore petierant ut ipse Concilio interesset, quod si non fieret, ne se ipsos quidem adfuturos esse, Hardouin II 49 E. Quod ut explicet, Kneller l. c. 1903 p. 7 haec effert: legati linguam graecam non satis callebant, sed interprete egebant; patriarchae Alex., Antioch., Constant. variis e causis ad praesidentiam non poterant assumi; Maximi Antiocheni ipsa legitimitas dubia erat, Anatolius Constantinopolitanus fiducia non satis dignus; simplex sacerdos a legatis deputatus in tam frequenti, tam commota 520 episcoporum congregatione ordinem promovere non poterat. Unde opportunum videbatur uti opera imperatoris atque procerum qui rerum gerendarum peritissimi erant.

Ob. 2. — Concilio Nicaeno I *Hosium* nomine Romani Pontificis *praesedisse demonstrari nequit; Ephesino et Chalcedonensi non praeerant legati Roma missi*, sed illi S. Cyrillus patriarcha Alexandrinus, huic Anatolius patriarcha Constantinopolitanus. Quae Concilia sane legitime celebrata sunt.

1) R. *quoad Hosium. Probatio tum verbis habetur tum facto.* Verbis v. g. Gelasii Cyziceni Hist. Conc. Nic. l. 2 c. 5 M G 85, 1230: «Ipse etiam Hosius ex Hispanis, nominis et famae celebritate insignis, qui Silvestri episcopi maximae Romae locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Bitone et Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit»; item testimonio S. Athanasii, v. g. in Apol. de fuga sua c. 5 M G 25, 650: «Quae synodus cui ille non praefuerit (καθηγήσατο)?» quae verba e circumstantis etiam de synodo Nicaena valent. — Quibus verbis illud factum congruit, quod Hosius cum presbyteris Romanis ante omnes episcopos caeteros Orientis etiam primarios, patriarchalibus iuribus quoad rem fruentes, subscripsit. Qui locus primus ei concessus nullam aliam explicationem rationabilem habet nisi praesidentiam. Aliae rationes adductae, quod scilicet imperatoris gratia fruebatur, meritis celeberrimus erat, ex Occidente erat, tum ab analogia subscriptionum caeterorum Conciliorum aliena sunt tum ob speciales causas nullam explicationum suppeditant. Acceptissimus Constantino erat v. g. Eusebius Caesareensis, qui tamen inter vigesimum et trigesimum locum subscripsit, uti generatim nomina subscribentium secundum provincias disposita sunt. Meritis pleni tot confessores et Martyres in Concilio sedebant. Ex occidente alii episcopi et aderant et subscripserunt.

2) *R. quod Cyrillum*, eum a Caelestino papa *primarium vicarium pro Concilio Ephesino* constitutum fuisse. Etenim legatis suis (Hardouin

I 1347 E) dicit: « Ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio facietis ». Ad Cyrillum vero ib. 1323 C., scripsit: « Auctoritate tecum nostrae sedis adscita, vice nostra usus hanc exsequeris [in Nestorium] districto vigore sententiam ».

3) *R. quoad Anatolium,* eum tantum in una sessione primo loco sententiam dixisse, in qua de eius causa agebatur. Quod ei ob honorem concessum fuisse putandum est.

Cf. de hac diff. optimam expositionem Ottiger p. 719-32.

Quoad confirmationem.

Ob. 1. — Imperatores synodos universales confirmarunt, imo synodus II eam confirmationem data opera petiit. Ergo confirmatio non spectat ad Pontificem. — D. antec. i. e. consensum praebuerunt *se submittendo et simul* decreta Conciliorum *leges imperii fecerunt,* c.; vim decretorum ecclesiasticorum supremae auctoritatis iis indiderunt, n.

Ob. 2. — Ipsi dogmatici inter se dissident, num ea 8 Concilia Orientis a Romano Pontifice confirmata sint! — D. assertum: *num vere* confirmata sint, *n.;* quoad hoc vel illud Concilium de forma confirmationis disceptatur, c., scilicet, num per actum subsequentem expressum an potius per tacitum, an tantum per mandatum absolutum antecedens, hoc vel illud definiendi, cui Patres se submiserunt.

Cur Ecclesia tunc temporis imperatoribus eas partes in Conciliorum convocatione atque praesidio concesserit.

Postquam difficultates solvimus, e re videtur esse, innuere quibus fere rationibus mota Ecclesia tunc temporis imperatoribus ea quae diximus in convocandis atque aliqua ratione dirigendis Conciliis concesserit. Quae rationes e diversis temporum circumstantiis enascebantur.

I. — Partem habebant *res iuridicae civiles.* Etenim lege Imperii, in suspicionibus ordinis politici fundata, iam diu cautum erat, ne magistratus congregationes hominum sine permissione imperatoris permitterent; Ecclesia autem terram suo dominio subiectam nondum habebat. Quod impedimentum sane quam commodissime convocatione imperatoria auferebatur. — Ecclesiae porro utilissimum erat, si Imperatores legibus a Concilio latis prompte ac subito adhaerebant, imo si decreta Conciliorum fidei etc. in leges imperii quoque evehebantur, haeretici proinde episcopi exsilio plectebantur, etc. Iamvero hoc multo facilius et suavius obtinebatur, si haud parva in indicendis et celebrandis Conciliis pars imperatoribus concedebatur.

II. — Conferebant *res pecuniariae.* Nam multi episcopi non habebant unde expensas itineris sive navibus sive curru privato faciendi solverent. Licentia autem ut curru publico, pro necessitatibus status

civilis instituto, uterentur, sive simpliciter sive plus vel minus ab ipsis imperatoribus petenda erat (Cl. Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie der Klassischen Altertumswissenschaft, B. 4 (Stuttgart 1901) ad v. cursus publicus). Si vero ipsi imperatores convocabant, ipsi quoque se promptos exhibebant, qui omnes itineris expensas solverent. Ita saltem egit Constantinus I in convocatione Nicaeni I, Constantinus Pogonatus in indicenda synodo 6 (De illo cf. Euseb., Vita Const. c. 6 MG 20, 1060 b; de hoc Hardouin 3, 1047 e). Etiam episcopis Ariminum convocatis idem offerebatur (Sulp. Sev., Hist. sacr. 2, 42). Unde videtur id moris fuisse. — Praeterea Constantinus I episcopos per totum tempus quo Concilium Nicaenum celebrabatur, sumptibus suis alebat (Euseb. ib.); simile quid de Concil. Ephesino dicendum est (Hard. 1, 1596 a b). Quare eadem de caeteris Conciliis valere videntur.

III. — Idem suadebant *mores episcoporum quorumdam eius temporis*, praecipue eorum, qui sive suipsorum sive doctrinae suae condemnationem timebant. Hi enim tum ad frequentandum Concilium tum ad vim atque fraudes in ipso Concilio evitandas efficacius movebantur, si imperatoris voluntas intercedebat in indicendis Conciliis, si legatos Pontificios iuvabat in iis regendis. Nonne v. g. militum vi illegitimus praeses Dioscurus in Conciliabulo Ephesino vota Patrum extorquere nisus erat? Quid ergo mirum, si v. g. in Concilio Chalcedonensi arma expetebantur, ut, si necesse foret, vis vi repelleretur? — Kneller l. c. 1906 p. 411-2 putat, nimium amorem indipendentiae, qui saepe animos patriarcharum, praecipue Constantinopolitanorum, posterioris temporis occupabat, impedivisse, quominus Romani Pontificis in Conciliis convocandis eorum opera apte uti possent. Per eos autem negotia quae Romana sedes cum episcopis singulis habuerit, e more temporis expediri solita esse.

IV. — Denique adiutorio non parvo Ecclesiae erant *mores eorum omnino imperatorum, qui ea 6 Concilia, de quibus nobis est sermo convocabant atque in iis partes habebant.* Etenim ii non tyrannos agebant in rebus ecclesiasticis, uti egit v. g. Constantius, sed Ecclesiae devoti atque « pii » erant, qui sua pietate moti ope Conciliorum Ecclesiae bonum promovere intendebant, id quod Nicolaus I in ep. 86 ad Michaelem imperatorem ML 119, 959 data opera effert.

Neque imperatores iubebant Romanos Pontifices ad Concilios convenire, cum, uti Nicolaus I l. c. scribit in colligendis Conciliis « non imperaverint sed precati et hortati solum exstiterint ». Id quod epistolae invitationem Romani Pontificis continentes abunde testantur, quippe quae nullam iussionem exprimant. Neque oblivioni detur, qua ratione generatim alias imperatores byzantini auctoritatem suam extollere solerent. Unde certe mero stilo curiae imperatoris tribuendum est, quod eiusmodi epistola aliquando vocatur « venerabilis iussio » (Harduin 4, 22-3). Cf. Kneller l. c. 1906 p. 413-29.

Episcopos caeteros quod attinet, quaedam sententia tenet ne illis

quidem expressionibus, quae prima fronte praeceptum continere videantur, illud de facto exprimi, sed etiam eas nonnisi consuetudini ascribendos esse, qua imperatores subditos alloquebantur. Ita v. g. Kneller l. c. 1907 p. 65-73, qui inter alias eiusmodi rationes adducit: Premi eiusmodi epistolis potius quid Deo quam quid imperatori debeant episcopi, v. g. in ep. 19 Nov. 430 qua Cyrillus ad Concilium Ephesinum vocabatur. Neque episcopos eiusmodi expressiones uti mandata interpretatos esse, v. g. S. Ambrosium ep. 10 ML 10, 940 laudasse Theodosium, quod eius epistola convocatoria ad Concilium a. 382 ea ratione concepta esset, « ut nemo deesset volens, nemo cogeretur invitus ». Neque ipsos magistratus imperiales iis formulis vera mandata exprimere voluisse; nam cum Eusebius Dorylaeensis in Concilio Chalcedonensi conqueretur, se a Dioscuro in Conciliabulo Ephesino legitime quidem convocato sed ab illegitimo praeside Dioscuro illegitime celebrato, non esse auditum, cumque Eusebius hanc excusationem referret, imperatoris iussu eum non esse vocatum, magistratus respondisse « cum de re fidei ageretur, hanc excusationem nullam esse », Evagrius, Hist. eccl. MG 86, 2556 a. — Alia sententia docere videtur, etiam mandata exprimi, at imperatores eorum vim ex auctoritate papae derivasse; cf. Stapleton, Contr. 6 q. 3 art. 1 Op. omn. t. 1 p. 813.

Corollarium ex iis, quae de constitutione iuridica Ecclesiae docuimus.

Unicum videtur esse subiectum immediatum potestatis supremae et plenae iurisdictionis in Ecclesia, scilicet Romanus Pontifex, non vero duplex licet tantum inadaequate distinctum, scilicet tum Romanus Pontifex iam solus tum corpus episcoporum quando in Concilio vel extra illud actum supremae et plenae potestatis simul cum Pontifice ponit. — Cf. *Palmieri* th. 28 n. IX p. 678-9; *Billot* th. 27 p. 569-72. — *Straub* n. 1040-1 II p. 470-1. Plura cum de simili quaestione quoad infallibilitatem activam agetur.

Expl. term. — Proxime loquimur de corpore episcoporum in *Conciliis* congregato; at quod dicimus ob paritatem rationum etiam ad *corpus episcoporum* applicandum est, in quantum *extra Concilium* forte simul cum Pontifice actum supremae et plenae potestatis ponit.

Immediatum subiectum supremae et plenae potestatis dicimus illud, cui ipse Deus immediate potestatem supremam et

plenam regendi dat. Affirmamus ergo, tale subiectum esse solum Romanum Pontificem, Concilium vero nonnisi per Romanum Pontificem talis potestatis particeps fieri. Quam Romani Pontificis mediationem non ita intelligimus, ac si ille esset mera conditio sine qua non, cuius scilicet coniunctio cum episcopis sibi subditis, vi cuius unum cum ipsis corpus pastorum decidens constituit, esset pro Deo conditio sine qua non, qua sola stante ipse Deus iterum immediate soli corpori episcoporum, incluso sane Romano Pontifice, potestatem supremam et plenam conferret, praeterquam quod Romanus Pontifex eam a Deo iam antea solus acceperit. Sed hanc mediationem ita intelligimus, ut corpus episcoporum ideo tantum supremae et plenae potestatis particeps fiat, quia episcopi participes redduntur exercitii eius potestatis supremae et plenae, quae a Deo immediate soli Romano Poniifici data est, eo scilicet quod eorum actus ad actum supremae et plenae potestatis Romani Pontificis assumuntur.

Arg. — I. Episcopi, cum Romano Pontifice per legitimam obedientiam et veram fidem coniuncti, tamen ab eo ut a capite suo, adaequate distinguuntur, saltem si eatenus considerantur, *quatenus cum eo non in unum actum decisivum supremae et plenae potestatis concurrunt.* Eatenus ergo sine dubio nullo modo potestatem supremam et plenam habent. Alias non iam essent Romano Pontifici subditi; essent ergo in Ecclesia duo subiecta inter se independentia potestatis supremae et plenae. Ergo non iam esset primatus unius in Ecclesia.

II. Episcopi vero *aliquando simul cum papa actum supremae et plenae potestatis ponunt.* Etenim lex Concilii ex una parte est actus moraliter unus tum papae tum corporis episcoporum cum eo coniuncti, ex alia parte est actus supremae et plenae potestatis iurisdictionis. (Cf. Sectio V c. II De conciliis, ass. 17). Quaeritur quomodo hic actus iuridice explicandus sit.

III. Hic actus potestatis supremae et plenae, moraliter unus, communis tum Romano Pontifici tum corpori episcoporum cum eo coniunctorum, ita explicandus esse videtur:

1) *Episcopi simul cum papa non formant aliquod subiectum, cui, uti est aliquod totum, a solo Romano Pontifice et a solo corpore caeterorum episcoporum distinctum, Deus immediate potestatem supremam et plenam conferret,* ita ut coniunctio actuum

episcoporum cum actu Romani Pontificis in actum moraliter unum esset mera conditio sine qua non, qua stante Deus immediate toti Concilio potestatem supremam et plenam daret. Etenim Deus immediate soli Romano Pontifici potestatem supremam et plenam regendi confert, omnem vero potestatem iurisdictionis, quae est in aliis, nonnisi Romanus Pontifex confert (Cf. prop. 17 Rep. p. 314-9).

2) In ipso hoc actu decisivo conciliari potestatis supremae et plenae, quem episcopi simul cum Romano Pontifice ponunt, *episcopi* et actus eorum imperant quidem toti Ecclesiae, seu subditis, at *relate ad ipsum Pontificem etiam in tali actu et ipsi et actus eorum Romano Pontifici subditi sunt* atque ab eius potestate suprema et plena omnino dependent. Etenim in omni momento, et relate ad omnes actus episcoporum Romanus Pontifex necessario est petra Ecclesiae, pastor, rector, claviger. Unde sequuntur haec:

a) Hic actus supremae et plenae potestatis communis Romano Pontifici et episcopis *nequit ita explicari: Romanus Pontifex* natura prius *totam suam potestatem supremam et plenam iis communicat* et deinde ipse quoque cum iis ex sua parte actum supremae et plenae potestatis ponit. Etenim si Romanus Pontifex Patribus a se sane distinctis talem potestatem communicaret, ipsi, etsi in hoc actu solo et ob hunc actum solum, tamen revera ipsi, uti ab eo distincti, non iam essent Romano Pontifici subditi, ipsi essent — per impossibile — Pontifex, Romanus Pontifex desisteret esse caput Ecclesiae, primatus unius in Ecclesia periisset.

b) *Neque* hic actus ita *explicari potest:* Romanus Pontifex *partem* suae potestatis supremae et plenae Patribus *communicat, partem vero tantum eius potestatis sibi retinet,* deinde hanc partem cum parte Patribus communicata coniungit, e qua coniunctione ille actus supremae et plenae potestatis procedit. Nam potestas suprema et plena continet in se quidem omnem potestatem subordinatam, at ea altior est, cum sit essentialiter independens et non subordinata, ergo neque e duabus partibus coalescere potest, e quibus una subordinata est, alia, etsi in Romano Pontifice forte non diceretur subordinata, nata tamen est, quae esset subordinata, cum in se communicabilis sit.

c) *Neque* hic actus *ita explicari potest:* Romanus Pontifex partem utique suae potestatis episcopis communicat, ipse vero *plenitudinem suae potestatis retinet* quidem, *at eam in actu illo potestatis supremae et plenae,* qui totì Concilio i. e. episcopis et papae communis est, *non exerit*, sed àgit, ac si tantum partem eius potestatis haberet, v. g. ac si esset tantum unum e reliquis membris Concilii. Siquidem explicandus est actus potestatis supremae et plenae. Hic autem, ut iam diximus, non subsistit, si potestas qua actus ponitur, coalescit e potestate subordinata et ea, quae saltem nata est, quae esset subordinata.

IV. Unde nihil remanere videtur, quam ut hic actus supremae et plenae potestatis communis Romano Pontifici et Patribus *ita explicetur:* In tantum episcopi actum potestatis supremae et plenae ponunt, in quantum *actus eorum constituunt actum moraliter unum cum actu ipsius Romani Pontificis, qui actus solus per se ipsum actus potestatis supremae et plenae est.* Actus proinde episcoporum potestate suprema et plena ipsi quoque imperant, at in quantum et solummodo in quantum coniunguntur cum actu Romani Pontificis, qui solus ex immediata Dei largitione potestatem supremam et plenam habet, in quantum ergo ad eius actum supremae et plenae potestatis immediate a Deo acceptae assumuntur; imperant dico potestate suprema et plena, at non per se, sed per Romanum Pontificem.

Iamvero hoc idem esse videtur atque unicum esse subiectum immediatum potestatis supremae et plenae regendi in Ecclesia.

LIBER II. — DE INFALLIBILITATE ECCLESIAE.

INTRODUCTIO.

De infallibilitate tum generice sumpta, tum in specie ecclesiastica.

Notio infallibilitatis.

1) Quamvis radix etymologica fallendi in quibusdam linguis adhibeatur ad significandum etiam eiusmodi actum mentis, quo voluntas a regula boni deficit, uti v. g. gallice faillir à son devoir, tamen infallibilitas latine non significat nisi quandam impossilitatem ut a regula veri deficiatur. Cum deviatio a vero error

vocetur, magni auctores, praecipue antiquiores ad exhibendum donum infallibilitatis ecclesiae generatim talibus formulis utuntur, quae errorem exclusum esse edicunt, v. g. « ecclesia in doctrina proponenda errare nequit » etc. Cf. v. g. Bellarm., De Conc. eccles. auctor. l. 2 per totum.

2) Vox quidem infallibilitatis negativa est, at non significat meram absentiam erroris in subiecto quod iudicii vel doctrinae incapax est, ut in lapide, sed aliquam perfectionem positivam in subiecto, quod capax est iudicii formandi vel simul doctrinae proponendae.

3) Infallibilitas non significat tantum eam positivam perfectionem quae consisteret in mera absentia actualis erroris in iudicio aut in doctrina proposita, sed addit ad hanc actualem carentiam erroris quandam erroris in iudicando vel docendo impossibilitatem. Quae impossibilitas utique concipienda est ut antecedens ipsum illum actum adhaesionis vel doctrinae qui erroris expers est, non mere eam consequens.

4) Fallere aliquando adhibetur ad significandum eum actum, quo quis falsitatis iudicii a se prolati conscius, alium ad eundem errorem pertrahit, non vero pro eo actu, quo quis erronee putans se vera dicere, alium ad eundem errorem obiectivum perducit. Infallibilitas vero ecclesiastica a nobis ita intelligitur, ut a subiecto docente et credente omnem omnino errorem in doctrina vel fide removeat, non tantum culpabilem, verum etiam inculpabilem.

Divisiones quaedam infallibilitatis.

1) Aliquis potest esse infallibilis aut in solo iudicio interno quod format, aut in eo etiam, ut iudicium verum recte exprimat recteque expressum alios doceat. Illa est infallibilitas in sentiendo vel iudicando, haec in docendo.

2) Duplex habetur ratio magisterii, primo magisterium quod dicitur simpliciter docens, quodque eum qui audit perducere nititur ad praestandum assensum ob rationes rei intrinsecas; secundo magisterium, quod interponit auctoritatem seu dignitatem loquentis, ut ei propter eius scientiam et veracitatem credatur. Cui duplici magisterio duplex respondet assensus:

priori respondet assensus scientificus seu actus scientiae, alteri assensus auctoritatem qua talem amplectens seu actus fidei. Cf. Inst. theol. fund. II n. 7 p. 4; n. 148 p. 115.

Magisterium, quod auctoritatem interponit, iterum diversae rationis esse potest. Dignitas loquentis ut ei credatur, potest oriri ex eius dotibus naturalibus perspectis. At potest etiam esse, ut ea oriatur ex eo, quod Deus loquenti potestatem dedit assensum absolute firmum imperandi, eamque, uti patet, infallibilitatis dono munivit.

Huiusmodi infallibilitas in docendo ea est, quam pastoribus ecclesiae catholicae vindicabimus; cui in subditis respondit infallibilitas in credendo.

Haec infallibilitas in docendo, idque auctoritative, in iis qui huic locutioni auctoritativae credunt, infallibilitatem in iudicando et adhaerendo quodammodo producit, ergo speciali modo, si ipsa linea infallibilitatis consideratur, in eos agere dicenda est. Ideo speciali modo infallibilitas activa vocatur. Ob eandem rationem infallibilitas quae ex eo provenit, quod ii qui credunt, ad fidem infallibiliter veram ab auctoritate infallibili se determinari sinunt, speciali modo infallibilitas passiva vocatur. Qui enim determinatur, aliqua ratione passive se habet. — Patet, ex hac expressione non sequi, hominem in credendo id quod auctoritas infallibilis docet, non se habere active, vel non ponere eiusmodi actum qui sub variis rationibus valde perfectus sit.

3) Infallibilitas absoluta saepe dicitur ea, quae errorem circa omnia obiecta excludit; relativa, quae eum tantum a cognitione quorundam obiectorum removet. Ecclesiae infallibilitatem tantum relativam ascribemus, eam scilicet quae versatur in veritatibus revelatis atque in iis, quae cum revelatis connexae sunt.

4) Infallibilitas imparticipata ea est, quae a nemine concessa est, neque in se neque in causis suis, qualis utique in solo Deo est; participata ea, quae in se vel in suis principiis a Deo data est. Patet nos ecclesiae tantum participatam attribuere.

5) Infallibilitas naturalis ea est, quae habetur e solis principiis naturae sibi relictis; praeternaturalis (seu supernaturalis) ea, quae a naturae viribus, in quantum sibi solis relictae sunt, haberi nequit, ita ut saltem extraordinaria providentia di-

vina ad eam stabiliendam necessaria sit. Infallibilitas ecclesiae e principiis praeternaturalibus descendit. Unde natura extraordinaria doni infallibilitatis ecclesiae patet.

Causae infallibilitatis.

1) Infallibilitas formaliter est in illa perfectione sive doctrinae sive fidei, qua ex Dei dono repugnat eam unquam a vero aberrare. Quae perfectio formaliter inest in actu secundo, in ipso iudicio sive in ipso actu docendi.

2) Causa vero efficiens, per quam vel modus quo Deus tale donum extraordinarium producere poterat, multiplex est.

a) Poterat dare pastoribus scientiam infusam vel novam semper revelationem eiusque rectum usum, ad eum finem, ut ea quae olim revelata erant retinerent, caperent, explicarent, fidelibusque recte proponerent.

b) Poterat ad eundem finem superioribus concedere inspirationem ad loquendum et scribendum, cum qua, uti in tractatu de inspiratione docetur, omnimoda inerrantia coniuncta est. Quo in casu Deus esset causa prima locutionis pastorum ecclesiae, ipsi vero pastores tantum causa secunda.

c) De facto tamen, uti probabitur, infallibilitas ecclesiae neque ex revelatione originem habet neque ex inspiratione neque e scientia infusa, sed ex assistentia oritur seu ex auxiliis actualibus efficacibus providentiae divinae a Christo promissis, quae Ecclesiae activitatem comitantur. Ampliora de *natura* doni assistentiae mox videbimus.

3) Causa finalis infallibilitatis ecclesiasticae proxima est, ut modo quodam facillimo omnes possint credere universam revelationem a Christo impertitam vel approbatam; remota autem, ut totum genus humanum uniformi ratione ordinetur ad videndum Deum eiusque mysteria in visione beatifica.

4) Si infallibilitatem denique consideramus relate ad subiectum in quo inhaeret, ad ecclesiam, est aliqua eius proprietas. Nam supposito, Deum eam causam finalem ecclesiae, libere utique, statuisse quam mox n. 3 diximus, ipsa infallibilitas e tali fine moraliter emanat; nam Deus eam ob eum finem efficere debet, ne scilicet sui ipsius ordinationi deesse

dicendus sit. — Quae proprietas dicitur dos, ut significetur, quam pretiosa sit atque perfecta haec « sponsae Christi » proprietas.

5) Distinguitur ergo infallibilitas ecclesiae ab ea, quae Dei vel omnis hominis propria est.

Dei infallibilitas v. g. est imparticipata, absoluta circa omnes veritates, rationem habens in infinita perfectione physica essentiae divinae. Ecclesiae vero infallibilitas est a Deo concessa, limitata ad quendam etsi magnum numerum veritatum, rationem habens non in naturae cuiusdam physicae perfectione, sed in auxiliis efficacibus corpori sociali ecclesiae concessis.

Hominis uniuscuiusque infallibilitas est circa paucas quasdam veritates naturales, uti prima principia, et rationem habet in physica perfectione omnis intellectus humani. Ecclesiae autem infallibilitas est circa veritates plures numero et sublimiores natura, cum circa veritates supernaturales uti primarium suum subiectum versetur; rationem habet in auxiliis ex libera voluntate Dei ortis, qua ut liberrimus institutor ecclesiae infallibilis auxilia, humanae naturae indebita, ei concedit.

Sectio I. — De subiecto infallibilitatis ecclesiasticae.

Con. mat. — Prius de *subiecto* infallibilitatis inquirimus, deinde de eius *obiecto*; per subiectum enim infallibilitatis plene cognitum de obiecto infallibilitatis secundum omnem eius ambitum et determinationem plenius et facilius instruemur. Interim obiectum tantum generali quadam ratione exhibemus.

Divisio. — De subiecto infallibilitatis agentes primo probabimus, Iesum Christum iis ipsis, quos eum munere regendi ecclesiam instruxisse in priore parte tractatus demonstravimus, illud quoque mandatum dedisse, ut evangelium *praedicarent*, hominibus vero caeteris, ut eorum praedicationem firma fide admitterent. Deinde *infallibilitatem ecclesiae* considerabimus.

In subiecto autem infallibilitatis tractando *prius statum ordinarium Ecclesiae* proponimus. In quo ipso *prius* eos consideramus, qui *vi muneris regendi divinitus instituti* infallibiliter docent. Ac primo quidem *ratione generaliore de magisterio hoc*

infallibili Collegii apostolici in aeternum viventis agemus, eo quod primo factum institutionis eius probamus, secundo eius intimam naturam, praecipue contra Protestantes, enucleamus. — Deinde *distinctim exhibebimus subiectum* huius infallibilitatis activae in Ecclesia. Quod constituunt tum apostoli eorumque successores, episcopi Ecclesiae catholicae, in quantum cum capite suo Petro eiusque successoribus doctrinam sive per orbem dispersi sive in Concilio collecti proponunt, tum ipse iam solus Petrus uti caput Ecclesiae, eiusque in primatu successores. Quibus magistris in docendo infallibilibus adiungimus fideles, quippe qui in credendo doctrinam ab his magistris propositam errare nequeant.

Secundo loco eos tractamus, qui huic magisterio infallibili Ecclesiae *quasi instrumentaliter serviunt* atque proinde, in quantum ab eius ductu non recedunt, a vero aberrare nequeunt, qui sunt Patres atque theologi si in consensu docent.

Postquam ordinem infallibilitatis in statu Ecclesiae ordinario cognovimus, his magistris iamiam utentes, eos addimus, qui in *statu extraordinario* Ecclesiae praeter ordinarium modum infallibiliter docendi, quo apostoli uti Collegium fruebantur, etiam extraordinario modo infallibiliter docebant, qui erant apostoli qua singuli.

Lit. — *Stapleton,* De principiis fidei doctrinalibus, ll. 12, 1. 8, 1579 ed. Paris 1620 Op. omn. I p. 263-308 (cf. etiam l. 9, 10). — *Bellarminus,* De controversiis, De Verbo Dei l. 3, ed. Ingolstadt, col. 159-199; De Conc. l. 2 col. 1160-1223; De eccl. mil. c. 11, 14, 17 col. 1269-70, 1276-9, 1288-91. — *Murray* disp. 11 v. II p. 169-436. — *Franzelin,* De Traditione et Scriptura thes. 1-21 p. 3-268. — *Scheeben* I n. 56-615 p. 38-268. — *Palmieri,* De Rom. Pont. § 20-47 ed. 3 p. 161-247. — *Wilmers,* De Eccl. th. 12 p. 72-6, th. 63-70 p. 372-409. — *De San,* De div. Trad. et Script., Brugis 1903 plurima e. c. 1-11 p. 5-298; De Eccl. pars 3 n. 2 p. 177-201. — *Ottiger* th. 1 p. 1-49; e th. 8 pars 6 p. 318-250. — *Straub* n. 828-62 II p. 187-214. — *Billot.* [3] th. 16 p. 350-92. — *Mich. d'Herbigny* S. I., Theologica de Eccl. I, 1920 I th. 11 p. 150-70 de collegio apostolico, II th. 27 de eccl. — Lit. de infallibilitate Romani Pontificis separatim afferemus.

Pars I. — De statu ordinario infallibilitatis ecclesiasticae.

Caput I. — De subiecto infallibilitatis Ecclesiasticae in genere.

Art. 1. — De institutione magisterii infallibilis.

Cum dicimus, Iesum Collegio apostolorum in aeternum viventi mandasse, ut doctrinam suam toti mundo praedicaret, eique infallibilitatis donum contulisse, non dicimus, singula membra huius Collegii in aeternum viventis qua singula idem recepisse mandatum idemque donum. Imo videbimus, in ipso hoc Collegio, prout in aeternum vivet, solum caput eius mandatum recepisse ut sicuti omnes omnino fideles caeteros ita ipsa huius Collegii membra doceret, eumque solum pro se ipso iam solo hoc infallibilitatis dono gaudere. — Neque hic determinamus, quae sint *conditiones* ad hoc requisitae, ut hoc Collegium qua tale magisterium suum supremum exerat. Hoc faciemus, postquam demonstraverimus, quae sit ratio Capitis Collegii in doctrina proponenda.

Propositio 18. — Iesus Christus apostolos eorumque in aeternum successores evangelium praedicare, populos vero omnes illud credere iussit.

Expl. term. — Hac thesi non ad amussim ea omnia determinamus, quae termino « evangelium » comprehenduntur; num v. g. etiam ea, quae Dominus post ascensionem suam per Spiritum Sanctum apostolis revelaturus erat, vel etiam ea, quae e verbis suis sequuntur. *Certe* complectitur *verba Domini*. Ita v. g. Io. 17, 8: « verba, quae dedisti mihi, dedi eis ». Ad quem finem? Quia homines « credituri sunt per verbum eorum in me ». Io. 17, 20.

[***Qual.*** — De fide div. cath.]. — De ***adversariis*** cf. v. g. De revel. christ. p. 72-3; Theol. fund. Rep. prop. 9 p. 252-3.

Arg. I. — **E verbis Christi.** — Mc. 16, 14-5: « ....recumbentibus *illis undecim* dixit eis: Euntes in mundum universum

praedicate evangelium omni creaturae. Qui *crediderit* et baptizatus fuerit, *salvus* erit; qui vero *non crediderit, condemnabitur* ».

Illud mandatum etiam de *successoribus apostolorum* valere, Dominus explicite pronuntiavit Mt. 28, 19-20: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque dixi vobis; et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». Etenim propositione 9 Rep. p. 253-4 probavimus, haec verba ad ipsos apostolos eorumque in aeternum successores directa fuisse. — Cf. quoque Io. 15, 16-7, Act. 1, 8, alia multa.

b) Quo in officio praecipua causa sita est, cur Iesus apostolos tanta cura in doctrina sua *instruxerit*. Cum enim in electione apostolorum duodecim discipulos ad apostolatum electos vocaret ad se « ut essent cum illo », id magna ex parte ideo factum est, ut eos prae caeteris doceret, tum eo quod iis speciali ratione ea explicabat, quae populum iam docuerat, uti v. g. Mt. 13, 18-30 ubi apostolis parabolam de seminante exponit, tum eo quod multa iis solis proponebat, cf. v. g. Mt. c. 18 et 19, Io. c. 13-18 in ultima coena, Act. 1, 3 de apparitionibus post resurrectionem.

Ad eundem finem pertinebat, quod apostoli Mt. c. 10 *missione temporaria* a Christo accepta atque ad illud mandatum explendum instructione propria muniti *Iudaeis in Palaestina praedicarunt*.

Completa autem est apostolorum praeparatio *missione Spiritus Sancti*, Act. 1, 8; 2, 1-13.

Arg. II. — **E persuasione apostolorum, quae verbis et factis ostenditur.** — S. Paulus Act. 13, 47 *docet* de omnibus apostolis valere, quod a Deo Messiae dictum est: « Sic enim *praecepit nobis* Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae ».

Unde ex eius mente etiam de omnibus apostolis valet, quod de se ipso confitetur: « Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens (ἑκών) hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus (ἄκων), dispensatio mihi concredita est. » 1 Cor. 9, 16-7. Cf. quoque Act. 22, 21; 26, 16-21; Rom. 1, 14.

Unde indefesso labore sancti apostoli *praedicationis munere functi* sunt. « Illi autem profecti praedicaverunt ubique ». Ac primo quidem inter Iudaeos « omni die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum » Act. 5, 42; deinde in orbem dispersi ubique Iudaeos atque paganos doctrina a Christo accepta imbuebant.

Mens vero apostolorum de eodem munere *per successores suos* explendo confirmatur ex eo, quod primo successores constituebant in munere regendi (cf. prop. 12 Rep. p. 289-90), secundo iisdem etiam doctrinam futuris quoque temporibus praedicandam tradiderunt. Cf. epistulas pastorales S. Pauli, v. g. 2 Tim. 2, 1-2; 1 Tim. 6, 13-4; Act. 20, 17-31.

Arg. III. — **E persuasione aetatis primaevae christianae.** — Ipse acerrimus adversarius huius theseos, Ad. Harnack, Dogmengeschichte I⁴ p. 183 nota 3 e p. 180 confitetur: « Duodecim (apostolos) unanimi consensu unum atque idem nuntiasse, mundo (non tantum Iudaeis) eos id nuntiasse, *ad eum finem eos a Christo electos esse,* communitates (christianas) testimonium duodecim apostolorum ut normam possidere... theses sunt summi momenti, contentae vel in iis reliquiis literaturae *ecclesiarum ethnico-christianarum, quas primas inter omnes novimus* ».

Quare, uti in re evidenti, sufficiat adducere Clem. Rom. ad Cor. c. 42, 1-3 ed. Funk p. 153: « *Apostoli nobis evangelii praedicatores facti* sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo, Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim e voluntate Dei. Itaque *acceptis mandatis* et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt, adnuntiantes regni Dei adventum ».

Propositio 19. — Iesus Christus Apostolis eorumque successoribus in aeternum donum infallibilitatis contulit. — *Cf. Lith. p. 82-93.*

[***Qual.*** — *Saltem de fide divina catholica.* — *Videtur* etiam *definitum esse* in Concil. Vat. 1839, cum definitum sit, Romanum Pontificem *ea infallibilitate* pollere, « qua divinus Redem-

ptor *Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam voluit* ». Nam primo sermo est de Ecclesia docente, cum agatur de *definienda* doctrina; secundo, de apostolis eorumque successoribus, quia semper in persuasione ecclesiae erat, eos ecclesiam docentem constituere].

Adv. — *Protestantes liberales et Modernistae omne donum infallibilitatis respuunt* atque respuere debent, cum nullam fidem infallibilem admittant, quae tamen est finis doni infallibilitatis. — *Protestantes orthodoxi* infallibilitatem apostolorum admittebant; ecclesiae vero posteriori magisterium externum infallibile abiudicabant aut pro omni tempore posteriore aut saltem pro tempore inde a 5 vel 6 saeculo. Quidam omne magisterium externum, etsi fallibile, removebant.

A. Argumenta directa.

Vocamus argumenta directa ea, quibus directe probatur ipsum magisterium apostolorum atque eorum, qui iis succedunt, esse infallibile; indirecta ea quibus directe probatur, generatim ecclesiam universalem esse infallibilem, indirecte vero ex hac veritate probata ad infallibilitatem magisterii apostolorum eorumque successorum concluditur.

Arg. 1. — E Scriptura.

Mt. 28, 18-20. Verba « *Ego vobiscum sum* » significant adiutorium efficax ad exsequendum mandatum quod datur. — *Cf. Rep. p. 215.*

Verba « usque ad consummationem saeculi » significant « usque ad ultimum iudicium ». — *ib. p. 215-6.*

Mandatum autem hoc est, ut doceant, quaecumque Iesus docenda mandavit. Ergo cum Iesus auxilium efficax ad hoc mandatum exsequendum promiserit, certo certius ab iis quos alloquitur ea quae docenda mandavit, semper docebuntur, idque vi auxiliorum, quae ipse promisit.

Mc. 16, 15-6: « Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur ».

a) Christus iubet omnes homines amplecti evangelium, prout ab apostolis proponetur. Atqui Christus nequit praecipere fidem in errores. Ergo id *quod apostoli praedicabunt sine erroribus erit.*

b) Agitur de *apostolis prout in aeternum vivunt.* Nam locus est parallelus Mt. 28, 20; officium credendi et baptizandi in aeternum obligat, ergo de praedicatione in aeternum durante sermo est.

Io. 14, 16-7, 25-6; 15, 26-7; 16, 13. A multis ita fere hi versus explicantur:

a) Sermo est *de mandato docendi,* 17, 18: « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ».

b) Sermo est de *auxilio divino* (abstrahimus interim a divinitate Spiritus Sancti, quippe quae nondum demonstrata sit a nobis) ad hoc mandatum exsequendum: 14, 26: « ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero [dixi, εἶπον] vobis ». — Quod auxilium cum nullam conditionem appositam habeat, inconditionatum intelligendum est.

c) Sermo est de auxilio *efficaci.* Tale enim sonant ipsa verba 16, 13 « docebit vos omnem veritatem », i. e. inducet vos in omnem veritatem (ὁδογήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν), i. e. eam revera addiscetis.

d) Sermo est *de apostolis in aeternum viventibus.* Nam Iesus dat Spiritum Sanctum loco sui, cum iam in coelum abiturus esset. Carent autem Domini praesentia etiam successores apostolorum. Praeterea his magis opus est auxilio divino quam ipsis apostolis. — Ad universam ecclesiam applicant hunc vel illum locum Ioannis: Iren., Haer. 3, 17, 23; Tertul., De praescr. c. 28; S. Pacianus, Ad Sempronianum Ep. 1 n. 3; S. Hilarius, In Ps. 125 n. 7.

Caeterum de disssensu auctorum catholicorum quoad valorem huius argumenti e Io. speciatim pro tempore post aevum apostolorum v. v. g. Corluy, Spic. I 1884 p. 28. De argumento hoc pro tempore apostol. v. v. g. Ottiger p. 13-6; d'Herbigny p. 157-60; pro tempore etiam post aevum apostolorum multa affert de San. De eccl. p. 185-6, 192-5.

Ob. — Actus fidei, qui Christianis obligatorius est, e variis rationibus *non necessario connexus est cum veritate eorum, quae creduntur,*

seu cum veritate obiecti materialis fidei. — R. Rationes hae singulae data opera et exponuntur et refutantur in *Tract. de Fide* vel *Lith. p. 89-92*

Arg. 2. — **E persuasione antiquitatis christianae.**

Singula quaedam testimonia. — **S. Irenaeus,** adv. haer. 4, 26, 2 M 7, 1053-4: « ..... eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his *qui successionem habent ab apostolis,* sicut ostendimus; qui *cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum beneplacitum Patris, acceperunt;* reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae ».

Origenes, De Principiis l. 1 n. 2 MG 11, 116: « ...cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, *servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita* et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione ».

Vincent. Lirin., Comm. 1 c. 22 ML 50, 667: « Quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter universa ecclesia vel specialiter *totum corpus praepositorum,* qui integram divini cultus scientiam vel habere debent, vel aliis infundere ».

Persuasio et modus procedendi universalis. — Pontifices et episcopi ut successores apostolorum *continuo sibi vindicabant* potestatem infallibiliter docendi, sive in conciliis universalibus coadunati erant sive aliter in consensu docebant; *fideles vero* aut eos ut infallibiles veritatis doctores *audiebant,* aut, si non acquiescebant, uti haeretici habebantur. Ergo in omnibus persuasio de hac potestate vigebat.

Argumenta indirecta.

Cum neque S. Pauli neque Patrum vel Ecclesiae catholicae auctoritatem infallibilem divinitus stabilitam iam demonstraverimus, *ex auctoritate S. Pauli atque Patrum humana arguimus.* Inter caetera, quae in tali argumento formando attendenda esse saepe ostendimus, iuverit animo haec revolvere: 1) Ii quorum testimonia afferimus, habebant Ecclesiae infallibili-

tatem plane uti unicum medium ad conservandam in mundo veritatem christianam, quam ingenti amore uti unicam salutis viam pro omnibus hominibus prosequebantur. Unde testes isti sibi conscii erant, se, si in ea infallibilitate asserenda *mentirentur*, ingens crimen commissuros esse. 2) Haec ecclesiae infallibilitas iis non poterat non videri res valde extraordinaria, cotidie ante oculos eorum versantibus tot ac tantis hominum etiam quam maxime cultorum falsis in re religiosa erroribus, considerata multitudine et sublimitate veritatum retinendarum et explicandarum, attenta conditione humili eorum qui eam conservare debere dicebantur, etc. Quare, ut ab aliis abstrahamus, iam connaturaliter movebantur ut argumenta pro ea asserenda *attente ponderarent*.

Arg. 1. — E verbis Pauli 1 Tim. 3, 15.

Lit. — *Ex exegetis Cornel. a Lapide* in l. — *Knabenbauer*, Com. in Thes. Tim. Tit., Paris 1913 p. 234-6. — *Prat*, Théologie dé S. Paul v. II p. 434-5 nota. — *Belser*, Die Briefe des Apostels Paulus an Tim. u. Tit., Freiburg 1907 p. 86-9.

E dogmaticis: Murray II p. 223-7; 300-11. — *Palmieri* § 20 p. 153-8. — *De San* p. 188-90. — *Wilmers* n. 44, 2 p. 72-4. — *Scheeben* I n. 183 p. 97. — Omnia ample evolvit *Ottiger* II p. 326-34. — Straub II n. 835-41 p. 194-6.

Protestantium recentiorum exegesim, in qua iam a sententiis veterum Protestantium recedere solent v. v. g. *von Soden*, Pastoralbriefe, 1893 p. 327. — *Wohlenberg*, Pastoralbriefe, 1911 p. 190-3. — *B. Weiss*, Die Briefe Pauli an Tim, u. Tit., 1902 p. 150-4.

Textus: « 14. Haec tibi scribo, sperans me venire ad te cito. 15. Si autem tardavero, ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis [στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀλήθειας]. 16. Et manifesto magnum est pietatis sacramentum, quod [I] manifestatum est in carne, [II] iustificatum est in spiritu, [III] apparuit angelis, [IV] praedicatum est gentibus, [V] creditum est in mundo, [VI] assumptum est in gloria ». Sex ergo perfectiones mysterio pietatis ascribuntur.

Notae criticae.: « te » in v. 15 universaliter statuitur non genuinum, cum illud omittant cod. meliores, Patres graeci et veteres latini. Cf. iam Estius; Knabenbauer. — in v. 16 loco « ὅ, quod » vel « θεός », quod habet textus receptus, legendum omnino videtur ὅς, uti iam habet S. Hieronymus, quae particula Christum significat, unde 6 illae perfectiones quas distinximus ipsi Christo ascribuntur; lectio « quod » proxime incarnationis mysterium exhibet.

Contextus. — Hic locus *quasi culmen omnium eorum constituit, quae apostolus usque ad illum locum Timotheo scripserat* C. 1 enim monuerat, quanta perfectione praedicatio, c. 2 quanta perfectione cultus, c. 3 quanta perfectione regimen superiorum ecclesiasticorum moderanda sint. Nunc reddit *rationem intimam* cur « haec » omnia praescripsit, tanta perfectione observanda sint. Nempe haec omnia *fieri debent digne ecclesia Dei, pro qua et in qua haec omnia fiunt!*

Explicatio has partes complectitur: Priore parte quaestio grammaticalis solvenda est, a qua soluta sensus omnino dependet: scilicet contra multos Protestantes ostendemus, incisum « columna et firmamentum veritatis » coniugendum esse cum inciso « ecclesia Dei vivi », non vero (aut 1) cum voce « Timotheus », quae aut in « te » aut in « scias » subintelligenda sit, (aut 2) cum inciso « pietatis sacramentum ». Tertia quaedam sententia, incisum « columna... » trahendum esse ad voces « Dei vivi », tam singularis est, ut eam considerare non iuvet. — Qua re grammaticali demonstrata probabimus primo, inciso « domus Dei, quae est ecclesia Dei vivi » designari ecclesiam universalem; deinde, inciso « columna et firmamentum veritatis » ecclesiam universalem edici infallibilem.

N.B. Usum vocis « Ecclesia » quod attinet, ea aliquando intelligitur Ecclesia *universalis e docente et discente composita;* aliquando sola Ecclesia *docens,* aliquando sola Ecclesia *discens.* Pro nostro autem argumento perinde est, quid pro hoc loco eligas. Si compositam e docente et discente, certe haec includebat docentem, qua discens regulabatur; si docentem, habes formaliter ipsam thesim; si discentem, ea cogitabatur uti normam accipiens a docente et per eam infallibilis (Cf. pars 1). — Ad singula:

A. — Incisum « columna et firmamentum veritatis » referendum est ad incisum « ecclesia Dei vivi », non vero ad « Timotheus », neque ad « pietatis sacramentum ».

Protestantes inde ab a. 1540 generatim negarunt incisum illud « columna » ad incisum « ecclesia... » referri. At recentiores Protestantes iam solent concedere, id ex « polemica contra ideam catholicam de ecclesia » uti infallibili factum esse, uti se exprimit Protestans H. A. W. Meyer, Kritisch-Exeg. Handbuch über die Briefe Pauli[4] 1874 ; idem re habet v. g. B. Weiss, inde ab ed. 5 p. 154 nota. Pauci incisum illum « columna... » referebant ad Timotheum, fere omnes ad « mysterium pietatis ». At scientia contradicente id agebant.

I. — Incisum « columna et firmamentum veritatis » referatur oportet ad incisum « ecclesia Dei vivi ».

a) *Rationes externae.* — Versiones antiquae omnes, Patres graeci et latini, omnes auctores catholici, hac ratione coniungunt. Hodie ipsi Protestantes recentes a sententia patrum suorum recedere atque eamdem connexionem atque catholici statuere solent. Qui saeculorum atque quasi factionum consensus rem et claram et certam esse demonstrat.

b) *Rationes internae.* — Incisum « columna et firmamentum veritatis » ex una parte immediate adiacet ad incisum « ecclesia Dei vivi » ; ex alia parte non refertur ad alia illa subiecta, quibus diversae Protestantium veterum sententiae illud attribuebant. Ergo huic sensui evidenter obvio standum est.

II. — Incisum « columna et firmamentum veritatis » non refertur ad Timotheum.

a) *Ratio grammaticalis.* — Illud incisum « columna... » si ad Timotheum referendum esset, cum ipsum nomen Timothei hic non occurrat, referendum esset aut ad incisum « quomodo oporteat *te* », aut ad vocem « *scias* » aut ad incisum « me ad *te* venire cito ». Iamvero illud « te » in inciso priore non est genuinum, porro etsi genuinum esset, et hoc ipsum et duo alia dicta incisa nimium distant ab inciso « columna... ». Imo inter

illa incisa, in quibus est sermo de Timotheo et incisum « columna... » aliud subiectum interiacet, scilicet « ecclesia Dei vivi ». Unde incisum « columna » nequit ad unum ex illis incisis trahi, in quibus est sermo de Timotheo.

b) *Rationes e contextu et natura rei haustae* ab auctoribus afferuntur praecipue hae:

1) Si Timotheus hoc loco ut columna omnis veritatis celebraretur, vix tam diligentur de recta fide retinenda moneretur (1, 18; 4, 6-7, 13-6; 6, 13-4, 20-1, imo in tota epistula).

2) Apostolus Act. 20, 30 docet, singulos episcopos haereses docere posse. Unde de Timotheo episcopo non pronuntiare intendit, eum in doctrina proferenda infallibilem esse.

3) In contextu in v. 15 « ut scias quomodo *oporteat* te in domo Dei conversari » et sequentibus non extollitur perfectio Timothei, sed ecclesiae; ille simul cum aliis monetur, ut perfectionem certam acquirat, haec perfectionibus ditata praedicatur; imo ille cum aliis monetur, ut eiusmodi perfectionem acquirat, quam ab eo aliisque requirat illa ecclesiae perfectio, quae inde a vocibus « domo Dei » describitur: « ut scias, quomodo *oporteat* conversari in domo Dei, ἥτις ἐστίν i. e. quippe quae *sit* ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis ». Unde illae perfectiones omnes, ab apostolo v. 15 et 16 enumeratae, ecclesiae tribuendae sunt, non vero pars earum ecclesiae, pars Timotheo. Atque tres quidem illae priores perfectiones in v. 15 directe ad ecclesiam spectant, reliquae vero indirecte, in quantum ecclesia est, quae veritatem tantae sublimitatis, illud « magnum pietatis sacramentum » quod est incarnatio et redemptio, custodit.

Unde merito Protestans H. A. W. Meyer l. c. iudicat, sententiam, Timotheum esse illam columnam, « evidenter nihil pro se habere ».

Ob. — Apostoli singuli a Patribus vocantur *columnae fidei*. Idem sensus subest fortasse Gal. 2, 4, ubi Iacobus, Cephas, Ioannes dicuntur a S. Paulo οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, i. e. ipsi recte aestimabantur (Vulg.: videbantur) columnae esse. — Imo etiam S. Basilius a S. Gregorio Nazianzeno ep. 79 MG. 37, 149 vocatur τὸ τῆς πίστεως ἔρεισμα, i. e. fidei columna, atque similes expressiones haud raro ab aliis Patres ad alios ex his fidei heroibus applicantur, qui tamen infallibiles non erant. — Praeterea et singuli duodecim apostoli Ap. 21,

14 dicuntur 12 *fundamenta* civitatis sanctae Ierusalem, et omnes simul fundamentum Eph. 2, 20, quo loco fideles omnes exhibentur « superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu ». — Imo Ap. 3, 12 de omni athleta victore in pugna Domini dicitur: « Qui vicerit, faciam illum *columnam* in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei... ». — Ergo sane nihil impedit, quominus etiam S. Timotheus dicatur columna.

R. *a*) Ergo nihil impedit, quominus Timotheus dicatur columna fidei hoc loco in hoc contextu, n.; in alio contextu, tr. Scilicet probavimus, in hoc contextu hoc inciso nihil dici de Timotheo, sed de ecclesia.

b) Apostoli singuli a Patribus atque forte etiam illi tres apostoli Gal. 2, 9 vocantur columnae fidei, quia erant etiam ut singuli infallibiles, id quod eos fuisse postea probabimus; at hoc sensu Timotheum columnam fidei vocari non potuisse patet.

Patres quidam utique aliquando similibus metaphoris insigniuntur, non utique quasi in omni veritate ecclesiastica docenda e natura sua vel charismate divino infallibiles fuissent, sed quia et in quantum a posteriori aliunde constabat, eos certas quasdam veritates ab ecclesia propositas fortissime tuitos esse. Hoc profecto etiam de S. Timotheo dici per se poterat, at in hoc contextu non dicitur.

c) Adversarii deberent explicare, qua ratione Timotheus iam solus dicatur esse columna *veritatis*. Id quod non praestant eo quod remittunt ad locos in quibus apostoli sive singuli sive omnes simul cum prophetis (Novi Testamenti) simpliciter *fundamenta* praedicantur. Nam Ap. 21, 14 tali imagine id exhiberi videtur, apostolos illos 12 fuisse primos, qui ecclesiam collegerunt, eos fuisse « fundamenta et fundatores (haec enim duo eodem recidunt) Ecclesiae » uti habet Cornelius a Lap. ad l. Eodem modo secundum Knabenbauer ad l. p. 88-90 apostoli Eph. 2, 20 dicuntur omnes simul cum prophetis fundamentum innixum Christo singulari lapide et portans fideles super illud aedificatos, quia « ipsi sunt primi illi qui Christo adhaeserunt et per quos alii fideles ad Christum sunt adducti ». Certe praedicantur quaedam apostolis illis 12 propria. Timotheus vero non erat unus e 12 apostolis.

d) Metaphora Ap. 3, 12 significatur, eum qui in pugna spirituali vicit, non magis e beatitudine coelesti dimoveri posse, quam columna immobilis in templo ex eo in alium locum transferri potest. Qui sensus utique ad nostrum locum Tim. 3, 16 non pertinet.

III. — *Incisum « columna et firmamentum veritatis » non refertur ad « Et manifestae magnum pietatis sacramentum ».*

Protestantes multi ita coniungebant: « ... quomodo oporteat... in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pie-

tatis sacramentum, quod manifestatum est in carne... ». Interpungebant ergo post « Ecclesia Dei vivi », atque incisum, de quo agitur ad sequens subiectum trahebant, scilicet ad mysterium incarnationis. Id quod sane fieri nequit.

a) Rationes ex parte stili, quas simul sumere oportet.

1) Asyndeton, quod scilicet phrasis illa nova « Columna... » inciperet sine ulla coniunctionis particula, durius est; e contra « et » haud raro in Scriptura et apud Paulum initio phraseos ponitur v. g. 1 Cor. 2, 1-3; Eph. 2, 1; porro hoc loco potius emphatice exhibetur, ita ut sensus sit: « Et profecto manifeste magnum... ».

2) Item durius est, in describendo pietatis sacramento duo substantiva, scilicet « columna et firmamentum veritatis » coniungi cum adiectivo « et magnum ».

3) Esset anticlimax valde inconcinna, a stilo Pauli plane aliena, si apostolus in enumerandis perfectionibus sacramenti pietatis inciperet a magnifico illo: « columna et firmamentum veritatis », desineret vero in frigidum illud « et manifeste magnum ». Quae anticlimax Alford, interpreti anglo inter Protestantes celeberrimo, in l. cit. a Murray l. c. p. 226 nota e p. 225, Paulo tam indigna videtur ut scribere non dubitet: « Si eiusmodi sententia in epistula hac occurreret, id uti validius argumentum contra eius genuinitatem considerarem, quam omnia alia quae eius adversarii adduxerunt ». E contra haec duo vocabula « manifeste magnum » secundum eundem auctorem « innatam maiestatem habent atque magnitudinem in propria eorum significatione, si emphaticum sequentis sententiae initium formant ».

b) Rationes e parte contextus. — 1) « ... columna et firmamentum est conceptus relativus, qui semper spectat aliud quod portatur; iam hic conceptus relativus elucet, si Ecclesia dicitur columna, portans veritatem et singillatim illam, de qua agitur versu 16, i. e. mysterium incarnationis; periret hic conceptus relativus, si incarnationis mysterium vocaretur columna, quia non est sermo de aliis veritatibus, quae ab hac portentur ». Wilmers p. 73.

2) Si incisum « columna et firmamentum veritatis » cum ecclesia coniungendum est, laus mysterii incarnationis quae sequitur, optime cum antecedentibus cohaeret; si illud ad sequentia

trahitur, illa laus vix ulla ratione cum antecedentibus nectitur. Etenim in priore suppositione connexio idearum haec est: Conversandum est in ecclesia catholica perfecte quoad doctrinam (c. 1), quoad cultum (c. 2), quoad regiminis ordinem (c. 3). Hanc enim conversationis perfectionem sibi vult Ecclesiae perfectio, quippe quae sit familia Dei, societas ad Deum viventem pertinens, christianae veritatis in mundo sedes firmissima. Quae dignitas, quod est custos infallibilis veritatis, etiam ideo tam sublimis est, quia veritas custodienda tam sublimis est. Haec autem veritatis custodiendae sublimitas illa veritate, illo sublimissimo mysterio illustratur, quod est incarnatio Domini. Quae connexio idearum quam naturalis sit, facile perspicitur. In secunda vero suppositione post assertam eam perfectionem ecclesiae, quod est familia Dei et societas ad Deum viventem pertinens, ex abrupto laus incarnationis sequeretur, quae laus praeterea a cogitatione tam singulari inciperet, quod illud mysterium alias veritates quasi firmat. Quae tam singularis atque inexpectata assertio tamen nullo modo, nullis exemplis in contextu illustratur. Sequitur alia pars epistolae, alia omnino tractans.

3) Si descriptio mysterii pietatis ab inciso: « Et magnum... » incipit, omnia in ea ipsa descriptione aptissime disponuntur; si ab inciso « Columna... » minime. Nam si ea ab inciso « Et magnum... », initium sumit, prius emphatice ponitur assertio, illud mysterium incarnationis grande quid esse. Quae eius sublimitas per sex illas summas Christi Verbi incarnati et redemptoris perfectiones distinctius evolvitur. Si vero ab inciso « Columna... » initium ducit, hic ordo qui quam maxime naturalis est, turbatur, eo quod una perfectio specialis ob nescio quam rationem extra ordinem caeterarum ponitur.

4) Quod ecclesia, non vero mysterium incarnationis columna et firmamentum veritatis nominatur, etiam eo commendatur, quod apostolus saepius, 1, 4-7; 6, 3-5 et 20-1; 4, 1, falsas doctrinas eius temporis perstringit, quare hoc inciso « columna...» ad ecclesiam addito fideles monentur ut non a Gnosticis sed ab infallibili Dei ecclesia discant quae sunt salutis; item eo quod modus, quo Timotheus in domo Dei versari debeat veritatem fideliter docendo, ab ecclesia qua infallibili veritatis magistra non postulari non possit.

Ob. — Ecclesia nequit *in eodem contextu et ut domus*, scilicet Dei vivi, describi et *ut columna*, quippe quae sit pars domus. — N. as. 1) Ab usu Scripturae alienum non est, eandem rem similibus etsi non identicis imaginibus exhiberi. Cf. Ier. 1, 18: « Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aeneum ». — 2) At aliud est tertium comparationis et alia imago cum ecclesia dicitur domus Dei et columna. Dicitur domus *Dei*, in quantum a Deo inhabitatur et regitur, dicitur columna *veritatis*, in quantum veritatem sustentat. — 3) Haud pauci exegetae observant, domum Dei potius ingerere secundum modum considerandi Hebraeorum ideam familiae Dei quam Deus regit et cuius caput est, quam domus materialis quam inhabitet. Cf. 1 Cor. 4, 11; 9, 17; Eph. 2, 19.

Ob. contra totam hanc partem grammaticalem. — *S. Gregor. Nyss.*, Vita Moysis myst. expl. MG 44, 385 incisum « columna... » ad Timotheum trahendum esse docet; *S. Chrysost.* textum ita explicat: veritas est ecclesiae columna et firmamentum, porro: columna orbis est ecclesia; uti etiam *S. Ephrem:* ecclesiam esse columnam firmamenti et veritatis in mundo: « propter ipsam enim ecclesiam stat mundus ». Cf. Knabenbauer l. c. — R. S. Greg. Nyss. l. c. uti in toto illo opere, potius mysticis applicationibus delectatur quam literali sensui inhaeret. Explicationes S. Chrysostomi et S. Ephrem in textu non fundantur.

B. — **Sententia hac: « ecclesia Dei vivi est columna et fundamentum veritatis » continetur doctrina, ecclesiam universalem esse infallibilem.**

I *Est sermo de ecclesia universali, non vero de aliqua particulari.*

a) Rationes externae. Id auctores omnes catholici tenent; idem recentiores Protestantes plurimi statuunt.

b) Rationes internae hae sunt:

1) Vox « ecclesia » in N T. semper ecclesiam universalem significat, nisi restrictio ad ecclesiam particularem aut ipsis verbis aut e natura rei exprimitur. Cf. v. g. Eph. 5, 23: « Christus est caput ecclesiae » i. e. universalis. Iamvero in nostro loco nulla restrictio exprimitur.

2) Expressio οἶκος θεοῦ uti in V. T. (cf. Os. 8, 1; 9, 15; Ier. 12, 7) ita in N. (cf. 1 Cor. 3, 9; Eph. 2, 20-1; Hebr. 3, 6) domum, familiam *totam* Dei, totam Ecclesiam sive V. sive N. T. significat. Iamvero secundum S. Paulum hi duo termini *Domus Dei et ecclesia Dei eandem rem significant:* οἶκος θεοῦ, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ. Imo haec particula ἥτις argumentativa est: « quippe quae », atque rationem reddit, cur tam perfecta ra-

tione in domo Dei conversandum sit, quippe cum ea sit ecclesia Dei viventis.

3) Agitur de ea ecclesia, quae ex natura sua et proinde in aevum sit firmamentum veritatis, id quod mox demonstrabimus. Iamvero aliunde patet, e mente S. Pauli *eiusmodi magnificum privilegium ecclesiae particulari Ephesinae attribui non posse;* supponit enim v. g. Act. 20, 30 singulos episcopos falsa docere posse. Neque e Traditione ulla exceptio habetur pro ecclesia Ephesina, sed pro sola Romana.

Ob. 1. — Etsi conceditur, illud « te » in v. 15 non esse genuinum, tamen secundum sensum supplendum est, etenim Timotheus sane scire debebat, quomodo oporteret ipsum conversari. Iamvero ipse sane proxime conversabatur in ecclesia Ephesina. Ergo sermo est de sola ecclesia Ephesina. R. 1) Includitur Timotheus uti unus ex iis plurimis, quos certa quadam ratione in ecclesia conversari debere apostolus monet. 2) E contextu patet, hic non respici ecclesiam Ephesinam, in qua utique versabatur Timotheus, sed universalem, cum rationes eius sanctae conversationis a S. Paulo ex essentia Ecclesiae qua universalis petantur, cuius Ephesina pars quaedam erat. Si autem in Ecclesia Ephesina versabatur, utique in universali versabatur, cuius illa partem constituebat. — Similis difficultas similisque solutio proponi potest quoad alia membra ecclesiae Ephesinae, quae partem eorum faciunt, quorum conversationem sanctam debere esse Paulus premit. — Imo hoc responsum etiam valeret, etsi apostolus hoc loco solos Christianos Ephesinos eorumque praepositos ante oculos habuisset.

Ob. 2. — In hoc eodem c. 3 legitur v. 5: « Si quis autem domui suae praesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? » Iamvero hoc versu certo intelligitur Ecclesia Ephesina. Etenim S. Paulus evidenter loquitur de cura quam episcopus de sua particulari Ecclesia habere debet. Ergo a pari v. 15 de particulari Ecclesia agit. N. par. Aliunde enim patet, singulos episcopos, de quibus v. 5 agere videtur, regimen suum, quod terminus « cura » significare videtur, nonnisi in unam singularem ecclesiam exercere posse. Agit ergo v. 5 de Ecclesia Ephesina, n.; de unaquaque particulari, c.

II. *Eo quod incisum « columna et firmamentum veritatis » ad ecclesiam refertur, docetur eam e natura sua esse infallibilem.*

a) Docetur ecclesiam esse infallibilem.

1) Ἑδραίωμα quod est *ἅπαξ* λεγόμενον significat id quo aliquid solide sustinetur, « désigne tout ce qui donne la solidité à un édifice et en assure la durée, comme les soubassements,

les substructions », Prat. l. c. p. 435 nota. Cf. imago petrae Mt. 16, 18.

Ergo mediante ecclesia fit, ut tota veritas firma maneat in mentibus Christianorum et ita in toto mundo. Ergo nihil ex veritate perit vel perditur sed per influxum Ecclesiae durat et permanet.

2) Alia metaphora στῦλος auctoribus generatim idem exprimi videtur, quod scilicet ecclesia veritatem sustentat et firmam reddit. Etenim cum metaphoram *columnae alicuius rei* audimus, ex usu communissimo huius metaphore statim ante mentem versatur idea eiusmodi partis aedificii, quae aliam fulcit, sustentat, firmat, v. g. fornicem vel totum aedificium. Quae metaphorae explicatio eo magis hic retinenda videtur, quod prior metaphora στῦλος hoc loco cum sequenti metaphora ἑδραίωμα coniungitur, vocabulo « veritatis » nonnisi semel ad utramque adiecto. Unde una idea firmamenti veritatis utroque termino exprimitur, habetur proinde ἓν διὰ δυοῖν significans firmissimum fundamentum. Atqui hac ratione et Patres et alii interpretes usque ad haec tempora hanc quoque metaphoram explicabant.

Si quis autem metaphoram columnae cum Protestante Wohlenberg l. c. et Prat l. c. explicaret de medio quo palam veritas in altum tolleretur et mundi quasi oculis exponeretur uti hodie in urbibus ad eiusmodi finem columnae erigi solent, ille eiusmodi quidem tertium comparationis efferret, quod hic a Pauli mente alienum fuisse dicendum est; rem autem quod attinet, etiam hac ratione ad id perveniretur quod demonstrandum suscepimus. Si enim ecclesia integram veritatem mundo visibilem reddit, ergo certe eam integram habet.

Ob. — Revelatio christiana firmat ecclesiam; ex nostra thesi vero ecclesia firmat veritatem christianam revelatam. Atqui ita habetur circulus vitiosus. — R. Revelatio quaedam, quae demonstratur independenter a veritate, ecclesiam e natura sua infallibilem esse in omnibus veritatibus christianis proponendis, cognoscibilem reddit ecclesiam uti existentem et infallibilem; deinde per ecclesiam uti infallibilem iam cognitam revelationem multarum aliarum veritatum cognoscimus, imo revelationem omnium veritatum revelatarum assensu novo et perfectiore admittimus. Qui assensus novus atque perfectior in eo est, quod auctoritate ecclesiae infallibili nondum cognita, tantum assensu quo-

dam correspondenti robori argumentorum factum revelationis veritatum revelatarum cognoscimus; cognita vero infallibilitate ecclesiae divinitus revelatae factum revelationis veritatum revelatarum admittimus firmitate ea quae auctoritati ecclesiae ita stabilitae correspondet. Unde fit, ut omnes catholici omnes veritates christianas revelatas tum certius tum facilius tum clarius ut revelatas cognoscere possunt. De qua re in alio loco agetur. Mitto alia, quae ex hac propositione veritatum revelatarum per ecclesiam infallibilem sequuntur.

b) Docetur, ecclesiam esse infallibilem e natura sua atque proinde semper.

1) S. Paulus eam perfectionem, quam mandatis suis ab iis postulat, quibus in ecclesia conservandum sit, pro omni tempore postulat; iamvero rationem huius perfectionis acquirendae reddit e perfectione quae in Ecclesia insit; ergo supponit eam semper in ecclesia esse. — Porro rationem reddit perfectionis quae semper *debeat* esse in iis qui in Ecclesia conversantur, ex perfectione quae in ecclesia semper *est,* quippe quae *sit* ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Ergo ea perfectio e mente Pauli necessario in ecclesia est.

2) Aliae perfectiones, ex quibus S. Paulus debitum moralis perfectionis deducit, sane essentiales sunt ecclesiae, scilicet, quod est familia Dei, societas Dei viventis. Ergo etiam ea perfectio quae eodem modo de ecclesia praedicatur, quod scilicet est columna et firmamentum veritatis.

3) Perfectio ea, quod est columna et firmamentum veritatis ecclesiae simpliciter attribuitur, nulla temporis restrictione apposita. Ergo non minus ecclesiae essentialis dicenda est atque si v. g. de ea dicitur, quod caput habet Christum, Ephes. 5, 23.

III. — *Obiectum huius infallibilitatis est tota veritas Ecclesiae concredita.*

1) Expressio « veritas » *generalis* est, uti idem apostolus in hac eadem epistula modo eodem generali se exprimit 2, 4 « qui [Deus salvator] omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire »; item 2 Cor. 6, 7; Rom. 2, 8; Gal. 3, 1; 5, 7; Eph. 4, 24; 2 Thes. 2, 11; item Dominus Io. 14, 13: Spiritus veritatis inducet vos « in omnem veritatem ». — At

patet, *non veritatem omnem etiam profanam* intelligi, cum id et contextui repugnet, in quo de veritatibus ad salutem relatis, ab apostolis vel Christo praedicatis, sermo est, et modo quo Ecclesia semper haec verba intellexit, et ipsi cotidianae experientiae. — *Neque omnis veritas ex natura sua sacra* intelligitur, cum v. g. Christus diem iudicii ecclesiae non communicaverit (Mt. 13, 32) atque evidenter multae aliae veritates e natura sua sacrae ab Ecclesia ignorentur. — Unde intelligatur necesse est omnis *earum veritatum cumulus quem Christus ecclesiae suae apostolis eorumque successoribus mandavit ut praedicarent,* omnis veritas cuius praedicatio ecclesiae concredita est.

2) Sequitur verbis S. Pauli contineri, *omnem errorem in hoc fidei thesauro* docendo ab ecclesia necessario *excludi.* « Si autem Ecclesia quemvis errorem in fide teneret vel doceret, non esset columna et firmamentum, quibus fulcitur et firmatur et ideo tutatur veritas; sed esset id per quod labitur et demolitur. Non esset columna sustentans et firmamentum firmans; sed esset sustentans quae cedit, et firmans quae infirmat... Cum sint columna et firmamentum totius veritatis, ergo totam eam, et non solum partem eius firmant ». Murray l. c. p. 228.

***Arg. II.* — Ex auctoritate antiquitatis christianae.** — Antiquitati christianae de infallibilitate Ecclesiae quam maxime persuasum erat. Atqui in hac re auctoritate pollet. Ergo.

Quoad min. cf. Rep. p...

Quoad ma. haec accipe:

Theophilus Antiochenus ad Autolycum l. 2 n. 14, ed. Otto, Corp. Apol. vol. 8 p. 99 MG 6, 1076 hanc comparationem instituit: « . . . quemadmodum in mari exstant quaedam insulae habitabiles et aquis salubres et frugiferae, stationibus et portubus munitae ut iis qui tempestate iactati fuerunt perfugio esse possint: sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti et aestuanti congregationes dedit, quae scilicet nominari solent *sanctae ecclesiae, in quibus doctrina veritatis velut in portubus insularam opportunis asservatur,* ad quas perfugiunt qui salutem consequi cupiunt, studiosi veritatis et iram iudiciumque Dei effugere volentes. Et quemadmodum aliae exstant insulae saxosae et inaquosae et infrugiferae et ferarum plenae et inhabitabiles damno navigantium et tempestatem subeuntium, in quibus naves alli-

duntur et qui appellunt penitus pereunt: sic se habent erroris doctrinae, haereses dico, quae qui ad eas accedunt penitus perdunt ».

S. Irenaeus adv. haer. l. 3 c. 24 n. 1 MG 7, 966. « *Praedicationem vero Ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem*.... quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum *iuvenescens et iuvenescere faciens* ipsum vas in quo est». « ... In Ecclesia enim, inquit, posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et operationem pessimam. *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas*... ».

Quibus verbis continetur *a*) de facto Ecclesiam veritatem ab apostolis praedicatam custodire incorruptam. *b*) Id pertinere ad Ecclesiae essentiam, cum ea essentialis sit activitas Spiritus, qui ipse Ecclesiae datus sit. Cf. plura in Dissert. 3: « De Irenaei doctrina » art. 4 M 67, col. 271-6.

Origenes Hom. in Gen. n. 5-7 MG 12, 150: Sicut in firmamento (Gen. 1, 14) duo luminaria, maius et minus habemus, solem et lunam, ita duo « *luminaria habebimus in nobis, quae illuminent nos, Christum et Ecclesiam eius*. Ipse est enim lux mundi, qui Ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam nox possit illuminari, ita et Ecclesia *suscepto lumine Christi illuminat omnes, qui in ignorantiae nocte versantur* ».

In Mt. vero Com. series n. 47 MG 13, 1669 docet: «... non debemus attendere iis qui dicunt: ecce hic est Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesia, quae plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, quae *plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis*... ».

Tertullianus. De praescriptionibus c. 28 ML 2, 40. « Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit et apostolus de testimonio reddendo; nullam [ecclesiam] respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset ductor veritatis; *neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesiam aliter interim in-*

telligere, aliter credere quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerit error doctrinae ecclesiarum. *Caeterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse, qui tradiderunt? ».

S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18 n. 23 MG 33, 1044 catechumenis diversas rationes evolvit, ob quas Ecclesia possit dici catholica. Una est quod « *universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata,* sive de visibilibus sive de invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus ».

S. Augustinus in Ps. 9 n. 12 ML 36, 112: « Ipsam quae nunc est Ecclesiam nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio ». — In tractatu 1 de symbolo ad Catechumenos c. 6 n. 14 ML 40, 635: « Ipsa est ecclesia sancta, ecclesia una, ecclesia vera, ecclesia catholica, contra *omnes haereses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest.* Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. *Portae inferi non vincent eam* ».

Uti verba Patrum, ita *ratio agendi* Ecclesiae tum docentis tum discentis hanc Ecclesiae infallibilitatem evidentissime demonstrat. Etenim tum Ecclesia docens v. g. in Conciliis universalibus, quae docuit uti necessario vera fidelibus tenenda imposuit, tum Ecclesia discens ea uti necessario vera firma fide amplexa est. Quae in decursu tractationis latius persequemur.

Obiectiones e comparatione cum synagoga.

Ob. 1. — Magisterium ordinarium synagogae, scilicet Pontifex cum synedrio, fallibile erat. Ergo a pari magisterium ecclesiae ordinarium fallibile est. Antecedens autem eo probatur quod illud magisterium Mt. 26, 63-6; 27, 1; Mc. 14, 53; 61-4; Lc. 22, 66-71; Io. 19, 6. 7. 15 solemniter Iesum Messiam esse negavit.

R. 1) Transmisso facto in antecedente asserto, *negatur paritas et proinde consequentia.* Etenim synagoga in tot rebus ecclesia inferior erat. Nihil ergo mirandum esset, si etiam infallibilitas ecclesiae concessa esset, synagogae vero non. Atque hoc quidem responsum iam sufficere videtur. Cf. v. g. de San p. 198.

R. 2) Rem ipsam quod attinet, olim quidam theologi simpliciter negabant antecedens; hodie vero quidam illud concedunt, quidam, idque alii aliter, distinguunt.

a) Quidam ergo docebant, magisterium ordinarium synagogae a Deo promissionem infallibilitatis recepisse (cf. v. g. Deuter. 17, 9; 17, 12) et consequenter *ne in illis quidem verbis quibus Messias repudiabatur, errasse* (!). Hoc autem non omnes eodem modo explicabant. — Quaedam sententia tradebat, eiusmodi verba fuisse obiective vera, tantum adfuisse errorem propriae mentis Pontificis, v. g. Iesum, in quantum peccata nostra portabat, fuisse vere « reum mortis ». At, omissis aliis, non considerant iudicia talia uti: « blasphemavit ». — Alia sententia: eiusmodi iudicium non fuisse errorem circa doctrinam de Messiae natura, sed circa factum, Iesum esse illum Messiam futurum. Ac si hoc ipsum non credendum esset! — Quaedam: defuisse conditionem ad iudicium legitimum, quippe cum modus procedendi tumultuarius fuerit. At quaeritur tantum, num Pontifex vere talia docuerit. — Quaedam: totum illud sacerdotium illegitimum fuisse, cum Aaroniticum non fuerit. Id quod non admittitur.

b) Opposita sententia tenet, eiusmodi magisterium *simpliciter fallibile* fuisse. Etenim ei inter alia, quae custodire et docere debuerit, etiam, imo quam maxime, hoc munus demandatum fuisse ut prophetas, sicuti Ioannem Baptistam, Christum Messiam et Filium Dei solemniter agnosceret...; in quo munere illud turpiter errasse. Quam doctrinam defensam v. apud Straub n. 854-5 p. 206-10.

c) Tertium sententiarum genus *distinguit.* — Quaedam sententia tradit, synagogam accepisse quidem mandatum custodiendi legem Mosaicam, i. e. eius praecepta et ritus, qui utique doctrinas figurabant; doctrinas ipsas vero, praecipue de Messia, a prophetis evolvendas fuisse, Messiam vero ipsum innotescere voluisse miraculis suis et prophetarum vaticiniis in eo completis. Ita Wilmers p. 75. — Alia sententia est, synagogam infallibilem redditam fuisse pro tempore ante Christum, tempore vero Christi propriae defectibilitati eam fuisse relictam. Id quod iterum diversis modis explicant. Stapleton, Contr. I l. 2 c. 12. Op. omn. ed. Paris, t. 1, 1620 p. 56, item Bellarm., de Conc. l. 2 c. 8 observant, Iudaeos de hac mutatione admonitos fuisse, cum prophetae saepe praedixerint, synagogam eo tempore a vero aberraturam esse. Remittit Bell. ad Is. c. 6, Dan. c. 9, cui Stapleton addit alia ex Is., Mich. c. 3, Ezech. c. 7. — Martinus Becanus vero, Analogia Veteris ac Novi Testamenti, 1620 c. 11 qu. 2 coll. cum c. 6 qu. 2 insistit in ratione intrinseca, scilicet synagogam cum suis privilegiis gradatim exspirasse adveniente nempe fine synagogae, Christo. Unde id quoque sequi, cum iam ipse Christus praesens doceret, non iam infallibilem fuisse synagogam.

Ob. 2 et instantia ad 1: Statuenda est ea paritas, quae in responso ad primam difficultatem negabatur. Scilicet: *Tam necessaria erat infal-*

libilitas magisterii ordinarii in V. T. atque est in N. Iamvero in V. deerat, uti concedendum est. Ergo etiam in N. deest.

R. Concessa minore *negatur maior*. Ac primo quidem in *synagoga pauciores veritates credendae* erant, quam in N. T. Secundo, id quod caput est, *in synagoga magisterium ordinarium complebatur per magisterium prophetarum,* qui revelationes novarum rerum nuntiabant, saepe revelationes novas de iisdem rebus iam revelatis recipiebant, errores, si a magisterio ordinario committebantur, corrigebant. Quam doctrinam ad difficultatem e comparatione cum synagoga profundius solvendam premit et evolvit Franzelin th. 3 n. 5-6 p. 28-33. Quem alii sequuntur, uti Straub l. c. de San, l. c.

Hoc magisterium prophetarum « elementum intestinum ac velut partem integrantem pro indole illius oeconomiae » ecclesiae Mosaicae fuisse. Illud ordinarium dici posse ratione perennitatis, extraordinarium vero apte dici ratione deficientis certae et fixae legis, secundum quam prophetae inter se succederent.

Paullo aliter rem explicat Palmieri, ed. 3, p. 205. Tenendum quidem esse « Deum providisse ut vera fides in Ecclesia sua ante Christum, quae in Synagoga potissimum reperiebatur, intacta penes non paucos perseveraret ». At « cum fides non esset bonum proprium veteris foederis, dubitamus sane, an Deus consuluerit tunc integritati fidei collato dono infallibilitatis auctoritati religiosae illius coetus : sed *aliis viis* forte consuluit, puta missione prophetarum, oraculis a se datis, ac *generatim suavi providentia,* quae eum ordinem elegit, in quo veram fidem non pauci essent semper professuri ».

Art. 2. De natura magisterii ecclesiastici infallibilis.

***Con. mat.* — *Divisio*.** — Praecipue haec tractabimus : Primo loco consideramus eiusmodi *proprietates magisterii ecclesiastici, quae personas ipsas docentes respiciunt*; deinde eas, quae *ipsum modum assensus* his magistris debiti afficiunt ; tandem *intimam naturam eius doni*, quo mediante Deus ecclesiam infallibilem reddit, atque proprietates quae ex ea fluunt. Quae magna ex parte iam in iis continentur, quae prop. 18 et 19 continentur ; at tum ob momentum rei tum ob adversarios ea aliqua ratione enucleanda esse videntur.

Assertio 1. — Magisterium ecclesiasticum externum est atque humanum.

Expl. term. — Poterat Deus eum ordinem providentiae instituere, in quo *singulos homines interne et externe ita suis naturalibus vel praeternaturalibus auxiliis iuvaret, ut singuli stu-*

diis propriis historicis intelligerent, quae Christus formaliter docuerit, studiis vero *philosophicis et theologicis* ea recte colligerent quae e veritatibus formaliter propositis sequuntur. Quo in casu nemo homines de doctrina Christi necessario doceret. Possent tamen sensu lato dici sui proprii magistri.

Opponitur ordo praesens providentiae, in quo Deus pro doctrina Christi conservanda magisterium ecclesiae catholicae instituit.

Magisterium *intelligimus magistrum vel magistros in quantum alios locutione docent.* Vidimus hos magistros societatem stricti nominis inter se atque cum aliis formare.

Magisterium uno modo *distinguitur* in magisterium, quod *ipse Deus* immediate exercet, sive revelando sive alia ratione extraordinaria illustrando, et in magisterium quod *creatura* exercet. Creatura vero potest esse aut angelus aut homo.

Magisterium alio modo distinguitur in **internum, externum.** Quae duae rationes magisterii non ita distinguuntur, ac si in magisterio interno magister et discipuli essent eadem persona, quae quasi seipsam doceret, magisterium vero in tantum externum diceretur, in quantum magister a discipulo realiter esset distinctus atque hac ratione ei externus. Sed hae duae rationes magisterii distinguuntur *secundum partem hominis in qua doctrina magistri ab eo realiter distincti recipitur.* Quodsi enim hic magister, sive Deus ille est sive angelus, ita hominem alloquitur, ut locutio haec tantum internis facultatibus hominis recipiatur, non vero prius in sensibus externis v. g. mediantibus angelis apparentibus suscipitur, tunc magisterium sensu stricto internum est; si vero Dei vel angeli verba proxime ad sensus externos diriguntur, magisterium sensu stricto externum est.

De facto autem suppositio de Deo vel angelo externa specie vel ad externos hominum sensus loquente ab adversariis in campum non adducitur. Unde magisterium *internum* ab iis non opponitur externo simpliciter tali, sed *opponitur* **externo quod simul per homines exerceatur.** Quare etiam veritatis defensores ita hunc terminum intelligunt in eaque suppositione agunt.

Adversarii erant Protestantes orthodoxi, idque initio suae defectionis ab Ecclesia, in tantum, in quantum cum de expli-

catione infallibili Scripturae agebant, eas rationes afferebant, quae, si quid probant, omne magisterium humanum a conservanda (imo ab impertienda) revelatione christiana excludunt. Quod cum docent, tamen aliis suis doctrinis, ut videbimus, contradicunt.

Luther, De institutione minist. Eccl. : « His et similibus multis locis, tum evangelii, tum totius scripturae quibus admonemur, ne falsis doctoribus credamus, quid aliud docemur, quam ut nostrae propriae quisquis pro se salutis rationem habens, certus sit quid credat et sequatur, ac iudex liberrimus sit omnium, qui docent, *intus a Deo solo doctus ?* ».

Zwingli, De certit. et claritate verbi Dei, c. 2 : « Quid ergo, obicitis, *an homo hominem docere non potest ? Nequaquam.* Christus enim dicit : Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum. Verba Spiritus clara sunt, doctrina Dei clara est, docet et hominis animum sine ullo humanae rationis additamento de salute certiorem reddit ».

Anabaptistae Lutheri doctrinam pure sequebantur. Unde ipsam Scripturam combusserunt, secundum illud : « Littera occidit, Spiritus autem vivificat ». Cf. Möhler, Symbolik § 55-60, praecipue vero § 59. — Ioh. Iansen, Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgange des Mittelalters II[6], Freiburg 1880 p. 38-9.

Quakeri hanc doctrinam magis evolvebant. Quos inter Anglos fundavit Fox 1624. Centrum doctrinae eorum est « *lumen internum* ». Est autem *actio Spiritus Sancti, qua singulis revelatione proprie dicta veritates singulas proponit.* Sunt utique hae veritates vel simpliciter vel maxima ex parte eaedem, quae in Scriptura continentur. At ideo admittitur, in Scriptura vera contineri, quia ea conveniunt cum iis veritatibus, quas Spiritus S. singulis revelavit. Cf. Möhlar § 64-71, praecipue 65-9.

Alia ratione *multi Protestantes theologi* praecipue in Germania doctrinam de testimonio Spiritus Sancti excolebant. Rationem revelationis in eo generatim non agnovisse videntur. Remanebat ergo, si notioni testimonii stare volebant, actio Spiritus Sancti, qua de revelatione alibi contenta homines certiores redderet. Atque revera multi illud testimonium ita concepisse videntur. At cum ad illud describendum convertuntur, illud ita

exhibere solent, ut hoc officio fungi plane non possit. Imo plurimi qui hodie de testimonio Spiritus Sancti loquuntur, neque de vera revelatione neque de vero motivo credibilitatis agere intendunt, cum eiusmodi falsis conceptibus de fide adhaereant, quales in tractatu de revel. in abstracto n. 180-5 p. 134-42 exposuimus. Quam diversa sint, ea, quae sub nomine testimonii Spiritus Sancti intelligunt, v. tum ib. tum v. g. prop. 31 eiusdem tract.

Opus maius systematicum Protestantium de ratione certitudinis religiosae est: *Fr. H. R. Frank,* System der christlichen Gewissheit², Erlangen I 1881. In quo cf. v. g. p. 138-43. — Praeterea *I. A. Dorner,* System der Christl. Glaubenslehre², Berlin 1886. In quo cf. v. g. I p. 40-1. — Multa de falso Mysticismo theologorum recentium Protestantium v. g. apud *A. von Schmid,* Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie, Freiburg 1900 p. 210-43.

Arg. I. — **E verbis Christi Mt. 28, 20.** — *a*) Evidens est, Christum *apostolos coram praesentes* magistros constituisse. — *b*) At id quoque ex eis verbis patet, magisterium externum humanum in Apostolis constitutum nunquam locum cessurum esse magisterio interno. Etenim ut propositione 1ª vidimus, Christus promisit se illis *in quantum docent auxilium efficax praestiturum esse usque ad finem saeculorum.* Unde aut ipsi usque ad id tempus vivent, aut erunt, qui in doctrina proponenda usque ad illud tempus illis succedent.

Arg. II. — **Ratio convenientiae.** — *a*) *Philosophice:* Propositione 9ª tractatus de religionis revelatione in abstracto considerata attulimus diversas rationes e philosophia haustas, ob quas deceat Deum mediantibus uno vel alio homine caeteris revelationem *impertire.* Similes applicentur ad rationem *conservationis* revelationis quam in Novo et Vetere Testamento factam esse scimus. — *b*) *Theologice: Analogia Veteris et Novi Testamenti* hunc modum providentiae suadet. Etenim in Vetere Testamento revelationes iam factae mediantibus v. g. patribus familias et prophetis conservabantur, in Novo vero ipse Christus iussit, ut sua doctrina, ipso adhuc vivente, per 12 Apostolos ad eos quoque transferretur, quos ipse coram allocutus non fuerat.

Arg. III. — **Ad hominem. Ostenditur, Protestantes contradictoria docere.** — Docebant Protestantes, homines in doctrina Christi conservanda partes habere non debere. At 1) Scripturae inspiratae sunt hominibus, idque ita, ut etiam homines vere auctores Scripturae sint. Sunt autem inspiratae principaliter ad eum finem, ut doctrinae per se revelatae conserventur. — 2) Luther, Zwingli, nonne Christi veram doctrinam se restituere contendebant? Imo Luther se coelitus missum esse ad docendum saepe affirmavit. — 3) Luther inde ab anno 1525 quo fanatismum « prophetarum coelestium » expertus est, etiam pro doctrina christiana recte proponenda ad « munus ecclesiasticum » recurrit. — Confessio Augustana (a. 1530) v. g. art. 14 hoc habet: « De ordine ecclesiastico docent [apud nos] quod nemo debeat in ecclesia publice docere... nisi rite vocatus ». Cf. a. 5. — Vide textus apud J. T. Müller, Die Symb. Bücher der luth. Kirche,[9] Gütersloh 1900 p. 42.

Obiectiones.

Obiectiones e ratione theologica.

Ob. 1. — *Infallibilitas est perfectio divina;* ergo hominibus communicari nequit. — R. Si ad *omnes veritates* se extenderet atque *imparticipata* esset, c.; si hoc non obtinet, n.

Ob. 2. — Sicut in genere *in causa salutis,* ita in specie in negotio fidei *nihil humani seu creati mediare potest.* Dicit enim Dominus Io 6, 44: « Nemo venit ad me, nisi Pater... traxerit eum ». — R. 1) Assertionem falsam esse atque dictum Scripturae falso explicari, iam eo patet, quod ipse Dominus ut homo doctrinam a Iudaeis credendam proposuit. — 2) Ex dogmate de gratia et de fide, quod Protestantes quoque orthodoxi admittunt, haec distinctio adhibenda est: *nihil mediare potest in ratione causae, quae obiectum a Deo revelatum sive primo proponat sive infallibiliter custodiat atque proponere pergat,* n.; nihil in elevatione hominis subiectiva ad ordinem supernaturalem, subd.: *nihil in elevandis ipsis actibus humanis,* c.; nihil in infusione habitus fidei mediantibus sacramentis, iterum subd.: nihil in ratione causae principalis, c.; instrumentalis, iterum subd.: physicae tr., moralis vel intentionalis, n.

Obiectiones e Scriptura.

Obiectio generalis.

Protestantes orthodoxi revelationem per Christum impertitam et inspirationem Scripturae agnoscunt. Unde rationes quas afferunt contra illud magisterium, quo secundo doctrinam Ecclesiae catholicae Deus

providit conservationi revelationis christianae, non dirigunt contra magisterium externum humanum, quo homo ut causa instrumentalis, Deus ut causa principalis mediante Scriptura inspirata in omne aevum revelationem antea factam ex parte, etsi non ex toto, conservat atque explicat. At si hae rationes quidquam valerent, etiam magisterium illud Scripturae destruerent, imo quaedam etiam impertitionem revelationis per Christum impossibilem ostenderent. — Quoad explicationem locorum, qui e Scriptura obiciuntur, notandum est: Scriptura etiam Veteris Testamenti clare continet Messiam nomine Dei docere debere; Scriptura saltem Novi Testamenti praeterea inspirationem quarundam partium Scripturae docet, praeterea clare tradit magisterium humanum vivum tum Apostolorum his in terris degentium tum successorum eorum. In qua doctrina clara proinde canon negativus habetur, quae doctrina in textibus obiectis non insit. Quaeritur tamen etiam, quae doctrina iis textibus proponatur.

Solutio generalis.

In multis e textibus allatis difficultas in eo esse solet, quod in iis illud solum elementum aut *edicitur aut edici videtur,* quod praeter propositionem veritatis ad fidei actum salutarem necessarium est, scilicet *interna supernaturalis gratia Spiritus Sancti.* At

1) In hac re nulla realis difficultas est. Etenim primo interna gratia fidei aliquam quidem propositionem doctrinae supponit, nulli autem ex possibilibus modis huius propositionis per se et ex natura sua opponitur.

2) *Supponi tamen de facto ordinarie propositionem per magisterium externum humanum*, etsi a magisterio infallibili Ecclesiae ut norma interpretationis Scripturae abstrahimus, iam ex his patet: Si de textibus Veteris Testamenti agitur, quibus indoles Novi Testamenti describitur, certe iam in Vetere Testamento homo Christus ut magister Novi praenuntiatur. Si de verbis Christi agitur, certe ipse est qui Mt. 28, 20 locutus est. Si de verbis apostolorum, certe ii et generatim saepissime in suis epistolis et ordinarie in contextu eorum ipsorum verborum quae obiciuntur, ad suum magisterium recurrunt. Porro ad quid epistulas suas, verba ipsa obiecta scripserunt?

3) *Rationes cur tamen in textibus obiectis ipsum magisterium externum non prematur*, hae vel similes esse videntur: *a*) In textibus Veteris Testamenti praedicitur id quod Novo proprium est. Novo autem proprium non est magisterium externum humanum, sed *gratia*, quippe quae vi solius Novi habetur, quae porro in novo universalius, facilius, efficacius ad finem perducit. — *b*) In textibus apostolorum aliquando idem edicitur, aliquomodo vero premitur id, quod est proprium temporis ipsorum, quodque ante oculos ipsorum versabatur: ipsa *possessio universalior* et *plenior* veritatis *ex parte fidelium*, dum ipsa externa praedicatio etiam in Vetere Testamento fuerit. Si vero *de haere-*

ticis sermo est, id inculcatur quo fideles ab iis distinguuntur. Iamvero externum magisterium humanum audierunt fideles, audierunt haeretici : sed interna *gratia* efficaci adiuti hi credere perrexerunt, illi internam gratiam abiecerunt.

Difficultates singulae.

Ob. 1. — Is. 54, 13 : « *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* » (hebr. lemmude Iahve, i. e. discipulos Iahve). — R. Sensus hic est : Qui sub nova Lege vivent, reapse *magis universaliter doctrinam a Iahve propositam amplectentur.* — Quae explicatio e contextu hauritur. Nam c. 53, 1-13 premitur eminentia Novae Legis prae Vetere et ratione effectuum in genere et ratione propagationis verae religionis (v. g. 1-3) et ratione intensitatis effectuum (13). — Doceri a Deo, esse discipulum Dei, secundum explicationem quam Christus de hoc loco Io. 6, 45 dat, complectitur et revelationem Dei percipere et huic revelationi adiuvante gratia interna consentire. Id quod utique supponit revelationem Dei propositam esse : *num* ea vero *immediate ab ipso Deo an mediante homine* sive danda sive conservanda sit, hoc versu *nullo modo edicitur.* Cf. explicationem optimam Tolet. in Io. ad 6, 45. Praeterea Knabenbauer in Is. ad l. p. 347.

Ob. 2. — Ierem. 31, 33-4 de N. T. habet : « *Dabo legem meam in visceribus eorum* et in corde eorum scribam eam... *et non docebit ultra vir fratrem suum* dicens : Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominns... » — R. sensus hic est : *In Nova Lege* tam universaliter, tam firmiter recta doctrina de uno Deo in omnium cordibus haerebit, ut *non necesse sit unum hominem alium ad unum Deum agnoscendum hortari.* — In contextu opponitur huic statui felicissimo rerum in Novo Foederé Foedus Vetus, in quo doctrina de Deo in tabulis quidem scripta erat, sed non firmiter scribebatur in cordibus, unde etiam saepe per ipsam idololatriam eam spernebant. Quae lex Dei in Novo Testamento in cordibus per gratiam Dei quasi insculpta est, ideoque Deus eam in cordibus scribere dicitur. Id quod non negat, doctrinam tanto amore retentam mediantibus hominibus proponi. Imo omnino mèdiante ipso ecclesiastico magisterio tam facili modo universalis Dei cognitio habetur. Cf. Knabenbauer in Ier. ad l. p. 892-6. — S. Chrysost., adv. Iud. quod Christus sit Deus n. 6 MG. 48 col. 82-7.

Ob. 3. — Mt. 23, 8 : « Vos autem nolite vocari Rabbi, *unus enim est magister vester,* omnes autem vos fratres estis »; 10 : « ne vocemini magistri, quia magister vester unus est, *Christus* ». — R. Sensus e contextu hic est : *Nolite,* prout pharisaei faciunt, *vano gaudio superbire de titulo magistri :* a me enim doctrinam vestram habetis, non a vobismetipsis.

Ob. 4. — Christus ait Samaritanae Io. 4, 24: « Spiritus est Deus, et eos *qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare* ». — R. Sensus e con-

textu hic esse videtur : *a*) Vi Veteris Legis cultus externus legitimus habebatur tantum in Ierusalem, vi ignorantiae et falsitatis vero cultus illegitimus habebatur in Garizim. At non adorandum est in Garizim, in falsitate, sed in Ierusalem, *in veritate,* etenim « vos adoratis quod nescitis, nos (Iudaei) adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est » v. — *b*) Vi Veteris Legis cultus eiusmodi habebatur, qui in rebus exterioribus, in caeremoniis, sacrificiis etc. consistebat ; vi Novae Legis habetur cultus *in Spiritu,* i. e. in Spiritu Sancto, e cuius gratia omnes virtutum actus tales quales Deus in ordine ad vitam aeternam requirit, procedant necesse est. Quae gratia Spiritus utique etiam *in* V. L. habebatur, sed *non vi* V. L. sed vi Novae. Cf. Tolet ad v. 21-4. — Sunt utique etiam aliae explicationes probabiles huius versus ; in nulla tamen sive « veritas » sive « spiritus » magisterium externum humanum excludit. Cf. diversas explicationes enumeratas apud Knabenbauer ad v. 24 p. 180-1.

Ob. 5. — 1 Cor. 2, 15: « *Spiritualis autem iudicat omnia ; et ipse a nemine iudicatur* ». Unde secundum Calvinum, Anabaptistas, alios, auctoritas docendi externa neganda est. — R. E contextu sensus est : *Qui spiritu sancto operante fidem in mysteria atque alias veritates divinas revelante Christo atque praedicantibus apostolis eius praestitit* (= *homo spiritualis*), *is omnia, i. e. et veritates eius generis et inferioris ordinis mediantibus talibus principiis recte aestimabit. Persuasiones autem talis hominis spiritualis* ii recte aestimare non possunt, qui hac fide in revelationem christianam carent. V. 16 : « Quis enim cognovit sensum (sapientiam) Domini (revelantis), qui instruat (corrigat) eum ? Nos autem (omnes spirituales) sensum (sapientiam) Christi (qui Deus, ergo infallibilis natura sua est et omniscius) habemus » vobisque communicavimus. — Vides revelationem et a Christo propositam et per apostolos transmissam in textu et contextu includi. — Unde Protestantes ex hoc textu iam non arguere solent. — Cf. *Cornely*, ad l. p. 71, 72. — *Murray,* tom. 2 p. 712.

Ob. 6. — 1 Thes. 4, 9: « *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis ; ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem* ». — R. V. 11 sequitur : « operam detis... ut vestrum negotium agatis et operemini manibus vestris, sicut praecipimus vobis ». Ergo caetera quidem multa, praecipue de evitanda vana exspectatione repentini adventus eschatologici Christi, non immediate Deus, sed immediate ipse apostolus iterum inculcat, caritatem non. « Deus enim per legem Christi (ab apostolo iis praedicatam) et per internam Christi gratiam et instinctum vos docuit, ut diligatis invicem ». Cornel. a Lapide ad l.

Ob. 7. — 1 Thes. 5, 21: « *Omnia probate, quod bonum est tenete* ». — R. Sensus est : *diiudicate prophetias privatas secundum principia doctrinae a nobis receptae, praesidente huic ipso iudicio* (discretionis, uti ex 1 Cor. 14, 40 : « omnia autem... secundum ordinem fiant » ob paritatem rationis concludendum est) *ea auctoritate externa, quae*

ubique in Pauli epistolis supponitur. Cf. a Lapide ad 1. Unde falso Chemnitz, Novatus concludebant, licere sibi carpere doctrinam ab ecclesiastica auctoritate, quae in locum apostolorum successit, propositam, quasi fallibilis sit.

Ob. 8. — 1 Io. 2, 20-27: « 20. *Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia... 26. Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos...* 27... *Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus et verum est* ». — R. Sensus est : *haeretici docent, alium esse Iesum, alium Christum* (22). *At « vos quod audistis* (*apostolis praedicantibus, porro ipso S. Evangelista Ioanne et antea scribente* [26] *et iterum nunc*) *ab initio », vestrae conversionis ad religionem christianam « in vobis permaneat ». Hac fide instructi « nostis omnia » ad refutationem huius haereseos necessaria. Hanc doctrinam ut teneatis et recte intelligere secundum praedicationis apostolicae normam peregatis, efficit in vobis unctio, vires a Spiritu Sancto datae* (praecipue in sacramento confirmationis? ideo χρῖσμα?), ipse Spiritus Sanctus in vobis habitans. — Quibus modis Spiritus efficiat, ut veritatem ab apostolis propositam, a se nunc iterum inculcatam, firmissime teneant, hoc loco data opera S. Ioannes non exponit. — Patet ergo, ministerium apostolorum formaliter includi hoc loco, atque doctrinam a solo Spiritu sancto immediate revelandam ipsis verbis negari. — Cf. *Belser*, Die Briefe des Io. 1906 p. 55-64. (Ultima quae lit. min. p. 64 impressa sunt, potius transmitto); Murray, tom. 2 p. 710-2.

Ob. 9. — 1 Io, 4, 1: « *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt* ». — R. Sensus est : *omnem veritatem quam haeretici vobis proponunt probate ita, ut assertum eorum comparetis cum norma praedicationis a nobis traditae.* Quodsi in ea continetur credenda est ; si ei contradicit, damnanda. Addit immediate « quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum », i. e. contradicentes doctrinae de incarnatione, quam toties Ioannes praedicaverat (v. 2).

Assertio 2. — Magisterium ecclesiasticum e Christi institutione semper erit vivum.

Expl. term. — Magisterium dicitur *vivum, in quantum ab hominum actibus vitalibus* procedit ; ergo aeternum est in ratione magisterii vivi, in quantum ininterrupte usque ad ultimum iudicium ab actibus vitalibus hominum viventium progreditur.

Mortuum vero dicitur magisterium, quod *a*) processit a persona, quae non iam vivit atque ideo mentem suam explicare non iam potest ; quod *b*) neque secum fert, ut a persona alia semper vivente explicetur, quae certo sensum doctrinae ab alio antea datae cognoscit.

Utique nondum demonstravimus, existere Scripturam, i. e. libros inspiratos seu a Deo per hominem ut instrumentum suum scriptos, qui ecclesiae ut tales in regulam fidei traditi sint. At thesis nostra vera est, sive existit Scriptura sive non, et, si existit, sive omnes veritates revelatas continet, sive, uti in hoc ordine rerum, non omnes continet. Ut autem et notiones clariores exhibeamus et simul rem magis in concreto consideremus, existentiam Scripturarum e concessione Protestantium sumimus. Non autem in existentia Scripturae insistimus, neque de relatione inter eam et magisterium ecclesiasticum larga ratione tractabimus, cum auctores ampliora de ea post demonstratam Scripturae existentiam proponere soleant.

Unde magisterium Scripturae solius, prouti a Protestantibus concipitur, Catholici dicunt *mortuum a*) In quantum auctores eorum mortui sunt, neque — ex sententia Protestantium — adsunt homines viventes, qui uti quidam quasi vicarii auctorum mortuorum mentem scriptorum explicare possunt, libri vero ipsi, utpote non viventes, sane se ipsos explicare, defendere etc. non possunt. *b*) In quantum — contra id quod dicunt Protestantes — probari potest, Deum ipsum nequaquam suis actibus internis revelantibus vel alia ratione illuminantibus, hunc librum omnibus explicare. Unde, abstrahendo a magisterio vivo humano successorum apostolorum, quod Protestantes spernebant, Scriptura suo Esse quasi mortuo relicta dicenda esset.

Adv. — Protestantes haud pauci, uti *Luther ante annum 1545, Anabaptistae, Quakeri, multi theologi Protestantes* oeconomiam nostram ita concipiunt, ut in ea magisterium internum vivum cum externo mortuo coniungant, externum vero humanum vivum negent. Magister ille externus mortuus illis est Scriptura inspirata, quae omnia credenda contineat. Magister vero internus vivus illis est Spiritus Sanctus, qui per testimonium suum in lectores vel auditores Scripturae agit. Quod testimonium Spiritus Sancti quidam uti revelationem vere talem concipiunt, quidam, ut antea diximus, uti alterius generis adiutorium plus minusve extraordinarium. — De quaestione, qua ratione partes huius magistri interni et externi inter se dividendae sint diversa videntur sensisse.

Arg. I. — **E verbis Christi apud Mt. 28, 20.** — *a*) Evidens est, ipsos duodecim Apostolos e mandato Christi magisterium vivum formasse. — *b*) Quaeritur utrum eadem ratio magisterii in eorum successoribus permanserit. Id quod affirmandum est.

Etenim si tota ratio doctrinae hauriendae post mortem apostolorum in eo esset, ut libri ab ipsis apostolis conscripti a singulis hominibus Spiritus Sancti operatione mere interna cognoscerentur, et — mea pace — infallibiliter explicarentur, sane nulla iam vera potestas docendi in successoribus apostolorum inveniretur, atque proinde *Christus inaequalem potestatem his verbis contulisset ipsis duodecim apostolis, inaequalem eorum successoribus.* Atqui Christus etiam successoribus apostolorum potestatem docendi facit, iis mandatum docendi imponit, se efficaciter curaturum esse promittit, ut hoc mandatum ab iis executioni detur. Ergo magisterium a Christo institutum semper erit vivum.

Prob. min. — Christus iubet eos, quos alloquitur, usque ad ultimum iudicium discipulos facere. Vult eos ipsos usque ad illud tempus duo media ad hunc effectum obtinendum adhibere, administrationem sacramentorum, propositionem doctrinae de omnibus, quae ipse doceri mandavit. Promittit se omni tempore iis astiturum esse, ut utrumque medium cum successu adhibeant. Iamvero ii duodecim qui coram aderant, mortui sunt. Ergo qui iis succedunt semper uti baptizandi ita etiam docendi tum mandatum acceperunt tum in docendo assistentiam.

Arg. II. — **E verbis et gestis apostolorum.** — *a*) Apostoli *immediatis suis successoribus mandabant, ut aliis doctrinam a se acceptam traderent.* Ita S. Paulus 2 Tim. 2, 2 Timotheo, qui nomine Pauli ecclesiam Ephesinam regebat, haec scripsit: « .... quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere ». Cf. quoque Tit. 5, 9.

b) *Supponunt, hanc oeconomiam pro omni tempore valere.* Etenim *a*) uti 2 Tim. 2, 2 ita verbis 1 Tim. 6, 13-4: « Praecipio tibi.... ut serves mandatum (quod e contextu saltem etiam complectitur mandatum de fide praedicanda) sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi » evidenter supponitur, hanc oeconomiam saltem etiam post aevum apostolicum valere; nemo enim dixerit, S. Paulum supposuisse et Timotheum et omnes doctores ab ipso Timotheo

constitutos iam intra aevum apostolorum morituros esse! Si autem oeconomia post aetatem apostolorum eadem est atque tempore apostolorum erat, nulla ratio apparet, cur ea intra illud tempus postapostolicum mutationem essentialem subierit. Quaė enim extraordinaria in Ecclesia erant, illi aevo ascribenda sunt. Cf. Rep. p. 292-4. — *b*) Praeterea apostoli ex una parte instituebant episcopos, idque ita ut eorum munus in aeternum sit duraturum. Ex alia parte docent, in munere episcopi munus doctoris fidei christianae inclusum esse. Utrumque expositum est cum de episcopis sermo erat.

Arg. III. — **Ex auctoritate humana Patrum.** — Patres, qui sane Scripturam inspiratam esse supponebant, tamen continuo ad magisterium vivum provocant. Imo affirmant, magisterium illud vivum vero quodam modo proponere omnia credenda, ipsam quoque Scripturam, et in quantum eius inspiratio respicitur et in quantum eius sensus attenditur. E multis pauca accipe.

Irenaeus l. 3 c. 4 n. 1 M G 7, 855 contra Gnosticos premit: « Non oportet quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, *cum apostoli,* quasi in depositorium dives, plenissime *in eam contulerint omnia quae sint veritatis,* uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos, quae autem sunt ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem ».

Tertullianus inculcat adversus omnes haereticos De praescript. c. 19 M L 2, 31: « Ergo non ad scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae. Nam, etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, *quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani.* Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, ibi erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum ».

Origenis textum clarissimum v. Rep. p. 388.

Vincentius Lirin. Common. 1 c. 22 ML 50, 667: « Quis

est hodie Timotheus, nisi vel generaliter universa ecclesia, vel specialiter *totum corpus praepositorum* (ecclesia docens) *qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent vel aliis infundere* ».

S. Epiphanius, Haer. 60. n. 12 M G 41, 1035: « *Est regia quaedam via, nimirum Ecclesia Dei, ac veritatis iter.* Unaquaeque vero haereseum, regia derelicta via, ad dexteram sinistramve deflectens, deinceps in immensum errorem sese committens abripitur ».

S. Iohannes Damasc., De fide orthod. t. 4. c. 10 M G 94, 1127: « Qui *secundum Ecclesiae catholicae traditionem non credit, hic infidelis est* ».

Difficultates contra magisterium ut vivum.

Ob. 1. — Si magistri vivi infallibiles habentur, *perit in talibus magistris libertas dicendi falsum.* Atqui homini essentialis est libertas in iis omnibus actibus, in quibus non agitur de bono, quod cum beatitudine ut sic connexum videt. — N. ma. Ut saepe diximus, *dantur adiutoria efficacia, quae non laedunt libertatem.*

Ob. 2. — Si magistri infallibiles habentur, *scientia non manet libera,* cum sententiis definitis ut norma constringatur. Atqui scientia essentialiter libera est. — R. Quamvis haec difficultas toties afferatur contra magisterium ecclesiasticum ut est infallibile in custodienda et explicanda revelatione, tamen *eodem modo est contra ipsam possibilitatem revelationis et fidei.* Unde cf. refutationem de rev. in abstr. prop. 5 n. 112 p. 53.

Ob. 3. — Si continuo existeret magisterium infallibile vivum, *docti deberent doctrinas suas mensurare secundum decisiones futuras incognitas talis magisterii.* Atqui hoc impossibile est. Ita fere Paulsen, Kant, der Philosoph des Protestantismus, Berlin 1889. — R. N. ma. *Debent tantum semper parati esse, ut tunc doctrinas suas componant secundum decisiones, quando actu cognitae fuerint.* Hoc modo autem se habet v. g. etiam indagator historiae erga relationes fontium auctoritate dignorum, quos forte se in posterum inventurum esse sperat.

Difficultates contra connexionem inter magisterium vivum infallibile et Scripturam infallibilem.

Ob. 1. — Supponimus cum quibusdam adversariis, doctrinam, quae a magistris per Christum institutis explicanda sit, praecipue contineri in libris scriptis Veteris et Novi Testamenti. Quo posito ita arguitur: Ii *qui maiorem partem doctrinae tradendae scripserunt, iam diu mortui sunt.* Ergo ipsi non possunt hanc doctrinam continuo tradere

atque explicare. Ergo magisterium a Christo institutum saltem quoad eas plurimas doctrinas atque prout in his libris continentur, non est vivum. — R. N. tacitam suppositionem difficultatis, scilicet essentiam magisterii vivi in eo consistere, ut eadem persona physica, quae prima proposuit doctrinam, eam continuo qua vivens tradere atque explicare debeat. Illud unum requiritur, ut sint viventes qui id faciant atque ut novis semper actibus id facere possint.

Ob. 2. — Inepta est coniunctio inter magisterium vivum infallibile et Scripturam infallibilem. — R. Haec difficultas in Tractatu de Scriptura et Traditione data opera proponi atque solvi solet. Sufficiat hic breviter notare, cur ea connexio non repugnet, cur potius hae duae magisterii rationes inter se multum iuvent: 1) Qui sint libri omnes Scripturae inspiratae, in concreto nonnisi per magisterium ecclesiae docetur. 2) Non omnes aliae doctrinae revelatae simpliciter et multo minus clare in Scriptura continentur. 3) Neque omnia quae cum revelatis cohaerent, in ea inveniuntur. 4) Veritates revelatae in Scriptura contentae explicationem infallibilem habent per magisterium ecclesiae.

Assertio 3. — Magisterio ecclesiastico a Deo munus publicum impositum est ut omnes omnino homines doceat; hi vero omnes obligati sunt, ut tum illud magisterium audiant tum quaecunque illud nomine Christi docet irrevocabili assensu ob eius auctoritatem divinitus datam amplectantur.

Adv. — Ii non inveniuntur tantum in castris liberalium Protestantium qui magis extrema sequuntur, verum etiam sunt ii Protestantes qui conservatores dicuntur. Solent enim docere, auctoritatem tum scripturae tum praedicationis oralis apostolorum non esse aliam quam *documenti historici*, quod ob quendam influxum Spiritus in Apostolos, in essentialibus quidem, at non in omnibus quae enarret, doctrinam Christi referat. Cf. sententias similes diversas relatas apud. Pesch, De inspir. Script., Friburgi 1909, n. 327-72 p. 230-64.

Expl. term. — Ut mandatum, quo homines omnes et hoc magisterium audire et eius omnes doctrinas firma fide amplecti iubentur, *effectum suum obtinere possit, sane supponitur, illud antea probasse, se a Deo hac auctoritate instructum esse.* Id quod multis modis probari potest, v. g. auctoritate humana, miraculis quibus veritas asserti probetur, quo sibi hanc auctoritatem ascribit, etc.

Pars. I. — Magisterium ecclesiasticum vi muneris publici sibi impositi omnes homines docet.

Expl. term. — Aliud est *munus publicum*, aliud munus publicum iurisdictionale. Illud genus est, hoc species. Illud est ambitus iurium et officiorum, quae ab auctoritate publica stabiliter alicui concredita sunt; hoc vero est ambitus talis in ordine ad regendos subditos societatis sensu stricto (cum potestate iurisdictionis). Illo fungitur v. g. legatus regius apud alium monarcham; hoc v. g. gubernatur alicuius provinciae.

Hoc asserto de *eiusmodi munere* agimus, *quod magisterio ecclesiastico erga omnes homines* incumbit, non tantum erga Ecclesiae filios vel etiam subditos; sequenti asserto videbimus, illud magisterium Ecclesiae filios et per se etiam omnes subditos, etiam vi muneris alterius distincti i. e. iurisdictionis potestate, ad assensum obligare.

Arg. — *Munus publicum* est ambitus iurium et officiorum, quae ab auctoritate publica alicui stabiliter demandata sunt. Iamvero Mt. 28, 20 Christus, totius humani generis rex, apostolis mandatum, ergo officium dat ut evangelium praedicent (Mt. 16, 15), omnia proinde peragant, quae ad hunc finem faciunt; ergo etiam ius ad eadem agenda dat. Munus hoc *stabile* sane est, quippe cum usque ad diem ultimi iudicii duraturum sit. *Omnes* omnino homines esse eos, quibus praedicandum sit, patet e termino: praedicate « omni creaturae » Mc. 16, 15. Unde merito S. Paulus 2 Cor. 5, 20: « pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos », « scilicet Christi rem gerentes eiusque locum tenentes », uti ait Cornely in 1.

Pars. II. — Omnes omnino homines vi legis Christi obligati sunt, ut hoc magisterium audiant.

Expl. term. — Potest quis obligatus esse, ut quantum est ex eo ipso, doctrinam proponat, quin tamen ulli homines obligati sint, ut illum audiant, i. e. ut saltem ad ea attendant quae docet, abstrahendo interim ab assensu, qui eius doctrinae praebendus sit. Ita in hodiernis Universitatibus haud raro inveniuntur professores, qui auctoritate publica docendi accepta

adstringuntur ut doctrinam suam iis qui forte concurrerint exponant, quin tamen ullus eos audire teneatur. Alii aliquando professores sunt, quos auditores frequentare tenentur. — Interim breviter innuimus, omnes homines saltem ad id teneri, ut Collegium apostolicum in aeternum vivens *reverenter audiant, abstrahendo interim a quaestione, num quem et qualem assensum ei docenti debeant.*

Obligationem audiendi deducimus *e lege Christi positiva,* quam observare utique lex naturalis ipsa iubet, cum eum a Deo accepisse potestatem iubendi homines demonstratum sit. Cui legi positivae divinae accedit pro baptizatis lex ecclesiastica, id quod sequenti assertione probabimus. — Auctores assertum hoc fere modo probare solent:

Arg. 1. — Dominus Io. 20, 21 apostolis ait: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos ». Iamvero Pater Christum ita miserat, ut omnes saltem ad id obligarentur, ut ei aures praeberent. Etenim saltem hoc continetur in verbis Mt. 17, 5 de Christo transfigurato: « Et ecce vox de coelo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite ». Porro evidens est, Iudaeos obligatos fuisse, ut audirent Christum, prophetam suum et Messiam. Missio vero apostolorum ad gentes nihil aliud erat, quam extensio missionis Christi, qui personaliter solos Iudaeos, Deo ita statuente, docere debuit, ad omnes gentes mediantibus missis suis seu apostolis. Ergo.

Arg. 2. — Mt. 28, 20 Iesus Collegio apostolico ait: « Euntes in mundum universum μαθητεύσατε i. e., ut Maldonatus ait, quasi « discipulate » omnes gentes, i. e. facite eos discipulos, qui omnes meas doctrinas credant et omnia mea alia mandata servent. Iamvero correlativa inter se postulant. Ergo Christus, qui et apostolorum et omnium populorum Dominus erat, uti apostolis mandatum dedit ut baptizent et doceant, ita omnibus hominibus, ut baptismum recipiant et doctrinam saltem audiant. Cf. Murray III p. 5-6; Straub n. 39 p. 23-4.

Arg. 3. — Sequenti parte asserti probabimus, Iesum iussisse omnes homines omnem apostolici magisterii doctrinam firmissime credere. Atqui in hoc praecepto includitur praeceptum de medio ordinario necessario, ut hunc assensum ponere possint, scilicet ut ad doctrinam reverenter attendant.

Pars. III. — Omnes homines vi legis Christi obligantur, ut quaecumque vivens magisterium apostolicum suprema sua auctoritate docet, irrevocabili assensu credant.

Dicimus, legem Christi imponere uniuscuiusque hominis *voluntati, ut intellectui suo fidem irrevocabiliter firmam imperet in omnia, quae hoc vivens magisterium unquam docturum sit.* Si ergo hoc magisterium aliquid proposuerit ut a Deo revelatum, imponitur assensus irrevocabilis in illud ut a Deo revelatum; si quid proposuerit simpliciter ut verum, imponitur assensus irrevocabilis in illud ut verum. Semper autem intelligitur assensus positus ob auctoritatem divinitus redditam infallibilem, qua Deus hoc magisterium instruxit, assensus ergo fidei vere talis. Ulteriora de natura huius assensus inquirere non est huius loci, sed ad tractatum de fide spectat.

Non ergo intelligitur, imponi *assensum ob visam intrinsecam evidentiam rei*, seu actum scientiae. Intelligere enim in se ipso imperari nequit. *Neque sufficit assensus positus ob evidentiam attestationis,* qui aliquando dicitur fides historica, aliquando fides scientifica, quippe quae ad scientiam revocanda sit. Eius motivum est, quod in aliquo casu particulari probatur, eos de quorum verbis sermo est, in hoc casu non potuisse nescire rem, quam referunt, neque — ob circumstantias — dixisse falsum, etsi veracitas, ut est virtus ethica, ne in quaestionem quidem necessario veniat. In hoc ergo assensu, qui ex evidentia attestationis procedit, posito testimonio, prius fiat necesse est inquisitio, num testes hanc vel illam rem scire potuerint, num in hac vel illa re forte fefellerint. Secundum quod diversus fuerit exitus huius examinis critici, forte in omnibus vel in quibusdam recte credis vel discredis, aut in omnibus vel in quibusdam recte iudicium suspendis.

Neque sufficit fides quae dicitur ethica, humana tamen, cuius scilicet motivum est scientia et virtus veracitatis, quam in homine loquente quoad quoddam saltem genus rerum adfuisse antea demonstratum fuerit. De qua distinctione inter assensum ob evidentiam attestationis et fidem humanam ethicam cf. v. g. De religione revelata in abstracto n. 148 p. 105-6. Etenim etiam fidei ethicae falsum subesse potest, porro posito testimonio li-

citum, imo necessarium est, inquiri in conditiones ob quas constet, num qui loquitur in his omnibus quae dicit verum scire potuerit, num eius virtus ethica veracitatis ad ea omnia, quae asserit, se extendat. Quo examine instituto omnibus vel parti cuidam ex iis quae dicuntur, aut credis aut discredis aut iudicium circa ea suspendis.

Sed requiritur fides debita auctoritati divinitus datae et infallibilitate instructae in omnibus quae tradit. Unde posita assertione magisterii apostolici nullum licitum est examen, num in omnibus vel in parte assertorum erret, nulla licita suspensio iudicii, sed omnia assumenda sunt ob hoc ipsum, quia magisterium apostolicum vivens haec doceat. — Argumenta auctores hoc fere modo proponunt, de quibus praecipue cf. Murray III p. 5-13.

Arg. 1. — Christus ipse ita docuit, ut assensum irrevocabilem imponeret in omnia quae ipse docuit. Atqui *a*) Io. 20, 21 apostolis ait: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* ». *b*) Mt. 28, 20 *ex potestate tali* tum sanctificandi tum docendi, qualem ipse a Patre accepit, *potestatem apostolis communicat.* « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo (quam vocem Vulgata recte quoad sensum adiungit) facite discipulos omnes gentes... docentes ». Ergo Christus apostolis quoque eam potestatem dat, ut assensum irrevocabilem imponant.

Patet eam esse differentiam inter Christum docentem et apostolos docentes, quod Christus imponit assensum praestandum ob auctoritatem divinam, cum ipse et ut homo propheta sit, et verus Deus, apostoli vero assensum imponunt praestandum ob auctoritatem creatam divinitus redditam infallibilem, quem tamen assensum quidam dicunt fidem divinam mediatam, quidam aliter vocant. At haec differentia sane non tollit id quod unice hic asseritur, etiam erga apostolos praedicantes assensum irrevocabilem ob auctoritatem eorum praestandum esse.

Arg. 2. — Christus Mc. 16, 15 docet, esse necessarium ad salutem credere Evangelium prouti ab apostolis in aeternum viventibus proponitur, i. e. assensu irrevocabili illud amplecti. Atqui quae sunt necessaria ad salutem Christus hominibus imposuit. Ergo Christus omnibus hominibus assensum irrevocabilem in omnia verba apostolorum imposuit.

Arg. 3. — S. Paulus, mentem Christi exsequens, ab omnibus assensum irrevocabilem postulavit. Nam docet, apostolos praedicatione sua esse in captivitatem « *redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* », 2 Cor. 10, 5; se accepisse « apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius » i. e. ad obedientiam fidei doctrinae efficiendam in omnibus gentibus, Rom. 1, 5; Rom. 15, 18: « non... audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis », ubi sermo est de obedientia fidei. Haec autem non tantum valent de fidelibus qui iam baptizati sunt, sed de omnibus qui crediderunt, etsi nondum baptizati sunt. Etenim haec a Paulo ex natura fidei et praedicationis apostolicae deducuntur; cf. Estius ad Rom. 1, 5. — Eadem ratione fides ab omnibus apostolis disseminata est, sive agebatur de hominibus a iudaismo vel ethnicismo convertendis sive de iis qui iam conversi erant post baptismum ulterius instruendis. Cf. Murray III n. 22 p. 13.

Arg. 4. — Evidentissime Ecclesia catholica a membris suis atque per se ab omnibus baptizatis eiusmodi fidem irrevocabilem in omnia quae magisterium ecclesiasticum proponit continuo postulavit atque postulat, fideles vero eiusmodi assensum praestiterunt semper atque praestant. Atqui, ut habet Billot qu. 10 th. 16 § 1 p. 385; *in magisterio erga ethnicos et erga catholicos nulla omnino ponenda est differentia,* « *nisi quod relate ad fideles seu baptizatos, magisterium hoc coniungitur cum iurisdictione* », de qua re in sequenti assertione agemus. Ergo magisterium apostolicum in aeternum vivens assensum irrevocabilem in omnia quae praedicat, nomine Dei praestandum esse docet.

Arg. 5. — Cum Christus voluerit, omnem suam doctrinam usque ad finem saeculorum incorruptam in mundo permanere, certo certius elegit *medium omnibus hominibus, prouti in concreto sunt, adaptatum.* Atqui tale medium habetur *in sola praedicatione ea, quae fidem in auctoritatem infallibilem imponit.* Ergo tali potestate Christus apostolos instruxit.

Probo min. Etenim tale medium haberetur aut 1) in testificatione mere humana sive scripta sive ore tradita; aut 2) in Scriptura Sacra sola; aut 3) in revelatione privata singulorum; aut 4) in missione prophetarum inter se succedentium;

aut 5) in eiusmodi praedicatione quam diximus. Atqui media sub n. 3 et 4 posita non adsunt in hoc ordine providentiae divinae, cf. assert. 1, 5; media autem sub n. 1 et 2 posita hominibus uti sunt, minime conveniunt. Nam testimonium humanum quod attinet, nequaquam « hominum parti saltem longe maximae de humani illius testimonii genuinitate, integritate, veracitate sensuque vero vel intento constare posset certitudine sufficiente ad assensum firmissimum ponendum, spectata quidem doctrina credenda secundum totam suam amplitudinem; et quid, si in testificatione ore tradita consensus non inveniretur? ». Straub n. 53 I. p. 36 (apud quem n. 52-3 p. 36-7 v. hoc argumentum quartum). Scripturam autem quod attinet, si sola sumitur, similia dicenda sunt, quae vide evoluta v. g. interim Billot qu. 10 th. 16 § 1. p. 351-61; de qua re in alio loco sermo recurret.

Scholion. I. — **De terminologia relate ad eiusmodi magisterium, quale hac assertione exhibuimus.** — Sive pars eius perfectionis, quam hoc asserto magisterio Ecclesiae vindicavimus, sive tota illa perfectio, sive haec tota addita ea perfectione, quam in sequenti assertione ei ascribemus, in causa est cur hoc magisterium dictum sit **authenticum (auctoritativum)**. — 1) Aliquando authenticos vocant eos omnes magistros, qui sive a Deo sive ab Ecclesia auctoritate accepta ita docent, ut imponere possint et se audiri et *aliquem* assensum, etsi per se non irrevocabilem, suae doctrinae dari. Hac ratione, uti videbimus, in sua quisque dioecesi docent episcopi singuli, item Congregationes quaedam vel Commissiones Romanae, etc. — 2) Aliquando authenticum dicunt illud solum magisterium quod praeterea ius habet irrevocabilem assensum imponendi. — 3) Aliquando omnes quidem eos magistros authenticos dicunt, quos sub n. 1 exhibuimus, ita tamen ut sensu pleno et perfecto, antonomastice, solum eos authenticos nominent, quos sub n. 2 recensuimus. — 4) Imo forte aliquando hoc nomen magisterio ecclesiastico tantum eatenus imponunt, quatenus illud praeterea potestate iurisdictionali eiusmodi assensum irrevocabilem Ecclesiae subditis vi iurisdictionis imponit.

Etiam terminus « **coactivum** » aliquando ad illud magisterium applicatur, quod in hoc asserto descripsimus.

***Scholion II.* — Quae sit relatio inter notionem magistri infallibilis, et magistri vi muneris docentis et imponentis assensum.** — 1) Non repugnat, quominus Deus hominem quemdam vel privatum infallibilem reddat, qui alios etsi tantum magisterialiter doceat, nullo vero modo auctoritative seu imponendo assensum. Posset tale donum ideo concedere, ut alios quosdam v. g. in indaganda veritate religiosa iuvaret. Ita haberetur magister *infallibilis, nullo vero modo authenticus,* cum is neque vi muneris doceat neque assensum ullum imponat. — 2) Habentur, uti postea videbimus, *magistri authentici vero quodam modo,* i. e. qui vi muneris publici docent et aliquem assensum per se praestandum imponunt, *neque tamen infallibiles* sunt. Imponunt v. g. assensum tantum conditionatum, temporarium, probabilem etc. — 3) Ut quis tamen sit magister *authenticus perfecto modo,* qui scilicet assensum irrevocabilem imponere potest, necesse est eum natura prius *infallibilem* esse redditum. — Nihilominus eiusmodi magister per aliam formalitatem est perfecte authenticus, per aliam formalitatem infallibilis. Authenticus perfecte eo est, quod et vi muneris docet et assensum irrevocabilem ponendum esse nomine Dei denuntiat, vel eum imponit; infallibilis est eo quod errare in doctrina imposita non potest.

Assertio 4. — Magisterium ecclesiasticum subditis vi iurisdictionis credenda omnia imponit.

Lit. — Praecipue *Straub* n. 642-50 II p. 19-29, quamvis proxime de alia re agat. — *Palmieri* § 45 3° p. 237-9. — *Billot* [3] q. 8 § 2 p. 335-7.

Expl. term. — Iurisdictio est potestas obligandi subditos in ordine ad finem societatis. Dicimus ergo, vi huius potestatis superiores ecclesiasticos, seu collegium apostolicum in aeternum vivens subditis ecclesiae assensum imponere, i. e. *imponere baptizatorum voluntati ut intellectui assensum imperet* in veritates a magisterio ecclesiastico propositas. *Imperatur ab Ecclesia fides divina,* si agitur de veritatibus a Deo revelatis, et ad credendum ab ecclesia propositis, imperatur *fides ecclesiastica,* infallibilis, si agitur de veritatibus ab ecclesia quidem ad credendum propositis, sed a Deo non revelatis. — De potestate ecclesiae

circa quasdam veritates, quas ut firmissime credendas quidem non imponit, sed alio modo proponit, postea videbimus.

Abstrahimus a quaestione, num potestas modo mox descripto docendi sit vere pars potestatis iurisdictionis an alio modo ad eam se habeat. Quam quaestionem alio in loco tractabimus.

[***Qual.*** — Negare thesim mihi videtur saltem esse error in fide].

Arg. I. — **E natura rei.** — E Mt. 28, 20 et Mc. 14, 15-6 sequitur, fidem a membris ecclesiae verbis apostolorum atque successorum eorum praestandam omnino pertinere ad finem ecclesiae. E natura rei vero atque e Mt. 16, 18-20 uti v. g. « Quaecumque ligaveris... », sequitur, ecclesiam filiis suis omnibusque baptizatis omnia imperare posse quae ad finem suum necessaria sunt. Ergo ecclesia potestatem habet imponendi fidem in omnia ea, quae Christus ei praedicanda mandavit.

Arg. II. — **Ex usu huius potestatis e parte apostolorum.** — S. Paulus 2 Cor. 10, 5-6 de se ut apostolo haec habet: « in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes [parati] *ulcisci* [*i. e. punire*] omnem inobedientiam ». Quae inobedientia sita erat in haeresi iudaizantium. Cf. Cornely, Com. in 2 Cor. ad l. p. 262-4. Weber, Bibl. Zeitschrift 1903 p. 73-6. Iamvero iuxta doctrinam eiusdem S. Pauli 1 Cor. 5, 12: « Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? » i. e. de iis, qui nunquam Ecclesiam per baptismi ianuam ingressi sunt, quae doctrina postea magis evolvetur, ergo secundum haec verba S. Pauli potestas punitionis et proinde iurisdictio ecclesiastica in eos tantum exerceri potest, qui Ecclesiae subditi sunt, atque, ut patet, tantum ob ea, in quibus subditi sunt. Ergo *S. Paulus vi iurisdictionis Ecclesiae subditis fidem imposuit.* Iamvero certo non erat maior potestas S. Pauli quam caeterorum apostolorum.

Arg. III. — **E praxi Ecclesiae.** — Innumeris Ecclesiae documentis constat, eam actum fidei iurisdictione sua iussisse, contra agentes vero filios Ecclesiae ad haeresim delapsos potestate iurisdictionis punivisse. Quoad primum cf. v. g. Trid.: « cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac... aliter vel

credere vel docere vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum ». Quoad secundum v. g. plurimas atque gravissimas poenas quae saeculorum decursu ab ecclesiastica auctoritate contra haereticos manifestos statutae sunt, v. g. excommunicationem certis cum effectis canonicis coniunctam, qui non eo ipso habentur quod quis per haeresim extra Ecclesiam fit.

Ob. 1. — Assensus in veritates revelatas *iam ab ipso Deo imponitur.* Ergo non ab ipsa quoque Ecclesia imperatur. — R. N. consequentiam. Optime *unum idemque mandatum a pluribus auctoritatibus* imponi potest. V. g. duellum vetitum est a Deo, ab ecclesia, saepe etiam a statu civili.

Ob. 2. — *Nullibi lex ecclesiastica legitur,* quae ex sua parte praescribat filiis ecclesiae omnia credere, quae Deus revelavit. — R. Non legitur lex expressa, c.; haec lex non *cum ipso fine ecclesiae* imposito omnibus ecclesiae filiis data est, n.

Ob. 3. — Ecclesia *vi iurisdictionis actus mere internos imponere* nequit. Atqui actus fidei mere interni sunt. — Responsum secundum diversas theologorum sententias diversum datur. Haud pauci *maiorem omnino negant.* — Alii maiorem ita distinguunt: ecclesia eiusmodi actus internos imponere nequit auctoritate iurisdictionis propria, c.; vicaria, seu in foro Dei. n. — Alii potius minorem distinguunt: et ecclesia actus fidei mere internos sua auctoritate iurisdictionali imponit, n.; actus fidei cum eorum expressione externa, c.

Ob. 4. — *Societas una leges alterius Societatis* actu legislatoris *imponere* vel earum transgressionem punire nequit. Ergo neque Ecclesia leges Dei. Ergo argumentum S. Pauli falso supposito nititur. — R. D. ant.: *si societas una leges alterius non fecit suas,* c.; si hoc fecit, n. Iamvero ecclesia ita cum legibus Dei ad finem suum necessariis agere debebat. Est enim finis ecclesiae salus animarum; ad quam assequendum necesse est leges Dei observari. Ergo etiam ecclesia earum observantiam imponat necesse est.

Cor. — Ergo quodcunque subiectum potestate regendi suprema gaudet, id talem potestatem infallibiliter docendi habet. — Ratio asserti haec est: Qui potestatem supremam et plenam habet, toti ecclesiae veritates tenendas imponere potest. Ea enim potestas ad omnes res ad finem ecclesiae facientes extenditur. Atqui repugnat, quominus Deus talem obligationem imponat, nisi infallibilitatem obliganti concesserit (Prop. 19).

Assertio 5. — Magisterium ecclesiasticum infallibile redditur assistentia divina non vero aut revelatione aut inspiratione aut scientia infusa.

Pars. I. — Infallibilitas non efficitur revelatione, inspiratione, scientia infusa.

Non revelatione.

Revelationem intelligimus *locutionem Dei attestantem,* cui proinde in recipiente respondet fides divina (Rep. p. 23). Dividitur *secundum materiam* in eam, qua *nova veritas* revelatur, in eam, qua *veritas iam prius revelata iterum,* novo actu revelativo, a Deo credenda *proponitur.* Neutra ut ratio infallibilitatis ecclesiastici magisterii admitti potest.

Arg. 1. — *E revelatione clausa.* Postea, independenter ab hac thesi, probabitur, post aevum apostolicum non iam dari ullam revelationem publicam, sive veritatum novarum sive iam revelatarum.

Arg. 2. — Revelatio, cui fides ab ecclesiastico magisterio deberetur, non potest non cadere sub experientia psychologica, praecipue cum de tanta multitudine hominum agatur, quae per tot saecula magisterium Ecclesiae composuit. Praeterea si illi tale donum sibi collatum esse negant, tum ob alias rationes fide digni sunt, tum etiam eo, quia revelatio sane donum honorificum atque sublime est, quod homines sibi ascribere non omitterent sive ob religionis christianae sive ob sui ipsorum amorem. Iamvero constanter negarunt sibi tale donum conferri, idque tum explicite tum implicite. Explicite ea doctrina, de qua in argumento 1 egimus. Implicite eo quod constanter ad studia omnis generis tum in Conciliis tum extra ea uti necessaria recurrebant, ut quod veritas habebat, ecclesiam docerent, v. g. evolvendo testes traditionis; etenim evidenter stultum est eum, cui revelatio divina de re quadam promissa est, eam studiis assequi velle.

Arg. 3. — Fides quae magisterio ecclesiastico per se, ob infallibilitatem ei insitam, debetur, est fides sive ecclesiastica, sive ut alii volunt mediate divina, non vero immediata divina. Quod si eius definitioni debetur fides divina, id obtinet ob materiam

quam tenendam proponit, scilicet revelationem divinam in deposito apostolico contentam. Atqui si infallibilitas magisterii ecclesiastici efficeretur revelatione divina publica, omnes eius decisiones fide immediate divina suscipiendae essent, etiam eae quae nonnisi res cum deposito apostolico connexas, v. g. facta dogmatica proponunt.

Non inspiratione.

Ex tractatu de inspiratione haec brevissime praemittenda sunt: Inspiratio, sensu technico intellecta, seu biblica, est *actus quo Deus qua causa principalis per hominem ut causam instrumentalem scribit.* Potest etiam esse eiusmodi inspiratio ad loquendum. Omni sententiae inspiratae proinde debetur fides immediate divina. Deus, per hominem ut instrumentum suum scribens, ea aliis hominibus scribere potest, quae homo, quo ut instrumento utitur, studiis quibuscumque naturalibus didicit. Neque actio inspirativa Dei, quippe quae nullo modo sit revelatio sensu vero seu locutio Dei attestans *relate ad hominem ipsum inspiratum,* sed tantum relate ad eos ad quos Deus per talem hominem inspiratum loquitur, necessario sub conscientiam hominis inspirati cadit. Potest haberi inspiratio privata, publica, uti habetur revelatio privata, publica. Inspiratio publica seu toti ecclesiae destinata, post aevum apostolicum non iam a Deo datur. — Unde

Arg. primum et tertium, quo mox revelationem uti causam infallibilitatis ecclesiasticae exclusimus, etiam valet ad excludendam inspirationem ut eiusdem causam. Argumentum vero secundum ad inspirationem excludendam minime adduci potest.

Non scientia infusa.

Scientia infusa in eo consistit, quod Deus homini praeternaturali modo eas species communicat, quas aliter ipse acquirere conatu proprio debuisset, simulque eum efficaciter iuvat, ut iis recte utatur ad iudicandum secundum rerum veritatem. — Dicimus scientiam infusam non esse medium *ordinarium* a Deo provisum ut magisterium ecclesiasticum recta doceat.

Arg. — Si Deus scientiam infusam uti medium ordinarium ad illuminandos Pontificem et episcopos destinasset, sane cum

eius suavi providentia non staret, ut iis nihilominus studium earum rerum imponeret. Atqui ipsi cum de tali scientia infusa nihil sciant, studium continuum per saecula adhibere debebant. Ergo. — Caeterum etsi non affirmemus omnem omnino scientiam infusam in omni vel minimo gradu datam sub conscientiam hominum cadere, tamen non facile admittendum videtur, tot hominum diversorum etiam simul collectorum, in tot rebus, per tot tempora, in tot circumstantiis diversis, scientiam infusam iis ignotam mansisse.

Pars II. — Magisterium ecclesiasticum infallibile redditur assistentia divina.

Assistentia divina in docendo intelligitur ea providentiae divinae specialis activitas, vi cuius, ob promissionem ecclesiastico magisterio factam, Deus efficaciter semper curabit, ut quaecumque illud magisterium fidelibus credenda imponit, et inter ambitum veritatum quae ei concredita sunt maneant et veritati sint conformia. Magisterium ecclesiasticum tamen obligatur, ut utatur mediis convenientibus, quibus veritas cognoscatur; porro suavis providentia divina generatim saltem etiam curabit ut media quae adhibentur, ad finem obtinendum sufficientia sint. — Accuratiora mox videbimus.

Arg. I. — *E confessione tum explicita tum implicita Ecclesiae.* — 1) Conc. Vat. D. 1836: « Romani... Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, *adhibitis auxiliis*, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, *eo assistente*, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Habes verbis *expressis* assertam assistentiam, usum mediorum. Nunquam autem Ecclesia aliam rationem infallibilitatis assignavit pro Pontifice solo, aliam pro eo uti cum episcopis coniuncto. — 2) Implicita autem confessio

Ecclesiae habetur eo, quod ex una parte infallibilitatem episcoporum cum successore Petri, atque etiam solius successoris Petri tenebant, ex alia parte continuo per omnia saecula in praeparandis definitionibus fidei ad media convenientia recurrebatur. Id quod per totum tractatum videbimus.

Arg. 2. — *E Mt. 28, 20.* — Quae persuasio sane iam fundamentum habet in verbis Christi Mt. 28, 20: « Ego vobiscum sum ». Etenim *a*) expressio illa ex usu Scripturae *nihil aliud dicit quam adiutorium efficax,* ut mandatum de quo sermo est, ad effectum perducatur, supposito usu mediorum conveniente. Ita v. g. Iosue, ad quem eadem verba post mandatum de populo introducendo in terram promissam dicta erant, ea non ita intellexit, ac si iamiam liber esset a bellis cum regibus terrae occupandae gerendis etc., sed Deus ipse actione immediata omnia perageret. Atque ita porro in aliis iis plurimis exemplis, in quibus eadem promissio habetur. Cf. prop. 3 Rep. p. 215. *b*) Adiutorio efficaci his verbis promisso auctoritas Ecclesiae non liberabatur a mediis adhibendis ut caetera, quae in mandato continebantur, ad effectum perducerentur, puta ut irent in universum mundum, ut sacramenta administrarent. Ergo neque vi huius promissionis liberi erant a mediis adhibendis, ut praedicarent ea omnia quae Christus mandavit.

Assertio. 6. — Assistentia Ecclesiae docenti promissa est directio extraordinaria charismatica providentiae divinae activitati Ecclesiae docentis impertita, quin tamen habitus physicus mentibus docentium indatur.

Lit. quoad asserta de natura assistentiae. — *Bellarm.*, De Conc. l. 2 c. 12 col. 1201-4. — *Dominicus a SS. Trinitate* O. Carm., Bibl. Theol. l. 3 s. 3. c. 10, Romae 1668 tom. 3 p. 109-11. — *Murray,* II p. 169-89. — *Theologi Conc. Vat.,* Col. Lac. VII col. 570 a, b, 597 d, 598. — *Palmieri,* c. 2. Praenotiones, ed. 3 p. 586-92; th. 31 p. 701-6. — *De San,* p. 178-81. — *Straub,* n. 828-32 II p. 189-93.

Assistentia est directio providentiae divinae. — Etenim neque est revelatio neque inspiratio neque infusio scientiae. Nihilominus

efficienda est in intellectu humano ex supposito, indefectibili cum efficacia, certa cognitionis et in facultatibus executivis certa doctrinae proponendae summa, quae e natura rei non profluit. Ergo ad directionem providentiae divinae recurrendum est.

Assistentia est directio providentiae extraordinaria seu praeternaturalis. — *Arg. 1.* — *E natura rei.* — Directio est extraordinaria seu praeternaturalis, si effectus extraordinarius seu extra ordinem naturae est. Iamvero hoc quam maxime obtinet. Agitur enim de conservatione et explicatione veritatum quae *numero* sunt plurimae — quaecumque Christus mandavit et quae cum iis cohaerent; *natura* sunt sublimes ob altitudinem materiae, imo, uti in dogmate docetur, ob mysteria non pauca inter eas contenta; omnis *ordinis* sunt, speculativi, historici; multis humanae voluntatis atque passionum corruptis *desideriis opponuntur; per saecula,* usque ad finem mundi incorrupte conservandae sunt; per homines conservandae sunt, *quae saepe scientia non distinguebantur;* non tantum recte cognoscendae verum etiam recte ad sensum semper et ubique *exprimendae* sunt etc.

Arg. 2. e Patribus. — Patres saepe *explicite* hanc inerrantiam ad operationem extraordinariam divinam reducunt. V. g. Irenaeus l. c. Rep. p. 388 illud vocat « charisma veritatis certum »; Tertullianus, l. c. Rep. p. 401 ad Spiritum Sanctum provocat; S. Augustinus, l. c. p. 402: « Ipsam, quae nunc est Ecclesiam, nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio ». — *Implicite* Patres toties idem docent, quoties pro ea infallibilitate ad successionem legitimam in munere episcopali atque speciatim ad successionem in munere unius Romani Pontificis provocant. Clarum enim est, munus non alio modo eos qui illo funguntur infallibiles reddere posse, quam eo quod titulus est, ob quem Dei extraordinaria providentia eos regere se velle promisit. — Utraque argumentatio, et implicita et explicita etiam eo magis manifesta fit, quod Patres ab ea Spiritus operatione elementa quaedam quae auctoritatem humanam constituunt, distinguunt. Cf. de hoc arg. Lith. p. 107-10, plurima alia, quae in decursu tractationis proponentur.

Arg. 3. e Mt. 28, 20. — Si vires humanae Collegii apostolici in aeternum viventis ad infallibilem doctrinae propositio-

nem sufficerent, Dominus, ut iis animum adderet, non ad assistentiam suam provocasset.

Ob. 1. — Patres antenicaeni, ut custodiam veritatis christianae explicent, *ad auctoritatem humanam episcoporum, ecclesiarum provocant.* Cf. v. g. Tertul., De praescr. c. 28: « ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint?... » l. c. Rep. p. 401. Ergo doctrina de ratione praeternaturali assistentiae perversio doctrinae antiquioris est. — R. 1) *Ad eam solam provocant,* n.; *simul cum assistentia Spiritus Sancti,* c.; cf. argum. Idque sapienter faciunt, sive ad id ut assensum Catholicorum, non uno tantum motivo adducto, fortiorem, etsi accidentaliter tantum, reddant, sive ad id ut haereticis charisma Ecclesiae negantibus motivum proponant, quod in quibusdam veritatibus iam solum sufficere potest. — Tertullianus eo ipso in loco, etiam ad operationem Spiritus provocat, ironice exclamando: « ... nullam Ecclesiam respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret ». — 2) Certissime *etiam Patres postnicaeni* persaepe *ad auctoritatem humanam Ecclesiae provocant.* Cf. notum illud S. Augustini e scripto contra epist. Manich. quam vocant fundamenti c. 4 n. 5 ML 42, 175: « Tenet me (in gremio Ecclesiae catholicae iustissime) consensio populorum atque gentium ». Num dici possit, Patres antenicaenos frequentius ad auctoritatem humanam provocasse quam postnicaenos, nondum mihi constat. Plurima quae ex utraque aetate legi sub hoc respectu nondum inter se conferre potui. *Mirum tamen nemini aequo aestimatori videri deberet, si Patres antenicaeni elementa quae humanam auctoritatem constituunt, hinc inde speciatim premerent,* cum et memoria temporum apostolorum vividior adhuc esset, et multorum testium heroica virtus illa tempora illuminaret. Cf. v. g. Iren. l. 3 c. 3 n. 1: ab apostolis episcopos « valde... perfectos et irreprehensibiles » electos esse; ib. n. 3 de S. Clemente Romano: « qui et vidit ipsos apostolos et contulit cum eis et cum adhuc insonantem praedicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet, non solus, adhuc enim multi supererant tunc ab apostolis docti ». MG 7, 848 et 850.

Ob. 2. — Non est admittendum miraculum continuum, seu potius series quasi ininterrupta miraculorum. Atqui eiusmodi miraculum haberetur, si assistentia esset donum praeternaturale. — R. 1) Factum infallibilitatis constat; constat quoque eius causa, assistentia. Ergo si ea in continuis miraculis versaretur, admittenda essent. — 2) Certe effectus integer, infallibilitas ea per saecula perdurans, vires humanas superat. Unde *a magnis auctoribus recte ad effectum miraculosum reducitur.* Cf. inter multos quos contuli, v. g. Suarez, de fide disp. 4 s. 3 ed. Paris, tom. 12 inter p. 119-25 motivum credendi 2, 3, 11; Gonetus, Clypeus Theol. Thom. tom. 4 disp. 1 de obiecto fidei art. 8 v. g. § 2, 12. — 3) Quando vero aliquod speciale factum ordinem naturae superaverit, generatim cognitionem nostram fugit. Plura in ass. 7, 8.

Assistentia est donum charismaticum. — Charismaticum est eiusmodi donum extraordinarium quod primario non datur ad sanctificandam animam recipientis (et proinde eam ne inchoative quidem iustificat), sed ad utilitatem aliorum. Cf. 1, 2, q. 111 a. 1. Iamvero haec assistentia, uti tota propositio infallibilis veritatis christianae humano generi et filiis Ecclesiae facta, non intendit primario utilitatem spiritualem loquentium, sed totius Ecclesiae, imo humani generis. Quo tamen non negatur, utilitatem infallibilitatis in docendo etiam in animas docentium redundare; etenim quae uti personae publicae infallibiliter docent, qua personae privatae credere sane debent sicuti caeteri fideles, idque cum magno animae fructu.

Assistentia non supponit habitum physicum mentibus docentium inditum. — Nam ea est natura habitus physici, ut eo non determinetur facultas ad actum, pro quo habitus datur, secundum naturam ipsius habitus eliciendum. Eiusmodi enim est natura habitus, ut, etsi esset determinatus ad verum vel bonum, nihilominus ab ipsis illis facultatibus, quibus inhaeret, possibilitatem deflectendi a vero et bono nullo modo auferat. Caietanus in 1. 2. qu. 56 a 3, Billot[3] qu. 10 th. 16 § 2 p. 370. Unde, etsi adesset habitus, tamen praeterea requireretur assistentia, cuius esset efficere, ut facultas habitu infallibiliter recte uteretur. Ergo inutilis est habitus, cum assistentia iam sola ad id sufficiat, ut actus intellectus ad finem intentum dirigat.

					ERRATA		CORRIGE
P.	1	linea	3	pro	Cl	lege	Cf
»	10	»	4	»	supernaturalis	»	naturalis
»	10	»	28	»	divisionis	»	divisionibus
»	38	»	19	»	Sectio	»	Quaestio
»	39	»	21	»	Illud	»	Hoc
»	39	»	22	»	hoc	»	illud
»	50	»	34	»	9	»	9 bis
»	68	»	11	»	Valorem	»	Pars VII. Valorem
»	72	»	1	»	Sectio	»	Quaestio
»	128	»	11	»	64	»	57
»	161	»	30	»	Pars II	»	B
»	195	»	2	»	Infallibilis	»	Infallibili
»	195	»	4	»	»	»	»
»	216	»	9	»	Grimv	»	Grimm
»	222	»	27	»	13	»	12
»	223	»	1	»	14	»	12
»	248	»	36	»	1812	»	1822
»	254	»	35	»	28, 16	»	24, 13-35
»	255	»	36	»	propositum	»	praepositum
»	261	»	6	»	Ladicaeae	»	Laodicaeae
»	269	»	17	»	de	»	5 de
»	275	»	1	»	*a*) Clemens	»	Clemens
»	297	»	32	»	12	»	12 bis
»	300	»	25	del.	atque-solo		
»	300	»	35	pro	IV	»	V
»	301	»	10-11	del.	Pro-Febroniani		
»	319	»	6	»	Pars II		
»	321	»	8	pro	V	»	VI
»	368	»	5	»	Kirchen	»	Konzilien
»	388	»	29	»	Argumenta	»	B. Argumenta
»	389	»	31	»	δτῦλος... ἀλήθειας	»	στῦλος... ἀληθείας
»	392	»	33	»	4	»	9
»	400	»	24	»	p...	»	388-9
»	406	»	31	»	Möhlar	»	Möhler

Caetera quae occurrunt benevolus lector ipse corrigat.

INSTITUTIONUM THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

REPETITORIUM

AD USUM PRIVATUM AUDITORUM

UNIVERSITATIS GREGORIANAE

BIBL. TH.
P. R.

AUCTORE

H. VAN LAAK S. I.

PARS ALTERA

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
IN "VIA DEL SEMINARIO 120"
1924

Assertio 7. — Omnia quae sub assistentia Ecclesiae promissa asseruntur, necessario 1) vera sunt; 2) intra ambitum earum veritatum continentur, quae Ecclesiae concreditae sunt; 3) recte expressa sunt.

Considerantur effectus quasi formales assistentiae divinae relate ad sententiarum tum veritatem, tum indolem, tum expressionem.

I. Ea omnia necessario vera sunt.

Arg. Omnia ea, iubente Domino, firmissime credenda sunt (Mt. 28, 20 coll. Mc. 16, 15). Atqui Deus non potest imponere ut firmissime credantur quae falsa sunt. Ergo.

Cor. Ergo impossibile est, Ecclesiam hoc tempore verum imponere tenendum, illo tempore falsum; eam proinde, diversis temporibus, eodem quasi cortice verborum retento, seu sub iisdem formulis nunc verum imponere tenendum, nunc falsum, nunc hoc, nunc oppositum.

II. Ea omnia necessario intra ambitum earum veritatum continentur, quae Ecclesiae concreditae sunt.

Expl. term. Ea neque integre neque ex parte possunt esse aut 1) res mere profanae, i. e quae neque in se religiosae sunt neque necessarium cum iis nexum dicunt; aut 2) res utique religiosae, at quae Ecclesiae concreditae non sunt, v. g. revelationes mere privatae v. g. de futuro Ecclesiae statu.

Eiusmodi res religiosas, quas Christus ab Ecclesia sua proponi voluit, res fidei et morum vocantur; ulterior huius termini explicatio alio in loco tradetur.

Arg. 1. Ecclesia si quid sua suprema auctoritate tenendum imponit, eo ipso implicite asserit, se auctoritate a Christo accepta id imponere, quippe quae sua ipsius auctoritate nihil tale imponere possit. Ergo si quid, quod ad res fidei et morum non pertinet, tenendum imponeret, eo ipso doceret, se a Christo potestatem accepisse etiam res non fidei et morum tenendas imponere. Atqui doctrina de ambitu veritatum, quae ab Ecclesia infallibiliter proponi possint et debeant, sane est res fidei

et morum, eaque summi momenti. Ergo Ecclesia, si quid, quod ad res fidei et morum non pertinet, tenendum imponeret, in aliqua re fidei et morum docenda erraret.

Arg. 2. — Si res aliter se haberet, fideles pro lubitu unicuique definitioni Ecclesiae opponere possent, obiectum istius definitionis 1) ad res fidei et morum non pertinere, et consequenter se ad assensum non teneri ; 2) imo falsum esse. Nam infallibilitas Ecclesiae eas solas sententias afficit, ad quas assistentia ei promissa est. Atqui assistentia ei ad solas res fidei et morum definiendas data est. Ergo, si Ecclesia res ad fidem et mores non pertinentes proponeret, in his per se errare posset.

Atqui si fideles talia definitionibus Ecclesiae opponere possent, *semper utilitatem, quam Deus dono infallibilitatis pro Ecclesia sua intendit, plane elidere possent*. Ergo fideles numquam talia opponere possunt. Ergo quaecumque Ecclesia definit, necessario intra ambitum earum veritatum continentur, quae Ecclesiae concreditae sunt.

III. Ea omnia necessario recte exprimuntur.

Expl. term. — Aliud est iudicium internum verum, aliud expressio recta eiusmodi iudicii. Unde fieri potest, ut quis iudicium verum exprimat per terminos, qui in suo sensu obiectivo falsitatem continent, vel saltem aliquid a mente dicentis diversum significant. Quae discrepantia inter cognitionem internam et expressionem externam originem suam habere potest ex inadvertentia mentis in eligendis terminis, ex ignoratione significationis terminis propriae, etc. Dicimus ergo, vi assistentiae divinae Ecclesiae promissae accidere non posse, ut Ecclesia in definitionibus suis pro doctrina in se recta, quam definire vult, eiusmodi terminos eligat, qui aut falsi quid edicunt aut aliquid a doctrina quam definire vult diversum ; sed vi huius assistentiae necessario ab Ecclesia definiente eiusmodi terminos eligi, qui eam ipsam rem quam Ecclesia docere vult recte exprimunt. Non tamen affirmamus, expressionem debere esse meliorem inter omnes, quae possibiles sunt. De qua re B. Bellarm., De Conc. l. 2, c. 12, col. 1203 haec habet : « ... in ipsis decretis de fide, non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet ; non

enim est haereticum dicere, in canonibus Conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum, aut non recte positum, nisi forte de ipso verbo sit decretum formatum, ut cum in Concilio Nicaeno decreverunt recipiendam vocem ὁμοούσιον et in Ephesino vocem Θεοτόκον.

Arg. — Finis assistentiae, quae Ecclesiae docenti promissa est, isque absolute obtinendus, in eo consistit, ut Ecclesiae discenti ea quae Christus mandavit credenda proponat. Iamvero cum Ecclesia discens mentem internam Ecclesiae docentis immediate inspicere non possit, quid credere debeat ab ea discere nequit nisi ex terminis, quibus Ecclesia docens doctrinam suam exprimit. Ergo si fieri posset, ut Ecclesia docens terminos eligeret, qui aut falsi quid aut saltem a doctrina intenta diversi continerent, Ecclesia discens vi magisterii Ecclesiae aut falsa crederet aut saltem non ea, quae Ecclesia docere vult ; ergo finis assistentiae absoluta obtinendus omnino frustraretur.

Assertio 8. — Assistentia divina, uti 1) magisterium Ecclesiae non eximit ab obligatione utendi mediis, quae ad veritatem cognoscendam apta sint, ita 2) saltem generatim hunc mediorum usum ita dirigit, ut ad finem intentum sufficiat. 3) Quae media qualia sint summatim indicatur.

I. Imponitur Ecclesiae docenti usus mediorum, quae ad veritatem cognoscendam apta sunt.

Arg. — Imposita est Ecclesiae praedicatio doctrinae quae a Deo ei concredita est. Media vero, quibus scientia, ad hanc praedicationem necessaria miraculoso modo suppeditaretur, a Deo promissa non sunt ; imo supponitur alia media adhiberi (cfr. ass. 5 Rep. p. 427-30). Ergo a Deo Ecclesiae usus eiusmodi mediorum imponitur.

II. Assistentia saltem generatim usum mediorum ita diriget, ut ad finem intentum sufficiat.

Expl. term. — Dicimus « saltem generatim », ut a sententiis in hac re inter se non plene consentientibus abstrahamus. Una enim sententia tenere videtur, directionem providentiae di-

vinae semper et necessario sufficientem mediorum usum secum ferre; asserit enim simpliciter et sine ulla restrictione, definitione facta constare, media sufficientia adhibita fuisse. Cf. de San n. 228; M. Cano l. 5, c. 5, qu. 3 « Alter vero scrupulus ». Alia sententia id affirmare non audet. Palmieri, Thesis 31, n. III, ed. 3, p. 705: « assistentia Spiritus Sancti prohibens errorem concipienda non est promissa hypothetice magisterio actu docenti, sed absolute, ita ut semper ea habeatur quotiescumque magisterium illud, cui promissa est, docet et sic ad providentiam Dei, qui eam assistentiam promisit, spectet efficere, ut actuali magisterio debita inquisitio praecedat vel si non praecessit, ut aut nihil magister supremus definiat aut, si definit, illud tamen quod verum est definiat, licet humana diligentia inquirendo vel parva vel nulla pro dignitate rei adhibita fuerit ».

Arg. — Ipse Deus — id quod mox vidimus — inquisitionem in veritates uti medium ad propositionem doctrinae rectae praescripsit. Atqui magis cum suavi eius providentia congruit, si defectibilitati humanae potius in ipsa inquisitione, mediis a se praescriptis facta, succurrit, quam si tantum in ipso actu doctrinae proponendae modis extraordinariis sibi soli notis praeter media adhibita cognitionem veram suppeditaret. Ita enim et suam ipsius ordinationem, qua media adhiberi iussit, et creaturam, quae ea adhibere potest, eo honore afficit, qui et sibi Deo et creaturis quasi e natura mediorum et causarum secundarum debetur. Ergo definitio saltem generatim supponit media recte adhibita fuisse.

Schol. — Probari tamen nequit, omnia et singula argumenta, quibus Ecclesia ad aliquid definiendum movetur, aut vera esse aut certa. Etenim etsi hoc non obtinet, tamen inquisitio poterat esse vere, imo etiam abunde sufficiens (cf. de San p. 180-1). Supponitur utique, Ecclesiam non definivisse, haec vel illa argumenta esse vera. Videbimus enim, eiusmodi quoque definitiones intra ambitum potestatis Ecclesiae contineri.

III. Media tum obiectiva tum subiectiva, quibus Ecclesia utitur, summatim indicantur.

Media obiectiva dicimus fontes in quibus activitas Ecclesiae ea haurit, quae sive uti revelata sive uti connexa docet. Sunt autem, ut postea videbimus, primo ipsa Sacra Scriptura et Tra-

ditiones divinae, deinde omnes scientiae praecipue sacrae, at etiam profanae, quae ad id conferre possunt, ut ad plenam persuasionem perveniatur, quae formaliter revelaverit Deus, quid cum revelatis connectatur. Cf. de Theologia generatim, Pars. II, Rep. p. 10-8.

Media subiectiva dicimus omnia quae ex parte subiecti ad id iuvant, ut sciatur et doceatur, quod in dictis fontibus continetur.

Reducitur ad haec media *remotio occasionis errorum,* quam divina providentia forte haud raro in minore vel maiore mensura benigne largitur.

Inter *media subiectiva pressius talia* enumeranda videntur haec :

1) Quoad *memoriam* et *intellectum :* Studium solidum secundum principia scientiae catholicae institutum, tum retinendi quae in Scriptura et Traditione formaliter continentur, tum penetrandi, explicandi, evolvendi doctrinas quae sive in his fontibus formaliter inveniuntur sive veritates cum iis connexae sunt. Ad hunc scopum ab Ecclesia dirigebatur institutio quarundam Congregationum Romanarum ; erectio vel approbatio Institutorum vel Universitatum etc. ; saepe etiam convocatio Conciliorum provincialium vel universalium etc. Cum quo veritatis cognoscendae studio coniungebantur media connaturalia, quibus doctrina cognita recte tradatur.

Iuvari potest haec veritatis cognoscendae et tradendae cura diversi generis *actionibus miraculosis* ab ipso Deo profectis. *Inquisitio veritatis* promoveri potest v. g. revelatione privata, in quantum haec occasionem praebere potest, ut quidam theologi, qui talem revelationem privatam rescierunt, mediis ordinariis studii theologici diligentius utantur atque ita in revelatione publica seu in veritatibus connexis idem inveniant, quod revelatione privata propositum erat. *Traditio vero veritatis* efficacior reddi potest v. g. dono sermonis scientiae vel similibus gratiis gratis datis (1 Cor. 12, 6-11). Cf. Schiffini, De vera religione, Senis 1908, p. 615. — Excludenda autem omnino est, uti ass. 5 Rep. p. 427-30 vidimus, nova revelatio publica, nova inspiratio publica, scientia infusa quae ordinarie omnibus Ecclesiae membris praesto esset.

2) *Quoad voluntatem.* Amor revelationis divinae et veritatum nexarum, quo homines inducantur ut eas fideliter memoria retineant, accurate considerent, fortiter profiteantur, cum magna fidelitate atque fervore cum aliis communicent.

Qui amor cum virtutibus aliis quae ab eo proficiscuntur, tantus esse potest, ut verum *miraculum morale* constituat, quod ipse Deus in mentibus fidelium effecit. Cf. quaedam quae iam vidimus, cum de mira morum mutatione in regno Romanorum ageremus. Cf. Rep. p. 177-95.

Quae de mediis usque nunc exposuimus, de iis casibus intelligenda sunt, in quibus ad aliquam doctrinam proponendam pervenitur. Si enim tantum agitur de interponendo impedimento, quominus ad propositionem falsi perveniatur, influxus ille non necessario in mentem ipsam agat necesse est. Sufficit ut a providentia Dei externum aliquod definitionis impedimentum ponatur, v. g. eo quod Pontifex, qui falsum definire vellet, antea e vivis eripitur.

Assertio 9. — Magisterium ecclesiasticum doctrinam suam connaturaliter non tantum ore verum etiam scripto proponit.

Arg. 1. — Verba quibus Domini mandatum exprimitur, omnem modum doctrinam deferendi complectuntur: docere (Mt. 28, 20), praedicare (κηρύσσειν Mc. 16, 15), testes agere (Lc. 24, 48) etc. Id quod de prima et tertia expressione clarum est. At neque κηρύσσειν scriptionem excludit, uti iam concludere solent ex Act. 15, 21: « Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur ».

Ob. - Expressio κηρύσσειν includit notionem praeconis, κῆρυξ, qui viva voce utitur. Cfr. v. g. Zorell N. T. Lexicon Graecum ad v.: " tamquam praeco aliquid annuntio „; Grimm, Lexicon Graeco-Latinum in ll. N.-T. ad v.: " ad praeconis modum nuntio „. Porro v. g. Irenaeus adv. haer. l. 3, c. 1 MG 7, 844 hac oppositione utitur: evangelium apostoli " tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt „. Ubi latinum " praeconare „ graecum κηρύσσειν referre videtur. — *R.* Id etymologice se ita habet, *c*; semper quoad

usum, *n*. Imo tempore Patrum κήρυγμα aliquando praecipue pro veritatibus in Scriptura contentis adhibetur, δόγμα vero pro caeteris; vel κήρυγμα pro iis quae aperte ab Ecclesia proponebantur, etiam in Scripturis, δόγμα pro occultioribus praecipue in liturgia contentis. Cf. Suicerus, Thesaurus... ad v. κήρυγμα et δόγμα II, 2.

Arg. 2. — Magisterium ecclesiasticum utramque semper viam inire solebat. Ita omnes apostoli evangelium nuntiarunt ore; etiam scripto id proposuerunt ex ipsis apostolis v. g. S. Matthaeus, S. Ioannes, S. Petrus, S. Iacobus, Concilium apostolorum epistola sua Act. 15, 23-9. Post aevum apostolicum et cotidiana praedicatio ore facta ubique vigebat et inde ab epistola S. Clementis ad Corinthios usque ad Decreta Conc. Vaticani atque catechismos, epistulas pastorales episcoporum, alia plurima, religio christiana continuo etiam scripto proponebatur.

Ob. - Scripta apostolorum quaedem a Spiritu Sancto inspirata erant. Ergo non composita sunt ad eum finem, ut mandato Christi annuntiandi Evangelium satisfieret. Ergo hoc argumentum secundum e parte deficit. — *R. N.* primam et proinde etiam secundam consequentiam. Etenim ea operatio Spiritus Sancti, se tenens ex parte subiecti scribentis, qua ut causa principalis per hominem ut causam instrumentalem scribit, nullo modo pugnat cum eo, quod homo scribens uti motivum, ob quod ad scribendum se accingit quodque se tenet ex parte obiecti, assumit eam summam honestatem, ut eiusmodi scripto mandatum Christi de Evangelio praedicando exequatur. Cf. Rep. p. [89], Ob. 2; Pesch, De insp. n. 417, p. 424.

Arg. 3. - Decebat sapientiam Dei utrumque propositionis modum adhiberi. Uterque enim apud homines in usu esse solet; uterque suis excellit utilitatibus. Praedicatio ore facta quam maxime connaturalis est; omnium etiam quam maxime rudium necessitatibus servit; singulos, prout illis utilius fuerit, instruere potest; generatim magis commovere solet, etc. Doctrina scripta plures attingere solet; saepe unicum medium est, quo v. g. tempore persecutionum pastores cum suis communicare possunt; facilius permanet atque a generatione in generationem transfertur, etc.

Assertio 10. — 1) Magisterium supremum ecclesiasticum etiam minore auctoritate docere potest quam assensum irrevocabilem imponendo. 2) Quod cum facit, vi ipsius actus dono infallibilitatis non gaudet.

Con. mat. — Iam vidimus diversa de modo, quo magisterium Ecclesiae infallibiliter docet. Hanc vero assertionem de auctoritate minore, qua Ecclesia docere potest, addimus ut ea praeparentur, quae mox de discernibilitate propositionis infallibilis doctrinarum dicturi sumus.

1. Magisterium Ecclesiae etiam ita docere potest, ut assensum irrevocabilem in doctrinam propositam non imponat.

Arg. 1. — Auctoritas suprema ea omnia etiam per se ipsam facere potest, quae aliis ex sua auctoritate communicare potest. Atqui magisterium Ecclesiae supremum aliis, v. g. praedicatoribus, professoribus potestatem dat, ut iis modis doctrinam annuntient, qui ad impositionem assensus irrevocabilis non pertingunt. Ergo.

Arg. 2. — Auctoritas Ecclesiae ea omnia per se ipsam facere potest, quae ad finem Ecclesiae conferunt. Iamvero etiam eiusmodi ratio docendi de qua hic agimus ad finem Ecclesiae conferre potest.

Ad min., de qua cf. Straub n. 832 :

1) Id evidenter *a posteriori* patet e modo, quo theologi, praedicatores, singuli episcopi, Congregationes Romanae docent.

2) Rationes *intrinsecae* hae fere sunt : Magisterium Ecclesiae etiam supremum v. g. :

a) Apte *in memoriam revocat* leges fidei iam emanatas, sive ordinario sive solemni magisterio eae latae fuerint, quin intendat eas novo actu legislatorio imponere. Ita etiam aliae potestates legislatoriae procedunt. — Utilitas v. g. ea esse potest, ut memoria iuvetur atque ita deviatio a recta fide iam annuntiata facilius caveatur.

b) In definitionibus fidei vel etiam in aliis occasionibus *modos* quosdam adducere atque evolvere potest, *quibus doctrina proposita e fontibus fidei, i. e. Scriptura, Traditione, ratione theologia deducitur* vel ab obiectionibus vindicatur, quin eos

modos definire intendat. — Qua procedendi ratione pomovet scientiam fidei tum generatim in fidelibus tum speciatim in iis, qui ipsos fideles docent. — Postea videbimus etiam ipsa argumenta pro veritatibus definitis definiri posse.

c) Uti potest aliqua veritate scientifice iam eliquata vel etiam aliqua, quae etsi nondum plene eliquata, attamen quorundam theologorum haud ignobilium plausu accepta est, ad veritates quasdam, quas inculcare vult, *explicandas*, quin pondus irrefragabilis auctoritatis ei veritati qua ita utitur, addat. — Qua ratione profectui explicationis fidei non uno modo consulit.

d) *Imponere potest assensum in aliquas veritates probabilem, conditionatum, temporaneum*, scilicet usquedum Ecclesia forte aliquid aliud determinaverit. Qui assensus ob graves rationes ponendus et honeste et utiliter imperari potest, ne ob quandam in iudicando intemperantiam securitas fidei in periculum vocetur. — Plura cum agetur de auctoritate Congregationum Romanarum.

Arg. 3. Auctores omnes criteria statuunt, quibus ea quae assensu irrevocabili tenenda imponuntur, a caeteris distinguant. Iamvero eo ipso in actu exercito doctrinam nostram proponunt. Ergo.

II. Ecclesia cum ita docet, vi ipsius actus dono infallibilitatis non potitur.

Non negamus, multa quae ita docentur, aliunde sive ut revelata sive ut vera cum certitudine demonstrari posse, v. g. ea quae a multis doctis clare e Scriptura vel Traditione deducuntur. Tantum dicimus, vi talis propositionis Ecclesiae nondum de doctrina tali infallibiliter constare.

Arg. 1. Nulla facultas protenditur extra finem, ob quem data est. Atqui donum infallibilitatis in hoc ordine providentiae datum est Ecclesiae ad id, ut efficiatur assensus irrevocabilis in fidelibus non ob auctoritatem Ecclesiae historicam sive ethica ea sit sive scientifica, sed ob potestatem divinitus datam postulandi nomine Christi talem assensum (Ass. 3 Rep. p. 417-24). Ergo ubicumque eiusmodi assensus irrevocabilis non imponitur, actus vi assistentiae divinae infallibilis non est.

Arg. 2. — Potestas docendi Ecclesiae utiliter etiam ad eos fines adhibetur, quos mox argumento 2. partis antecedentis enumeravimus. Atqui hi e natura sua non requirunt usum potestatis infallibiliter decidendi. Ergo Ecclesia eam neque adhibere debet.

Arg. 3. — Petitur ex unanimi auctorum sententia.

Assertio 11. — Auctoritas regendi ecclesiastica, quae aut non est suprema aut, si suprema est, tamen potestate sua suprema modo supremo non utitur, nihilominus subditos suos iubere potest, ut assensum fidei (sive divinae sive ecclesiasticae) in eas res sive revelatas sive cum revelatis connexas ponant, quas Ecclesia per magisterium sive solemne sive ordinarium revelatas aut cum revelatis connexas esse iam antea infallibiliter docuit.

Auctoritatem regendi, quae suprema non est, intelligimus sive particularem, v, g. episcopi in sua dioecesi, Concilii provincialis in sua regione, sive universalem quandam at subditam supremae potestati, qualem v. g. Congregationes Romanae in certo genere rerum acceperunt. Auctoritas regendi suprema est penes Romanum Pontificem vel Concilium oecumenicum.

Arg. 1. — **E natura rei.** — Qui potestate regendi etsi non suprema pollent, legem ecclesiasticam, iam existentem, urgere possunt. Atqui lex ecclesiastica est, ea quae per magisterium sive solemne sive ordinarium ut revelata vel cum revelatis connexa indubitate proposita sunt, fide (sive divina sive ecclesiastica) esse credenda atque proinde assensu irrevocabili amplectenda. Ergo qui potestate regendi in Ecclesia, etsi non suprema, pollent, assensum fidei in eiusmodi veritates imponere possunt. — Idem a fortiori valet pro potestate suprema, etsi supremo modo potestate sua non utitur.

Arg. 2. — **Ex auctoritate.** Ita egerunt *Concilia provincialia,* v. g. Antiochenum, quo Paulus Samosatenus danmatus est, item plurimi episcopi in decursu temporis.

Imo in *Decretalibus Gregorii IX* l. 5, tit. 7 de haereticis c. 9 continetur lex « *Ad abolendam* » a Lucio III, 1184 in Conc. Veronensi lata : « ... quoscunque eadem Romana Ecclesia vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clericorum, vel cle-

rici ipsi sede vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum haereticos iudicaverint, pari [quam vocem ed. Friedberg addit] vinculo perpetui anathematis innodamus ». Iamvero hac lege Romani Pontificis illud ius episcoporum, de quo agimus, agnoscitur.

Tandem ea est *sententia auctorum*. Cfr. v. g. Suarez, De fide sect. 7, n. 3 quantum ad Concil. prov.; Bened. XIV, De Synodo l. 6 c. 3 n. 8 quantum ad episcopos.

Cor. Quaeritur, quando eiusmodi assensus ponendus sit. — « Assensum praescriptum firmum subditi totiens exhibere debent, quotiens de veritate testimonii memorati, testificantis propositionem sufficientem rei revelatae vel cum revelatis nexae, [ab Ecclesia per magisterium sive solemne sive ordinarium factam esse] pro adiunctis vel iam satis certi ad excludendum dubium sanum sunt vel per testimonium ipsum certiores fiunt, cum testimonium legitimi superioris sacri verum esse iis ex officio per se praesumendum sit; nempe certitudine tali saltem per testimonium suum instar conditionis posita episcopi singuli assensum de re revelata conexa iam ex auctoritate Dei revelantis vel ecclesiae infallibiliter docentis producendum a subditis iure postulant. Si quando per accidens appareat illud testimonium esse falsum, subditi assensum recte detrectabunt; si ratio vere gravis sit de veritate dubitandi, assensus suspendendus est, donec disquisitione diligentiore vel adeundo auctoritatem altiorem res ad liquidum deducatur... Straub n. 966. Assensus enim fidei sive divinae sive ecclesiasticae, quippe cum sit certissimus et irrevocabilis, poni nequit, si fideli tantum probabile vel probabilissimum non vero certum est, id de quo agitur esse revera revelatum vel cum revelatis nexum.

Ob. 1. — Repugnant quominus assensui fidei subsit id quod non est revelatum aut quod est falsum. Ergo auctoritas fallibilis assensum fidei (sive divinae sive ecclesiasticae) imponere nequit. — *R.* C. ma. N. suppositum minoris, fideles, etsi quantum est ex ipsis obediant auctoritati ecclesiasticae non supremae, vel supremae at non supremo modo iubenti, quae assensum in falsa imponeret, positurós esse actum fidei divinae vel ecclesiasticae. Obedientia eorum tunc in eo est, ut pia eorum voluntas credendi assensum irrevocabilem intellectui eorum imperet. Cum autem impossibile sit, actui fidei divinae vel ecclesiasticae subesse falsum, Deus

gratia sua, quae ad omnem actum fidei divinae requiritur, non concurret, ut actus intellectus fiat is, qualem voluntas imperat. Unde certo certius actum fidei divinae vel ecclesiasticae non eliciunt. Eliciunt actum mere subiective firmum fidei humanae. Ampliora in tractatu de fide.

Ob. 2. — Theologi infallibilitatem Romani Pontificis et Concilii oecumenici ex eo probare solent, quod ea vi potestatis a Deo acceptae irrevocabilem assensum imponunt. Atqui si assertio nostra vera est, hoc argumentum falsum esset. Ergo. — *R.* D. ma.: ex eo quod quocumque modo assensum irrevocabilem imponunt, *n.*; ex eo quod inconditionate inappellabiliter eum imponunt, *c.* Contrad. mi. – De qua difficultate proposita ut videtur a Vermeulen, De Romani Pontificis in ferenda infra haeresim censura, Traiecti ad Rhenum 1874, p. 130, deque solutione data cf. Granderath, Zeitschrift für Kath. Theologie 1895, p. 630, 636-7 ubi recte adducitur Bellarm., De Rom. Pont. l. 4, c. 3 [Tertio, Contra (1)] Suarez, De fide, disp. 5 sect. 8; Billuart, Tom. 5 disp. 4 art. 5 § 8, arguentes ex impositione assensus irrevocabilis inappellabili, suprema et plena auctoritate facta.

Assertio 12. — Ad id ut certi simus adesse omnia quae ad propositionem infallibilem doctrinae requiruntur, sufficit nos scire 1) haberi actum eius auctoritatis ecclesiasticae, quae infallibiliter docere potest, 2) eumque consistere in assensu irrevocabili toti Ecclesiae imposito.

Con. mat. — Nonnisi postquam de proprietatibus intrinsecis eius actus tractavimus, quo propositio doctrinarum infallibilis habetur, ultimo loco de eius cognoscibilitate agimus. Etenim, si de cognitione e causis agitur, unumquodque cognoscitur eo quod est.

Arg. — Secundum ea, quae hucusque exposuimus, elementa essentialia definitionis infallibilis haec sunt:

I. E parte *subiecti*, a quo actus procedit, ut sit subiectum illud, cui data sit potestas propositionis infallibilis doctrinarum.

II. E parte *actus*, qui ab habentibus eam auctoritatem procedit, ut:

1) procedat ab iis in quantum potestate regendi Ecclesiam universam gaudent, non vero in quantum sunt sive personae privatae, sive personae quidem publicae, at forte tantum partem Ecclesia regunt;

2) quoad obiectum, circa quod versatur: ut versetur circa doctrinas fidei et morum;

3) quoad subiectum, in quod exercetur, ut Ecclesiam universam obliget;

4) quoad intimam naturam actus: ut aliquid ab universa Ecclesia tenendam definiat, i. e. quaestioni de doctrina finem imponat, iubendo doctrinam quandam irrevocabiliter esse tenendam;

5) quoad aliquod eius principium: ut sub assistentia Spiritus Sancti Ecclesiae promissa procedat.

Iamvero eo ipso quod cognoscitur *a*) actum procedere ab iis, qui habent potestatem infallibiliter docendi (cf. I), *b*) eumque consistere in eo quod assensus irrevocabilis in aliquam doctrinam toti Ecclesiae imponitur (cf. II: 3, 4), eo ipso dico iam constat adesse etiam caetera elementa essentialia ad definitionem infallibilem requisita, scilicet, II, 2, 5. Ergo eo ipso quod cognoscitur, ab ea auctoritate, cui data est potestas infallibiliter docendi, assensum irrevocabilem in aliquam doctrinam universae Ecclesiae imponi, iam cognoscitur eam doctrinam vere esse definitam.

Ad min. Eo ipso quod cognoscitur, assensum irrevocabilem toti ecclesiae imponi, ab ea auctoritate quae potest infallibiliter docere, eo ipso, dico, iam constat:

a) Agi de actu publico, non privato, eoque auctoritatis universalis in totam Ecclesiam. Cum enim eiusmodi actus e natura sua non possit ab hominibus privatis vel tantum in partem Ecclesiae auctoritatem habentibus procedere, eo ipso quod talem actum ponunt, implicite profitentur, se eum ponere in quantum auctoritatem supremam habent (cf. II, 1).

b) Eum actum procedere sub assistentia divina. Nam repugnet, Deum Ecclesiae dedisse potestatem imponendi assensum irrevocabilem in falsum (cf. II, 5).

c) Enuntiabile, de quo agitur, non tantum esse verum, sed etiam pertinere ad res fidei et morum. Cf. ass. 7, II Rep. p. 435-6 (Cf. II, 2).

Cor. Ergo immerito qui requireret, ut antequam sibi de infallibili definitione Ecclesiae constaret etiam alia cognoverit.

Speciatim non debet antea constare 1) agi de rebus fidei et morum; 2) definitioni sufficientem inquisitionem e parte auctoritatis esse praemissam. Nam cum tali assensu imposito qualem descripsimus, coniuncta est assistentia in definitione; ergo insunt omnia, quae in definitione necessario inveniri debent. Ergo certum est, illum versari circa res fidei et morum (cf. assertio 7, II Rep. p. 435-6); ergo inquisitionem sufficientem esse adhibitam, si tamen ea essentialis est, de qua re egimus ass. 8 Rep. p. 437-8.

Assertio 13. — Indicantur modi, quibus cognoscatur 1) actum quendam procedere ab auctoritate quae infallibilitate gaudet; 2) eum actum consistere in assensu irrevocabili toti Ecclesiae imposito.

Con. mat. Probata assertione 12, ut aliquam determinatam definitionem infallibilem in concreto cognoscamus, non remanet, nisi ut ea duo resciamus, de quibus in hac ultima assertione 13 sermo est.

Modus quo cognoscitur actum quendam procedere ab auctoritate infallibili.

Capite II tractationis de subiecto infallibilitatis probabimus, infallibilitatem residere tum in Romano Pontifice iam solo tum in corpore episcoporum cum eo sive in Conciliis universalibus sive extra illa unito. Videndum ergo est, qua ratione cognoscatur 1) hunc vel illum esse legitimum Pontificem; 2) hos vel illos esse legitimos episcopos; 3) hoc vel illud Consilium auctoritate universali pollere.

QUA RATIONE QUIS COGNOSCATUR LEGITIMUS SUCCESSOR S. PETRI IN PRIMATU.

(Remissive ad ius can.; cf. quoad A e B. *Wernz-Vidal*, II, n. 405-23, p. 390-405; quoad C n. 450-4, p. 430-8).

A. Quis sit capax dignitatis primatus.

Requiritur et sufficit, ut quis sit:

1) *Masculus*. Nam agitur de munere ordinario iurisdictionis; de munere publico docendi, a quo mulieres secundum 1 Cor. 14, 34 repelluntur; de homine qui, si nondum episcopus consecratus est, eam consecrationem recipere debet.

Narratio de papissa Ioanna ad fabulas demandanda est. Cf. Döllinger, Die Papstfabeln des Mittelalters[2], 1863, p. 1-45; Hergenröther, Kirchengeschichte II[4] p. 109-11, n. 3.

2) *Habitualiter pollens ratione*, ergo annos discretionis assecutus neque amentia incurabili affectus sit necesse est. Alias ex natura rei incapax est qui munus iurisdictionale gerat.

3) *Membrum Ecclesiae*. Qui enim non est membrum, nequit esse membrum praecipuum seu caput. Iamvero ad rationem membri, ut postea probabimus, requiritur et sufficit, ut quis sit *a*) baptizatus (saltem putative), *b*) non haereticus (saltem) notorius, *c*) non schismaticus (saltem) notorius, *d*) tandem non eiusmodi excommunicatione innodatus, quae ab Ecclesia separat. Quae doctrina in tractatu de membris Ecclesiae ampliore ratione determinatur atque a difficultatibus vindicatur, ac si ea visibilitatem capitis Ecclesiae in periculum vocaret.

4) *Nulla lege ecclesiastica inhabilis redditus ad successionem in locum Petri.* Tales leges olim erant duae: *a*) e lege Iulii II is qui cum certa quadam simonia, notoria tamen, in Pontificem eligebatur. Agi de simonia tantum notoria v. Wernz-Vidal II, n. 418, not. 56; *b*) e lege Pauli IV, si apparuerit, aliquem « ante eius assumptionem a fide catholica deviasse aut in aliquam haeresim incidisse (seu schisma incurrisse) ». Neutra lex post Const. Pii X « Vacante Sede Apostolica » iam inhabilem reddit.

B. Quibus modis aliquis in legitimum caput Ecclesiae assumatur.

1) Sive iure divino et proinde necessario et semper, sive saltem iure ecclesiastico, moraliter tamen incommutabili, primatus cum episcopatu Romano connexus est. Cf. tractatum dogm. de Ecclesia. *Unde eo ipso quod quis in episcopum Romanum assumitur, in caput Ecclesiae universalis assumitur.* Si quis autem putaret, hoc mutari posse, id certissime nonnisi ab ipso Pontifice mutari posset, ad quem solum pertinet ea ordinare, quae ad Ecclesiam universalem spectant. Hic autem usque nunc id sane non mutavit.

2) Ipse Christus nullas leges dedit de modo, quo quis in Romanum Pontificem assumendus sit; nullae enim tales e Tra-

ditione notae sunt, nullas tales Ecclesia ut leges Christi unquam servavit. Sequitur, iure divino *ad Romanum Pontificem, eumque solum spectare, ut modum praescribat, quo quis in Romanum Pontificem assumatur.*

3) Omnino asserendum videtur, Romanum Pontificem, in singulis quibusdam casibus successorem suum nominare posse, idque aliquando locum habuisse (cfr. v. g. Cappello, Summa iuris publici 1923, n. 338-9, p. 434-9). Nihilominus inde ab initio *sive iure consuetudinis a Pontifice dependente, sive iure Pontificio scripto cautum est de quadam electionis forma per alios facienda.* De cuius vicissitudinibus historicis v. g. Wernz-Vidal, n. 408-23, p. 394-406. *Hodie* valent unice eae normae, quae in Const. citata Pii X continentur (C. I. C. c. 160).

4) *Is solus est legitimus S. Petri* in primatu successor, *qui secundum has leges ep. Romanus eligitur.*

5) Electus non fit papa, nisi postquam electionem *acceptavit.* Const. « Vacante » n. 88.

C. Quibus modis quis desinat esse Romanus Pontifex.

1) Per *mortem*, cum munus iurisdictionale in Ecclesia visibili nonnisi visibili modo, ab eo qui in his terris versatur, exerceri possit.

2) Per *amentiam incurabilem* (cfr. A 2).

3) Per *haeresim notoriam vel schisma notorium,* quo quis extra Ecclesiam fit; etenim « non potest esse caput id quod non est membrum ». Porro « haec est sententia omnium veterum Patrum, qui docent haereticos manifestos mox amittere omnem iurisdictionem ». « Eadem est sententia doctissimarum recentiorum ». Bellarm., de R. P. l. 2, c. 30 quarta et quinta opinio col. 821-5.

4) Per *renuntiationem spontaneam.* *a*) Id insinuat paritas cum assumptione in Pontificem, quae, ut diximus, non electione sola sed acceptione electionis perficitur. — *b*) Id docet *declaratio Coelestini V* Decretal. VI l. 1, tit. 7. De renuntiatione c. 1, quam Bonif. VIII iuri canonico inseruit, — *c*) Id supponit C. I. C. c. 221. — *d*) Habetur *exemplum saltem Caelestini V* 1294. — *e*) Concordat *doctrina iamiam communis.*

5) Non vero desinit esse papa is, contra cuius electionem iam certo et universaliter acceptatam postea fiunt difficultates, etsi ita magnae sunt, ut de eius legitimitate a multis dubitetur. Cum enim vere fuerit papa, nulla iam humana potestate dignitate sua privari potest, neque ulla probatio habetur, Deum ipsum eum ob dubium postea exortum ea dignitate privare. Hoc ergo sensu *axioma illud « papa dubius papa nullus » non valet.* Quibusdam vero valere videtur de eo, de cuius electionis valore statim ab initio positiva solidaque dubia existant . Etenim, uti dicunt, factum huius electionis, ut valeret, promulgatum esse deberet. Haec autem promulgatio in casu ob dubia illa deest. (Cf. Wernz-Vidal, n. 454).

Etsi, uti e dictis patet, in uno vel alio puncto aliqua sententiarum diversitas habetur, nihilominus, sive hanc sive illam sententiam elegeris, hoc *ratum fixumque est: cuicumque ab Ecclesia universa dignitas Pontificia certo attribuitur vel negatur, is vere legitimus Pontifex est vel non est,* prouti Ecclesia universa rem firmiter tenuerat. Repugnat enim, Ecclesiam in facto dogmatico errorem admittere.

QUA RATIONE COGNOSCATUR HOS ET HOS ESSE EPISCOPOS LEGITIMOS VEL FORMARE CONCILIUM AUCTORITATE UNIVERSALI POLLENS.

1) De **episcopis** ass. 9, Rep. p. 330-7 probavimus, eum solum esse legitimum episcopum, quem R. P. assumpserit assumptumque in munere retinuerit. Quem vero assumpserit atque retinuerit, determinandum est secundum eas leges, quas ipse forte diversas in diversis temporibus vel locis de hac re tulerit; quae in iure canonico traduntur.

2) Hoc vel illud **Concilium universale** esse legitimum, eo cognoscitur, quod scitur, illud esse a Romano Pontifice convocatum, eo praesidente celebratum, ab eo demum approbatum. Cf. de Concil. ass. 1, 2, 3, 10, 11, 12, 16; ex art. 5 Cor. 6, 7. In Rep. intra pp. 339-74.

Modi quidam quibus cognoscitur assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponi.

1) **Agi de assensu interno** imposito ita discernitur : Si v. g. *fides* imponitur, sive divina illa sit sive ecclesiastica ; etenim fides e natura sua est assensus internus. Item si *professio fidei* praescribitur ; nam Ecclesia non praescribit actum externum professionis fidei, quin simul praescribat actum internum fidei, quam profitendam praescribit. — Notandum est, aliquando vocem credendi pro fide tum divina tum ecclesiastica usurpari, aliquando vero ecclesiasticam potius voce generaliore tenendi significari.

Non vero sufficit si ad tempus silentium de quadam quaestione religiosa indicitur. Etenim silentium neque formaliter situm est in assensu interno, neque illum ex intentione imperantis supponit, cum v. g. ob bonum pacis praescribi possit. Neque sufficit, si tantum praescribitur, ut aliqua doctrina theologica vel cum theologia connexa in scholis exponatur. Etenim eiusmodi praeceptum ad hoc dirigi potest, ut diversae sententiae theologicae melius cognoscantur et ita securius diiudicentur.

2) **Vere imponi assensum talem** v. g. ex his perspicitur : Si ipsa vox praescribendi vel similis adhibetur. Si ea quae de fidei doctrina proferuntur, eodem modo edicuntur atque caeterae leges, disciplinares scilicet, quae certissime vere imponuntur. Si poena additur ; ex ea enim evidenter ad legem concluditur. — Certa vero forma verborum e natura rei non requiritur ; requiritur vero promulgatio legis, uti patet.

Non autem habetur impositio doctrinae eo quod doctrina valde laudatur, vel caeteris mere praefertur ; hoc enim ob rationes practicas aliquando fieri potest.

3) Imponi assensum **firmissimum,** irrevocabilem, non vero mere probabilem, temporarium talibus fere modis cognosci potest : Si eiusmodi assensus claris verbis explicitis postulatur. Si fides sive divina sive ecclesiastica imponitur ; fides enim e natura sua est assensus firmissimus, irrevocabilis. Si forte aliquando haec signa non ita clare apparent, attendatur, num Ecclesia universalis, v. g. quando lex ferebatur, eam de assensu irrevocabili intellexerit. Tandem auctores generatim addunt : si doctrina sub

poena exclusionis ab Ecclesia seu anathematis imponitur. Cf. plura v. g. M. Cano l. 5, c. 5, q. 4.

4) Assensum eiusmodi **toti Ecclesiae** imponi primo eo cognoscitur, quod lex, de qua agitur, verbis ipsis immediate ad totam Ecclesiam dirigitur. At secundo, idem omnino dicendum videtur, si verba ipsa quidem immediate tantum ad partem Ecclesiae diriguntur, id autem quod ab ea parte Ecclesiae postulatur, est assensus irrevocabilis. Nam

a) Haec solet esse *sententia auctorum*. *b*) *Pari modo* v. g. in schola grammaticae magister saepe unum discipulum, corrigendo mendum grammaticale ab eo pronuntiatum, alloquitur ; nihilominus in eo uno omnes eodem modo docere intendit. — *c*) *Exempla huiusmodi definitionum infallibilium* adducuntur haec : Decretum Innocentii I ad Africanos de Pelagianismo ; epistola Caelestini ad Cyrillum de Nestorianismo, Leonis I ad Flavianum de Monophysitismo ; formula Hormisdae Orientalibus imposita de praerogativis Romanae Sedis. *d*) Ratio intrinseca haec est : Cum in Ecclesia universa, uti postea videbimus, non possit esse nisi fides una omnium, eo ipso quod assensus irrevocabilis seu fidei (sive divinae sive ecclesiasticae) in aliquam doctrinam uni parti imponitur, ea Ecclesiae universae praescribitur atque proinde praescripta esse intelligitur. Motivum autem, quo auctoritas moveatur, ut immediate tantum ad partem Ecclesiae sermonem dirigat, ex eo peti potest, quod illa pars ob pericula specialia prae caeteris in fide firmanda est. Cf. Palmieri, th. 32, ed. 3, p. 707-8 ; Straub, n. 1072.

Modum loquendi quod attinet, auctoritas Ecclesiae, si omnes immediate alloquitur, a quibusdam dicitur materialiter et formaliter omnes alloqui ; si immediate tantum partem alloquitur, tantum formaliter non vero materialiter omnes alloqui dicitur.

Ex iis quae n. 1-3 diximus haec accurratiora sequuntur:

A. Si criteria praecipue interna adhibentur.

I. Non sunt definitiones:

a) *Disputationes*, sermones, etc. *in Actis* Conciliorum vel in Congregationibus Romanis etc. contenta, quibus definitiones fidei sive Pontificis sive Conciliorum praeparabantur. Etenim praeparationes legis non sunt lex, definitio autem est lex fidei.

b) *Rationes pro definitionibus* fidei quae in decretis definitionem continentibus e Scriptura vel Traditione adducuntur; illustrationes doctrinae; responsiones ad obiectiones etc. Nam talia se habent ut motiva legum, quae a legislatoribus aliquando afferuntur. Motiva autem legum non sunt leges. Aliud dicendum est, ut patet, si Ecclesia ut firmiter tenendum imponit, aliquam veritatem hoc vel illo textu contineri; tunc hoc ipsum definitum est. Exemplum pro tali definitione statuere solent doctrinam Conc. Trid. D. 908, 926, textu Iac. 5, 14 doceri sacramentum extremae unctionis.

c) « *Obiter dicta* » in decretis fidei nominantur a multis, uti M. Cano l. 5 c. 5 q. 4 versus finem, quaedam assertiones, quae dictae sunt « obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controversia; ea non pertinent ad fidem, h. e. non sunt catholicae fidei iudicia ». In his Pontifex vel Patres Concilii v. g. doctrinam aliquam inter theologos sat communem etsi non certam sequi possunt. Declarant theologi rem saepe definitione Conc. Lat. IV D. 428: Deus « omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam... angelicam et mundanam... » Quibus verbis definitur utique ex nihilo utramque creaturam esse factam, utramque vero eodem tempore esse creatam, asseritur quidem at non definitur. « Non enim in eo capite intendebat Concilium nova dogmata definire, sed antiqua profiteri ». Suarez, De Angelis l. 1 c. 3 n. 14. Unde ad talia distinguenda scire oportet circumstantias definitionis, vel traditionem historicam de mente Concilii.

II. Sunt definitiones:

Etiam eiusmodi doctrinae quae non in ipsis canonibus Conciliorum vel forte documentorum Pontificium proponuntur, sed alio modo, v. g. in decretis. Dicitur autem canon ea forma docendi, qua falsa doctrina sub anathemate proscribitur. Rationes hae sunt:

a) *E natura rei* ad rationem legis fidei, uti generatim verae legis, omnis forma eam ferendi sufficit, qua voluntas superioris praecipiens exprimitur. Ad rationem autem veri praecepti non requiritur, ut determinata quaedam poena contra transgressores addatur.

b) *Exempla plurima* patent. Praeclarum exemplum praebent symbola fidei christianae, quae sane vim legis fidei habent. Porro in Conc. Flor. decretum unionis cum graecis « Laetentur coeli » D. 691 omnibus fatentibus definitiones fidei continet, v. g. de processione Spiritus Sancti: « diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur ». In Conc. Trid. legimus v. g. in prooemio decreti de iustificatione: « districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere... Decretum de eucharistia, item in prooemio, fere eadem verba habet. Idem eruere solent e decreto de poenitentia, D. 910 ad finem: « Haec sunt quae de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis haec sancta oecumenica Synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit ». Porro e Conc. Vat. sess. 4 c. 3 D. 1827 ubi de Primatu Romani Pontificis legitur: « Haec est catholicae veritatis doctrina a qua deviare salva fide atque salute nemo potest ». Iamvero haec omnia nullam secum habent poenae determinationem.

c) Unde *contra paucissimos* merito semper id theologi ut plane certum docuerunt.

B. Criterium externum adhibetur.

Semper criteriis internis novum robur addunt, aliquando autem sola externa adhiberi possunt.

Potest enim esse, ut ipsa decreta auctoritatis ecclesiasticae iam non habeamus, vel saltem circumstantiae, secundum quas

ea explicanda sint, fere nos lateant. Quod si accidit « considera sequentem effectum. Si enim ea doctrina viguit deinceps in Ecclesia nec aliam repereris definitionem fidei. Si e contrario alia quoque doctrina opposita perseveravit, ipsa sciente et permittente multo magis si probante Romana Sede, affirmare tibi licebit, illam non fuisse definitionem fidei. Haec, statuta certitudine dogmatis de infallibilitate Romani Pontificis (vel Concilii), satis clara sunt. Quod si nihil eiusmodi reperias, consequens erit ignorare te, an aliquis Pontifex aliquando definiverit ex cathedra, nec ne. Ex qua quidem ignorantia nihil oritur incommodi nisi forte pro historicis; non enim minuitur numerus rerum definitarum et explicite credendarum, sed solum notitia historica eaque certa actuum definientium. Sane vel etiam tum cum edita fuit ea definitio, fuit dubium Ecclesiae an esset necne definitio et eo ipso ob defectum debitae manifestationis illa effectum suum non est assecuta neque auxit numerum rerum definitarum: si autem tunc fuit omnibus certa definitio, creditum est tunc ab universa Ecclesia quod ea proponebatur et quod tunc creditum est non potuit non credi postea: unde et modo ea omnia tamquam infallibili auctoritate proposita credimus quae prius credebantur; licet forte historice ignoremus quis prior definiverit ». Haec sentit Palmieri, ed. 3 th. 31, III ad finem p. 706.

Vis huius criterii externi ex eo praecipue repetenda est, quod Ecclesia sive docens sive discens — de discente id postea demonstrabimus — infallibilis est; atque praeterea, etiam abstrahendo ab ea doctrina, ex eo quod consuetudo bona legum interpres esse solet. Cf. Wilmers th. 68 Pars II, ubi p. 397-402 verba theologorum optimorum saeculi 16-8 inde a Caietano, ascripta habes. V. quoque Bellarm., de Conc. l. 2 c. 12, 1203 A. B.

Art. 3. — De permanentia magisterii infallibilis.

Sect. 1. — De infallibilitate Romani Pontificis.

Propositio 20. — Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, infallibilis est. — *Cf. tract. amplior v. II fasc. 2 p. 1–81.*

Lit. — Card. *Torquemada,* Summa de ecclesia l. 2 praecipue c. 107-12 incl., ed. Salmant. 1560 p. 373-95. Primus rem largiore modo discussit. — *Stapleton*, De principiis fidei. Controversia 2 l. 6; op. omn. Paris. 1620 inter p. 199-235. — Praecipue *B. Bellarmino*, De Rom. Pontif. l. 4. c. 1-14 incl. ed. Ingolstadt 1590 col. 948-1015. Monographia: J. de la Servière, La théologie de Bellarmin, ch. 3, 4, Paris 1908 p. 111-29. — *Melchior Cano*, De locis theol. l. 6 ed. Patav. 1739 p. 183-212. — *Banez*, in 2. 2. qu. 1 art. 10. Dubitatur secundo ed. Venet. 1587 col. 183-212. — *Suarez*, De fide disp. 5 s. 8 ed. Paris. tom. 12 p. 161-5; idem, Defensio fidei l. 1 c. 5-6 ed. Paris. tom. 24 p. 20-31. — *Dom. Gravina*, Catholicarum Praescriptionum tomus 4us pars 2 continuatio qu. 1-3 ed. Neapoli 1639 p. 1-287. — *Dominicus a SS. Trin.*, Bibl. theol. l. 3 s. 4 c. 16-7, tom. 3 Romae 1668 p. 252-548. — *Aug. Reding*, Oecumenica Cathedrae Apostolicae Auctoritas art. 4 ed. [s. l.] 1689 p. 694-790. — *Liberius a Iesu*, Controvers. tom. 5. Mediolani 1750, pars 2 disp. 3 contr. 3-5, 10-1 p. 503-603, 650-61. — *Petrus Ballerini*, De vi ac ratione primatus c. 15 ed. Veron. 1756 p. 260-327. — *Wirceburg*, I De principiis fidei disp. 2 c. 3 a. 4 Quaeres 1 ed. Paris. 1852 n. 190-200 p. 348-79. — *Clemens Schrader*, De Unitate Romana t. II, Vindobonae 1866 l. 2 c. 6 p. 161-459 cum largissima doctrina Patrum. — *Murray*, III diss. 20 s. 3 p. 778-813. — *Mazzella*,[2] n. 1039-95 p. 813-75. — *Palmieri*, De Rom. Pontif.[3] 1902 th. 25-36 p. 586-757. — *Billot*, De ecclesia Christi[4] th. 31-2, Romae 1921 p. 629-82. — *Wilmers*, De Christi ecclesia prop.

71-2 p. 409-54. *De San*, De Ecclesia et Romano Pontifice, Brugis 1906 p, 117*-200*. - *Granderath*, Constit. Dogm. Conc. Vat., Friburgi 1892 pars 2 commentatio 7-9 p. 165-210. — *Harent*, art. Infaillibilité Pontificale (quae est n. IV art. Papauté) in D. Ap. tom. 6 col. 1422-1534 praecipue continet praeclaram expositionem evolutionis historicae controversiae inter catholicos (c. 1430-1531). — *Dublanchy*, art. Infaillibilité du Pape, n. I-V, in D. d. Th. C. tom. 14 col. 1638-1709 praecipue proponit argumentum e traditione (c. 1655-95).

Quae *tempore Conc. Vat.* quoad infallibilitatem Rom. Pont. dicta vel gesta sint praecipue *in ipso Concilio*, v. Col. Lac. tom. VII Index qui materiam largissimam atque optime divisam exhibet sub voce Infall. Rom. Pont. col. 1862-72. — Porro Granderath-Kirch, Geschichte des Vat. Konzils III ad v. Unfehlbarkeit in ind.

E *Gallicanis* praecipue egerunt contra infallibilitatem Romani Pontificis *Launoy* († 1678) in tomo 5 operum, qui epistolas continet. Cf. summam rei Hurter, Nomenclat.[3] IV 1910 col. 229. — *Bossuet*, Defensio declarationis, scripta 1683 ed. 1730. — Tempore Concil. Vat. *Maret* edidit : Du Concil général et de la paix religieuse, Paris 1869.

E *scriptis haereticorum in Germania* v. g. *Ioh. Gerhardus*, Loci theologici, praecipue tom. V. cf. ind. ad v. R. P. Infallib. in indice ad totum opus. — *Hase*, Handbuch der protest. Polemik[7] 1900 l. 1 c. 4 B 147-96. — *Tschackert*, Evang. Polemik[2] 1888 p. 50-5. — RE[3] cf. ad v. Unfehlbarkeit in tom. 22 Register. — Ex parte vetero-catholicorum praecipue *Ioseph Langen*, Geschichte der Röm. Kirche 4 volumina Bonn 1881-93 ind. a S. Petro usque ad Innocent. III. Obiectiones e parte textuum vel factorum per totum opus sparsa inveniuntur.

Temporibus concil. Vat. contra infallibilitatem scripserunt praecipue *Döllinger*, Erwägungen für die Bischöfe des Konziliums über die Frage der päpstlichen Unfehlbarkeit, München 1869. — *Ioh. Friedr. Ritter von Schulte,* Die Macht der röm. Päpste über Fürsten, Lander, Völker, Individuen, nach ihren Lehren u. Handlungen, zur Würdigung ihrer Unfehlbarkeit, Prag 1871 pp. 153. — *Ios. Langen,* Das vat. Dogma von dem Universal-

Episcopat u. der Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältniss zum Neuen Testament u. der kirchl. Ueberlieferung, Bonn 1876 pp. 116. — *Lord Acton,* Sendschreiben an einen deutschen Bischof des vat. Konzils 1870. — Opera his elucubrationibus opposita sunt v, g. *Rudis*, Petra Romana, Regensburg 1869 pp. 418. *Card. Hergenröther,* Kath. Kirche n. christl. Staat in ihrer geschichtl. Entwicklung, Freiburg 1872 c. 17 p. 927-1038, opus eruditissimum. - Alia his temporibus pro infallibilitate vel contra eam scripta v. Granderath III 1906 l. 4 c. 7 p. 636-63.

Inter Anglos. W. E. Gladstone, The Vatican Decrees in their bearing on civil allegiance; a political expostulation, London, 1874. Contra quem praecipue egit *Card. Manning,* The Vatican Decrees in their bearing on civil allegiance, London 1875, pp. 193. — *George Salmon*, The infallibility of the Chrch,[3] London 1899 per totum opus, praecipue lecture 22 p. 424-43. Contra quem *Finlay,* Infallibility p. 125-45 in opere complurium « Ecclesia », 1906. — Tandem v. scripta de colloquiis Mehliniensibus.

E *parte historiae dogmatum. Schwane,* Dogmengeschichte, 4 vol. in singulis periodis in capitibus sub voce « Ekklesiastik ».

[**Qual.** — De fide div. cath. def. in C. Vat., D. 1839.]

Expl. term. 1) **Romanus Pontifex** intelligitur is qui est episcopus dioeceseos Romanae, at *in quantum est caput Ecclesiae universalis.* Intelligitur ergo Petrus atque unusquisque ex successoribus eius et consequenter tota series, non vero sola series in oppositione ad singulos sedentes. De qua distinctione cf. Rep. p. 314.

2) **Cum ex cathedra loquitur.** Vox « *ex cathedra* » desumpta esse videtur e Mt. 23, 2 « super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei » i. e. munus docentium loco Mosis sustinent.

Res exhibetur a Conc. Vat. D. 1839 « *Nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ... sacro approbante Concilio, docemus et revelatum dogma esse definimus, Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, idest cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit* ». In qua descriptione locu-

tionis « ex cathedra » caput est incisum hoc : « cum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit », reliqua vero hoc incisum magis explicant. Continentur autem in hac descriptione haec :

a) *Persona, quam Romanus Pontifex sustinere debet : « Pastoris et doctoris munere* fungens » — ergo non ut persona privata sed ut persona *publica* loqui debet ; « *Omnium Christianorum* pastoris et doctoris munere fungens » — ergo *non* sufficit, si « ut *episcopus alicuius dioecesis* vel *provinciae* aliquid decernit ». (Relatio ep. Gasser Brixin. Col. Lac. VII, 414), sed necesse est eum agere ut est totius Ecclesiae caput.

b) *Subiectum ad quod definitio extendi debet :* « doctrinam ... *ab universa Ecclesia* tenendam », « omnium Christianorum ... doctoris ... ». Sermonem autem formaliter ad totam Ecclesiam dirigi posse, etsi immediate tantum ad partem quandam Ecclesiae dirigatur v. ass. 12 Rep. p. 452-3.

c) *Obiectum circa quod definitio versetur necesse* est : « doctrinam *de fide vel moribus* ».

d) *Modus quo locutio circa talem materiam versetur necesse est :* « *tenendam definit* » i. e. assensum irrevocabilem in eam praescribit, seu quaestionem finali iudicio decidit. Quo continetur distinctio ab omnibus aliis modis, quibus auctoritas, quae suprema est, docere potest, quin scilicet summa illa auctoritate doceat, qua omnino docere potest. Cf. ass. 10 Rep. p. 444-6.— Hoc exercitium *supremae auctoritatis in supremo gradu* exhibent verba citata. Idem exprimere videntur haec alia verba explicandi gratia addita « *pro suprema sua Apostolica auctoritate* » i. e. pro pleno et supremo exercitio potestatis supremae. Cf. v. g. explicationem horum verborum (sive vocis « suprema ») factam a relatore episcopo Pie in Conc. Vat., Coll. Lac. VII col. 299 c., ubi post declarata verba « supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens » haec addit : « Describi etiam actum specificum atque formalem, in quo divinitus protegi dicitur, nempe cum « « pro sua apostolica auctoritate definit » » [omittebatur tunc temporis adhuc vox « suprema »], *ne quilibet supremi pastoris actus* sub definitione cadere credatur ». Cf. quoque ib. col. 376 d, 273 b, 285 c.

3) **Infallibilis est.** — *Prosequitur definitio quam mox initio n. 2 citavimus, ita : « per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse* ». — Continetur hic verbis :

a) *Factum infallibilitatis* Romani Pontificis in talibus decisionibus : « infallibilitate pollere ».

b) *Causa efficiens infallibilitatis* Romani Pontificis : *assistentia divina*, de qua quid tenendum sit v. ass. 5. Rep. p. 427-433.

c) *Titulus ob quem haec assistentia Romano Pontifici concedatur : « ipsi in beato Petro promissa »* i. e. R. P. assistentiam ideo obtinet, quia est successor S. Petri in primatu, scilicet quia Romanus Pontifex unam eamdemque personam publicam capitis Ecclesiae sustinet atque Petrus ; Petro vero ut capiti Ecclesiae infallibilitas a Christo promissa est. Intelligi vero S. Petrum non in quantum erat aliquis e apostolis, qui etiam singuli vi muneris extraordinarii infallibiles erant, sed *in quantum vi muneris ordinarii caput erat Ecclesiae universalis*, patet ex integro c. 4 D. 1832-8, quippe in quo continuo ad hanc, non ad illam Petri dignitatem uti ad titulum infallibilitatis Romani Pontificis remittatur.

Quodsi ergo v. g. Viscount Halifax, A Call to Reunion... ed. 2 London 1922 p. 10 premit, papam definiendo *non agere « separatim ab Ecclesia*, cuius est caput » hoc rectissime dicitur eo sensu, quod papa definiendo quam maxime et necessario agit et pro ecclesia et in ecclesia, scilicet uti eius membrum praecipuum seu caput ; quod porro Ecclesia universa docens in docendo atque credens in credendo nunquam a capite suo definiente separari potest ; quod tandem Ecclesia universa in praeparandis locutionibus a cathedra suas habet partes. Non vero recte intelligeretur, si quis ea voce insinuare vellet, auctoritatem definiendi a corpore Ecclesiae in eius caput derivari, aut eam personam individualem, quae est Romanus Pon-

tifex, non esse iam per se solam subiectum inhaesionis pro infallibilitate.

d) *Ulterior determinatio obiecti circa quod* infallibilitas Romani Pontificis versatur. Hoc dupliciter exprimitur, tum absolute, tum comparative.

Docetur nempe, hoc obiectum esse 1) « doctrinam de fide vel moribus »; 2) has res fidei et morum, circa quas infallibilitas Pontificis versetur, habere eamdem extensionem atque res fidei et morum, circa quas Ecclesia universalis docens infallibilis sit. Desiderium quidem plurimorum Patrum erat, ut, si fieri posset, ulterior determinatio obiecti directe in se ipsa definiretur, v. g. illud continere etiam res cum revelatis connexas. At cum ob circumstantias externas, instante suspensione Concilii, id interim fieri non posset, Concilium via breviore processit. Definivit nempe aliquid de ulteriore determinatione obiecti, at indirecte et per comparationem cum obiecto infallibilitatis Ecclesiae docentis universae. Docuit nempe, Romanum Pontificem « *ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit* ». Esse sermonem de universa Ecclesia docente patet ex eo, quod sermo est de infallibilitate Ecclesiae in definienda doctrina. Non definit autem nisi Ecclesia docens.

e) *Ulterior quaedam determinatio internae naturae eius assensus, qui infallibilitati Romani Pontificis debetur.* — « Unde sicut nemine diffitente haereticum est, Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare, ita in huius decreti Vaticani vi, non minus haereticum erit negare summi Pontificis per se spectati infallibilitatem in definitionibus dogmatum fidei. In illis autem in quibus theologice quidem certum, non tamen hactenus certum de fide est, Ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc decreto sacri Concilii non definitur tamquam de fide credenda. Qua vero certitudine theologica constat, haec alia obiecta praeter dogmata fidei comprehendi intra ambitum infallibilitatis qua pollet Ecclesia in suis definitionibus, eadem certitudine tenendum est ac erit, ad haec etiam obiecta extendi infallibilitatem in definitionibus editis a Romano Pontifice ».

Ita definitionem antequam ederetur declaravit relator ep. Gasser, Col. Lac. VII col. 416-7. Ampliora dicentur cum de obiecto infallibilitatis Ecclesiae sermo erit. Cf. quoque Granderath S. J., Constitutiones dogmaticae S. Oec. C. Vat., Freiburg 1892 p. 205, 207, 209.

4. Ex sese definitiones Romani Pontificis infallibiles sunt. — Scilicet *perfectio haec definitionum Pontificis, quod infallibiles et proinde irreformabiles sunt*, est plane insita atque intrinseca ipsis definitionibus Romani Pontificis : ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones *ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae* infallibiles esse . Ubi perspicitur hanc perfectionem primo exprimi positive · ex sese , deinde ad maiorem claritatem etiam negative « non autem ex consensu Ecclesiae ».

Quod incisum Wilmers, p. 411-2 ita breviter explicat : · Non asseritur, accidere unquam, ut Ecclesiae consensus non adsit, sive ut aliud sentiat vel doceat Pontifex, aliud sentiat Ecclesia. Sed negatur, ex Ecclesiae consensu sive praecedente sive consequente, Pontificis magisterio sive decisioni inesse infallibilitatem, quasi eius magisterium, ut plenam vim et auctoritatem habeat, compleri debeat Ecclesiae sive magisterio sive consensu. Verbo, negatur (ea) causalitas consensus, qua Pontificis magisterium infallibile reddatur, non negatur consensus existentia. Respicitur Cleri Gallicani articulus IV (an. 1682) in hanc modum efformatus : ‹ · In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit . Quae sint eiusmodi praecipuae partes, ab auctoribus huius articuli non explicabatur.

At non tantum definitur haec intrinseca definitionum Romani Pontificis vis, sed *insuper docetur, hanc eorum vim iis intrinsecam eo ipso adesse, quod adsunt ea, quae antea in definitione de infallibilitate Romani Pontificis iam proposita erant.* Etenim ante verba quae mox citavimus additum est ideoque .

In argumentis sequentibus proxime demonstramus, Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquatur *infallibilem* esse. Eo ipso etiam probatur, eius definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Etenim demonstrabimus, causam infallibilitatis definitionum Romani Pontificis esse divinam assistentiam, hanc autem assistentiam exigi ab omni actu, quo Romanus Pontifex auctoritate sibi propria assensum irrevocabilem in aliquod enuntiabile toti Ecclesiae imponit. Sequitur nihil cogitari posse quod praeter hanc ipsam definitionem in ratione causae sive totalis sive partialis requiratur ad eum effectum, ut sit infallibilis.

Aδv. *Sectae orientales* et *Schisma Photianum*, cum omne magisterium vivum in Ecclesia post 7 Concilia universalia et Patres negent. Cf. Theoph. Spácil S. J., Conceptus et doctrina de Ecclesia iuxta Theologiam Orientis separati, sectio 3. in : Orientalia christiana n. 8, Romae 1924 p. 93. Quo loco affirmat : « Infallibilitatem papae omnes reiciunt et variis argumentis oppugnant », omnes scilicet theologi saeculi 19 et 20, Graeci, Russi, Bulgari, Romeni, Serbi. Ib. p. 45.

Wicleff uti generatim *nullam potestatem* Pontifici ascripsit, ita neque eam de qua agimus. Cf. locum citatum apud Thomam Waldensem, Doctrinale antiquitatum fidei Catholicae Ecclesiae l. 2 a. 3 c. 48 ed. Venet. 1757 tom. 1 col. 493. Cf. quoque D. 617-8.

Petrus de Osma, qui est locus in Hispania, docuit 1774-9 Salmanticae ; uti quasdam alias facultates papae abiudicavit, ita statuit : « Ecclesia urbis Romae errare potest ». D. 729-31.

Gallicani veteres ad hanc assertionem non pervenisse videntur nisi post schisma magnum. Ioan. *Gerson* († 1429) in « Tractatus quomodo et an liceat in causa fidei a Summo Pontifice appellare seu eius iudicium declinare » (in ed. operum Gerson facta ab Ellies Dupin, Antuerpiae 1716 t. II col. 303-9), quem 1418 composuit, argumentatur primo loco (col. 303) e superioritate omnimoda Concilii oecumenici supra papam, quae a Conc. Constantiensi definita sit. Cf. quoque Salembier, art. Gerson n. II, in D. d. Th. C. tom. 11 vol, 1318-22.

Protestantes, quia nullius ecclesiae determinatae et individuae infallibilitatem admittunt (cf. Wilmers n. 206) ; porro quia Petri, a fortiori successoris Petri primatum negant.

In *Gallicanis recentioribus* thesis *iterum* apparet apud *Edm. Richer* († 1631), qui in libello [anonymo] « De ecclesiastica et

politica potestate › ad Gerson remisit. Statuit, solum Christum esse caput essentiale Ecclesiae, Papam nonnisi ministeriale, qui non Christi sed Ecclesiae nomine gubernet. Aristocraticam formam Ecclesiae tenet.

Tandem *L'Assemblée du Clergé français 1682* proposuit 4 suos celebres articulos *Declarationis Cleri Gallicani*, cuius *quartus*, quem mox n. 4. citavimus, infallibilitati Romani Pontificis oppositus est. Quem quartum articulum defensum v. apud Bossuet l. 7-10 e ‹ Defensio declarationis Cleri Gall. Pars III. Oeuvres ed. Versailles 1817 t. 32 p. 413-646, 1818 t. 33 p. 1-291, item multa in Appendice p. 425-661.

Gallicanorum doctrinam ardenter prosequebantur *Iansenistae*, quorum antesignanus abbas a St. Cyran multum a Richer dependebat v. g. in suo ‹ Petrus Aurelius de hierarchia eccl. ›.

Febronius quoque eam a magistro suo Gallicano van Espen in Univ. Lovan. hausit atque opere suo De Statu Ecclesiae ed. 2 1765 Bullioni, c. 1 § 10 p. 82-8 sparsit. — Item *Synodus Pistoriensis* eam suam fecit cf. D. 1598-9.

Tandem post Vaticanum *Vetero-Catholici* definitioni Vaticani ideo se non submiserunt, quia a sententia Ecclesiae antiquae aliena sit.

Pars. I. Argumenta e Scriptura *Tr. ampl. p. 5-17*

Arg. e Mt. 16, 17-19 et Io. 21, 15-7

Idea generalis argumenti. — His locis Mt. et Io. continetur, Petrum eiusque successores singulos iam per se solos habere potestatem *plenam* ut omnia ea agant, quae vi potestatis iurisdictionis in Ecclesia peragi possunt. Atqui, uti ass. 4. p. 424-6 vidimus, ii quibus Christus doctrinam suam docendam commisit, vi iurisdictionis imponere possunt assensum irrevocabilem, iique sunt ipsi superiores ecclesiastici. Ergo eandem potestatem iam habet Petrus solus eiusque omnis successor. Atqui impossibile est, aliquem posse mandato Dei assensum irrevocabilem imponere, nisi Deus eum infallibilem reddiderit. Ergo iam Petrus solus eiusque singuli successores in primatu infallibiles sunt.

Applicatio argumenti ad singulos textus :

Ad textum de petra. — Ideo Ecclesia *secundum nullam partem finis sui destrui potest, quia continuo aedificata est supra Petri auctoritatem.* Iamvero pars finis Ecclesiae est recta fides conservanda. Ergo auctoritas Petri semper necessario rectam fidem proponit.

Ad textus de clavibus et de potestate ligandi. — *Claves* i. e. regendi potestas ad omnia se extendit, quae secundum finem Ecclesiae agenda sunt. Imo hoc data opera premitur his verbis « quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis ». Atqui pars finis Ecclesiae est recta doctrina proponenda. Ergo Deus ligat ad doctrinam quam Petrus eiusve successor proponit.

Ad textum de pastore. — *Pastor* debet pascere secundum finem societatis. Pars vero finis Ecclesiae est vera fides conservanda. Ergo Petrus eiusque successor in primatu eam imponere potest, ergo infallibiliter.

Quae argumenta, nominatim e metaphora petrae, *a Patribus frequentissime adhibebantur.* Quaedam exempla v. in argumento e Traditione, v. g. celeberrimam formulam Hormisdae.

Arg. e Lc. 22, 31-2

Abstrahimus a diversis in quibus auctores catholici dissentiunt :

1) *A contextu* proximo huius incisi. Etenim multis praecipue e comparatione inter Lc. et caeteros evangelistas videtur eruendum, Lucam, narrata coena paschali et institutione eucharistiae, summatim quosdam sermones referre, quos Dominus sive in coenaculo sive in via ad Gethsemani habuit, quin discerni possit, « quo in contextu singulae sententiae habitae sint ». Knabenbauer ad l., ed. 2, p. 582.

2) *A significatione vocis « conversus »* (a peccato ? — postquam alios a peccato converteris ? — vicissim ? — converte te ad fratres tuos ?)

3) « Num *aliquando* » iungendum sit cum « conversus » an cum « confirma », num porro vertendum sit « in futuro » an « data occasione ».

4) Num « *deficiat* » vi solius vocis significet defectum plenum an partialem.

5) Num vox « *fratres* » directe significet apostolos an omnes fideles.

Consideratur locus in lumine aliorum textuum de primatu iam propositorum, et traditionis.

I. Aliquid confertur **soli Petro**. Nomen enim proprium bis in forma singulari ponitur; imo Petrus opponitur caeteris: « expetivit... vos, rogari pro te » « et tu... confirma ».

II. Id quod confertur est **potestas firmandi in fide theologica,** non vero in fiducia per se solum sumpta. Non enim hanc sed illam generatim significat vox fidei in N. T.; illam, uti Scriptura in genere, ita in specie Christus in apostolis continuo premit; praecipue illam diabolus e cordibus evellere studet, cum principium sit omnis bonae operationis. Confirmat tum locus parallelus Mt. 16, 18, ubi fides theologica, scilicet in divinitatem Christi, inculcatur; tum consensus catholicorum, multorum Protestantium.

III. Haec potestas firmandi in fide theologica datur Petro **ut capiti Ecclesiae futuro**. 1) « Si officium quodcumque, quod natura sua praepositum spectat, praeposito iniungitur, eidem qua praepositio iniungi censetur ». Wilmers p. 413. Petrus vero iamiam designatus erat ut caput Ecclesiae futurum (Mt. 16, 18-9); porro confirmare in fide Ecclesiam, spectato fine Ecclesiae, ad caput eius spectat, ut vidimus in arg. mox allato ex Mt. Ergo haec potestas his verbis Petro ut capiti futuro promittitur. 2) Alias non habetur ratio sufficiens eius *ordinis divinitus hic statuti*, quod fides aliorum per Petrum servanda sit. Non enim merum factum considerandum, sed ratio ordinis tam miri a Christo stabiliti quaerenda est. Audiatur v. g. S. *Leo* serm. 3, 3 de sua assumptione ad Primatum: « Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura sucipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; et divinae gratiae

ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur ». M L 54, 151-2.

Quidam ita argumentantur : Petrus confirmare debebat (vi efficacium precum Domini ut mox. n. VI et VII videbimus). At id non fecit tempore passionis ; nam tum cecidit Petrus. Neque id fecit inde a resurrectione usque ad ascensionem ; nam eo tempore ipse Christus personaliter praesens apostolos firmavit. Neque postea usque ad mortem Petri ; nam apostoli singuli infallibiles erant. Ergo alio tempore posteriore, ergo uti in suis successoribus vivit. Porro semper pericula contra fidem exurgunt ; ergo semper confirmatio ea necessaria est. Cf. hunc modum argumentandi tempore Patrum apud Abu Kurra, opere citando Mimar I n. 24, versio Graf 1910 p. 120 ; hodie v. g. penes Billot qu. 14 § 2 II.

IV. Datur mandatum Petro, ut in fide theologica **universam Ecclesiam** confirmet. Nam expressio « fratres » immediate aut solos apostolos significat, prouti in suis successoribus vivunt, aut omnes Christianos. Si immediate apostolos, mediate omnes fideles significantur, quippe qui apostolos docentes sequi debeant.

V. In mandato firmandi includitur **mandatum ut leges fidei ferat.** Etenim firmare debet ut caput Ecclesiae. Capitis qua talis est regere, ergo hic leges fidei dare.

VI. Christus **rogavit** ut hae leges fidei a Petro dandae **infallibiles sint.** *a*) Rogavit ne deficeret fides Petri in ordine ad eam doctrinam auctoritative proponendam de qua sermo Mt. 28, 20 « quaecumque mandavi vobis », Mc. 16 « evangelium ». Atqui si unam doctrinam non rectam proponeret, talis fides deficeret ; *b*) rogavit ut hae leges fidei eiusmodi sint, quas obedientia fidei fratrum sequi possit quibusque in fide firmi fiant ; nam mandatum dat, eas ferendi. Ergo rogavit ut infallibiles sint.

VII. Christus **impetravit** id quod petiit. Nam *a*) Christus dat *mandatum absolutum* firmandi in fide. Tale mandatum impossibile est, nisi supponitur precum exauditio, scilicet, ipsum Petrum in fide proponenda esse firmum, immutabilem, firmissimam regulam fidei. *b*) Ipsa infallibilitas doctrinae fidei est unum e *mediis necessarius ad finem Ecclesiae.* Ergo Christus eam abso-

lute petiit. Ergo (id quod in tractatu de Incarnatione probatur) exauditus est.

Confirmatur argumentatio e parallelismo cum Mt. 16, 18. — Portae inferi : Satan ; super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam : tu confirma ; beatus es ob fidei confessionem : ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Accedit **suffragium traditionis,** quae textum ita interpretatur.

Obiectiones ex his textibus. — *Tr. ampl. p. 14-7*

Ob. 1. — Christus Mt. 16, 22-3, i. e. immediate post verba, quibus infallibilitatem Petri contineri docuimus, doctrinam Petri aientis: « *Absit a te, Domine* (velle pati) » reprehendit dicens: « Vade post me Satana ». Ita Luther, De potestate papae. — *R.* Ut alia taceam, verba Petri *e cathedra proposita erant, n.* Nondum enim erat caput Ecclesiae.

Ob. 2. — Verbis Mt. 16, 18 tantum continetur, Deum *medium aliquod, quodcumque tandem illud sit,* daturum esse Petro, quo veritatem infallibiliter nuntiet. Atqui sane medium aliquod Petro praesto esset, etsi eius decisio iuridice a consensu episcoporum dependeret. — *R.* D. m.; continetur medium hoc vel illud, n.; eiusmodi medium, ut *iam in solo Petro sit vis firmitatis Ecclesiae universae in fide, c.* Haec difficultas proponebatur in Conc. Vat. v. g. ab ep. Maret. Cf. Grand. III p. 195 et Col. Lac. VII col. 592-3; simile quid ab ep. Dinkel, Grand. ib. 202.

Ob. 3. — Secundum Mt. 18, 17-20 Christus erit in medio duorum vel trium, quicunque e fidelibus illi fuerint, dummodo in nomine eius congregentur; ergo non cum solo Pontifice. — *R.* D. ma.: *relate ad exauditionem precum,* cum sint fusae in vinculo pacis, *c.*; relate ad propositionem infallibilem doctrinae, n. Etenim Christus l. c. ait: « de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est ».

Ob. 4. — Textibus Mt. et Io. *tantum continetur potestas regendi.* — *R.* quae tamen, uti probavimus, *etiam circa imponendum assensum fidei versatur, c.*

Ob. 5. — Argumentatio nostra e Mt. et Io. *supponit, potestatem ecclesiasticam docendi esse speciem relate ad genus, quod est potestas ecclesiastica iurisdictionis.* Atqui uti videbimus, de hac re non est plenus consensus theologorum. Ergo pro veritate tanti momenti demonstranda innitimur in doctrina quae aliquo modo controversa est, id quod sane non convenit. — *R.* N. ma.; argumentatio nostra supponit tantum,

vi iurisdictionis in Ecclesia etiam actus credendi imponi. Cf. ass. 4 Rep. p. 424.

Ob. 6. — Verba « *tu conversus* » *non pertinent ad successores Petri*, cum sane supponendum non sit, eos omnes ante Pontificatum peccaturos esse uti Petrum. Ergo *a pari* neque verba « confirma... » successores respiciunt. — *R. a*) Non est certum, iis verbis significari conversionem a lapsu. Cf. arg. — *b*) Etsi hoc putatur, n. par. Nam conversio, quae Petro praedicitur, *non* se habet *ut obiectum*, quod Petro *uti capiti promittitur*, sed praedictio conversionis erat mera occasio, in qua Dominus munus doctoris infallibilis ei promisit. Iamvero tantum obiectum capiti ut tali promissum ad successores transit.

Obiectiones e modo, quo Patres hos textus explicarunt. *Tr. ampl. p. 28-31*

Ob. 1. — Antiquitus Patres e textibus Mt. et Io. *nonnisi potestatem regendi* deduxerunt. — *R.* N. Cf. argumentum traditionis, v. g. formula Hormisdae, Epiphan., Theod. Studita, etc.

Ob. 2. — Patres textum Lc. multis *alis modis explicant* — *R.* Sensum a nobis statutum negant, n.; saepe *alia quae e textu sequuntur efferunt*, c.

Ob. 3. — Saltem concedendum est, Patres *sensum Lc. a nobis propositum silentio premere.* — *R. a*) *N.* Cf. arg. e traditione mox proponendum; v. g. Agatho, Abu Kurra. — *b*) *Vix erat ratio*, cur hanc explicationem multum *premerent*, cum infallibilitas Pontificis non negaretur; erat autem specialis ratio, cur v. g. ea premerent, quae e textu de necessitate gratiae sequi putabant, scilicet Pelagianismus. — Quaedam de explicatione patristica textus Lc. cf. Murray, t. 3 disp. 18 n. 241-60, p. 473-80; plura Schrader o. c. index ad l. Lc.

Pars II. Arg. e Traditione. — *Tr. ampl. p. 17-45.*

A. Usque ad initia Gallicanismi seu negationis infallibilitatis e parte quorumdam Catholicorum. *ib. p. 17-33.*

Irenaeus, c. 180, Adv. haer. l. 3 c. 3 n. 2, col. 849: « Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, h. e, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis Traditio ». Vidimus Rep. p. 234-5, sensum esse: omnem ecclesiam in doctrina profitenda doctrinam

ecclesiae Romanae, i. e. eius episcopi, sequi debere. Enumeratis porro n. 3 successoribus Petri usque ad sua tempora Irenaeus ita prosequitur: « Hac ordinatione et successione ea quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate ».

S. Cyprianus, c. 250, ep. 69, 19 ed. Hartel 683; « ... Romani, ad quos perfidia (opponitur verae fidei ab apostolis Romae praedicatae) habere non possit accessum ».

Ob. — Verba Cypriani *de morali certitudine* intelligi possunt. Ita fere Koch, Cyprian und der römische Primat, Leipzig 1910 p. 131-2. — *R.* Si *simul cum docrina Patrum et antecedente*, uti Irenaei, *et sequente consideratur, n.* — Tr. ampl., p. 39-40.

In causa Arianismi S. Hieronymus Damaso ep. 15, 4, 5 ML 22, 357-9 scribit: « Decernite, obsecro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere... Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per homousian Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas ».

Ex Ecclesia graeca eiusdem saeculi 4 **S. Epiphanius** et Petri ut capitis Ecclesiae et Romanae sedis infallibilitatem celebrat. Etenim Ancoratus c. 9 MG 43, 34: « ... ille (Petrus) rursum Spiritum sanctum patefecit: sic enim ei, qui inter apostolos primus esset, consentaneum erat, solidae inquam, illi petrae, supra quam est Ecclesia Dei fundata, et portae inferi non praevalebunt illi. Quarum portarum nomine haereses et haereseon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui coeli claves accepit, et in terra solvit et ligat in coelo. In eo siquidem subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur ». — Adv. haer. 27 MG 41, 374, enumerata successione Romanorum Pontificum inde a Petro, haec addit: « Ac nemini sane mirum videatur, cur singula tanta cum diligentia percurrerim. Per haec enim perpetuo certa accurataque veritas ostenditur ». (Cf. Irenaeus l. c.)

Innocentius I et concilia Africana in causa Pelagianismi. — *Episcopi* Africae ad Innocentium de haeresi Pelagiana (416) pluries retulerunt. Quo spiritu id egerint, v. ex epistula synodali,

inter epistulas Aug. 177 n. 19 ML 33, 772: « Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus,... sed utrum etiam noster, licet exiguus ex eo quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus ».

Innocentius vero ep. 29 « In requirendis » 27 Ian. 417 ita respondet: « In requirendis Dei rebus... antiquae traditionis exempla servantes... vestrae religionis vigorem... vera ratione firmastis, qui *ad nostrum referendum approbastis esse iudicium* scientes, quid Apostolicae Sedi... debeatur... »

Sententiam, quam tulit Pontifex, *ut definitivam suscepit ecclesia.* Etenim in epistula 178 n. 1 ad Hilarium confessus est **S. Augustinus,** Pelagianos post concilia Carthaginiense et Milevitanum nondum « evidenter esse ab ecclesia separatos » ML. 33, 773. Cum autem rescripta Innocentii perlata essent, haec pronuntiavit: « De hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: utinam aliquando finiatur error ». Sermo 130, 10. ML. 38, 734. Intelligi ipsam doctrinam definitam ulterius ex his verbis concludes: « De hac re litteris beatae memoriae papae Innocentii dubitatio tota sublata est ». Contra duas epist. Pelag. l. 2, c. 3, n. 5, ML 44, 574. — Cf. plura E. Portalié, art. Augustin in Diction. de Théol. cath. I col. 2415. — Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin. 1892 p. 328-36, 165-83. — Schwane[2] II p. 682-5.

Imo *ipse haereticus Pelagius* Zosimo Pontifici scribens, hanc doctrinam cum caeteris fidelibus confessus est: « ... in qua [fide quam exposuit]... emendari cupimus a te, qui *Petri et fidem et sedem tenes;* sin autem haec nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum vel malevolum vel etiam non catholicum, non me haereticum comprobabit ». Hahn, Symbole[3] 1897, § 209 p. 288-92.

Ob. — *Augustini* verba tantum edicunt, controversiam eatenus finem accepisse, quatenus aut *a*) constiterit de *consensu omnium episcorum* cum Pontifice, cf. v. g. Bossuet, Defensio 9, 2; aut *b*) *defensio* falsae sententiae penes Pontificem, contra exspectationem Pelagianorum *finem acceperit,* cf. v. g. Dupin, De antiqua Ecclesiae disciplina p. 370; aut *c*) ipse Augustinus *viderit,* definitionem papae *convenire cum doctri-*

na catholica, cf. v. g. Febronius, De statu Ecclesiae, 3, 8, 4. — *R.* N. *a*) Consensus ille neque expetitus neque datus erat. *b*) " ***dubitatio tota*** sublata est „ uti audivimus Augustinum loquentem. *c*) " Utrum noster (rivulus) ... ex eo, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, ***hoc a te probari*** volumus „. Aug.

S. Coelestinus et Conc. oecum. Ephesinum (444) quoad haeresim Nestorii. — *Coelestinus* legatis quos ad Concilium misit, haec iniunxit : « Auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus. Si quidem instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis ; *ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum iudiciis iudicare debeatis, non subire certamen* » ib. ep. 17 M 50, 503. Legati hoc officium habebant, ut « iis quae aguntur, intersint, *et quae a nobis ante statuta sunt* exsequentes ». Ita Coelestinus in ep. ad Patres, ep. 18 n. 5. ib 511.

Legati vero tum ipsum S. Petrum vocant « Apostolorum principem et caput, fideique columnam et Ecclesiae catholicae fundamentum », tum affirmant, « eum in successoribus suis praesidere et iudicium exercere ». « Dudum eum ... de praesenti hac causa et negotio definivisse ». Novae eius epistulae perleguntur. Hardouin I 1466.

Patres Concilii ita respondent : « Coacti per sacros canones et epistulam sancti patris nostri et comministri Caelestini romanae ecclesiae episcopi, lacrimis subinde perfusi, ad lugubrem contra eum (Nestorium) sententiam necessario venimus ». Hardouin I 1478.

Imo *ipsis haereticis* auctoritas Sedis Romanae in rebus fidei et morum tanta videbatur, ut archiepiscopi haeretici Eutherius Tyanaeus et Helladius Tarsensis cum aliis quibusdam episcopis Orientis a successore Coelestini Sixto III peterent, ut decreta Ephesina rescindens orbem ab errore liberaret. Coustant, R. P. ep. 1245 sq.

S. Leo M. et Conc. oecum. Chalced. (451) quoad haeresim Eutychis. — *S. Chrysologus* iam ante epistolam dogmaticam S. Leonis ad Flavianum Eutychi haeresiarchae haec scribit : « In omnibus autem hortamur te frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa scripta sunt (i. e. scribuntur, γραφόμενα) obedienter

attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat (δίδωσιν) quaerentibus fidei intellectum ».

Ipse *S. Leo* Patribus Concilii huius oecumenici Chalcedonensis inculcat, non licere contra ea disputare, quae ipse in epistola ad Flavianum statuerat de ea questione fidei, propter quam concilium convocatum est, scilicet de condemnatione haeresis Eutychianae : « *Reiecta penitus audacia contra fidem divinitus inspiratam* vana errantium infidelitas conquiescat, *nec liceat defendi quod non licet credi,* cum... plenissime et lucidissime *per litteras*, *quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus*, *fuerit declaratum*, quae sit de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio ». Ep. 93, 2 ; ML. 54, 937-8. — Concedit etiam Harnack, Dogmengesch. II [4] p. 379 nota 2, Leonem suam doctrinam Patris sequendam praecepisse.

Patres vero 600 in sessione quarta audita epistula dogmatica Leonis haec exclamant : « Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt ; anathema ei qui non ita credit. *Petrus per Leonem locutus est* ». Hardouin II 306. Excipiuntur soli 13 Dioscori asseclae.

S. Hormisdas (a. 517) cum de **componendo Acaciano schismate** ageretur, episcopis redeuntibus hanc formulam subscribere mandavit :

a) « Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et *quia non potest Domini nostri I. C. praetermitti sententia dicentis* : *Tu es Petrus etc. Haec, quae dicta sunt*, *rerum probantur effectibus*, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio.

b) De qua spe et fide minime separari cupientes et Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes haereses.

c) Sequentes in omnibus Apostolicam sedem, et praedicantes eius omnia constituta. Et ideo spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes Apostolica praedicat, esse merear, *in qua* est integra et *verax Christianae religionis et perfecta soliditas.*

d) Promittens in sequenti tempore *sequestratos a communione Eclesiae* idest non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria ». (D. 171-3).

Quo tempore *subscripserunt* huic formulae *synodus Epiri*, deinde Constantinopoli et alibi in Oriente *2500 episcopi.*

Sub Agapito I (585-6) **imperator Iustinianus** 586 eandem formulam porrexit pontifici, promittens se curaturum, ut omnes episcopi eam porrigant.

Ioannes Hierosolymitanus (572/3–592/7) de sucessoribus S. Petri haec abbati albanorum scripsit: ... sanctae et venerabilis Sedis eius successores sani in fide, *infallibiles* secundum dominicam vocem . Vides, ipsam *vocem* « infallibilis » adhibitam. Cf. textum integrum cum animadversionibus de genuinitate epistulae in lingua Armena nobis servatae, in Zeitsch. f. Kath. Theol. 1910 p. 219.

Abu Kurra, episcopus Charran in Mesopotamia, qui inter 740 et 820 vixit, *in scripto arabico* quod 1903 inventum est, longam demonstrationem pro infallibilitate ipsius successoris Petri, Romani Pontificis, e verbis Lc. 22, 31-2 proponit. E qua haec sola verba desumo: « Evidens ergo est, haec verba designare successores S. Petri, qui *non cessant de facto firmare fratres suos et nunquam cessabunt usque ad finem saeculorum* ». — Versio gall. v. in Bacha, Un traité des œuvres arabes de Theodore ... Rome, p. 35; vers. germ. v. in Graf, Die arabischen Schriften des Theodor ..., Paderborn 1910 p. 113, Ampliora v. in Lith. de Eccl. et Trad. p. 318-20.

S. Agatho et synodus univ. Constantinop. III in causa Monophysitismi. *S. Agatho* in ep. ad synodum, *respiciens factum celebre Honorii*, profitetur: qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos Pontifices, meae tenuitatis praecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum » Hardouin III 1079-83.

Respondent *Patres* in synodica epistula post Concilium absolutum: Itaque tibi, ut primae sedis antisti universalis Ecclesiae, quod agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes verae confessionis litteris a vestra beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a Summo Apostolorum vertice divine prescriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplices erroris haereticam sectam depulimus . Hardouin 1438.

Ad Leonem vero III *imperator* de Agathonis demortui epistula haec scribit: ... Gloria Deo, qui... fidem apud nos inte-

gram servavit. Quomodo enim id facturus non erat in ea petra, super quam ipse Ecclesiam fundavit ac praedixit, nunquam fore, ut portae inferi, hoc est haereticae insidiae, adversus eam prevalerent ? » Hardouin 1462. — Cf. p. 27-9.

Causa Iconoclastarum et Conc. oecum. Constantinop. IV. (869-70). — *Theodorus*, abbas monasterii Constantinopolitani Studion a Paschali I (817-24) his verbis contra eos haereticos auxilium petiit : « Audi ... petra fidei, super quem aedificata est catholica ecclesia ... Tibi dixit Christus Deus noster : 'Et tu conversus confirma fratres tuos '... Terreto, supplicamus, haereticas feras calamo divini verbi tui ».

In ipso Conc. oecum. contra Iconoclastas celebrato sub Hadriano II, ii soli episcopi admissi sunt qui formulae Hormisdae quam mox retulimus, subscribebant. Unde Vat. Conc. merito etiam hanc synodum inter eas celebrat, in quibus, cum Oriens et Occidens « in fidei caritatisque unionem conveniebat », Pontificis infallibilitas proclamata est (D. 1832).

In quaestione de erroribus Abaleardi saeculo 12. — *S. Bernardus* ad Innocentium II (1130-43) in ep. 190 seu rectius tractatu theologico, in praefatione, ML 182, 1053 haec scribit : « Oportet ad vestrum referri apostolatum... ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est : Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua ? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissimo, principatum... ».— In eundem sensum scripserunt *episcopi quidam Galliae,* inter ep. Bernardi 191 ib. col. 358 : « Processimus in hoc negotio quousque ausi sumus : tuum est de caetero, beatissime Pater, providere, ne in diebus tui aliqua haereticae pravitatis macula decor Ecclesiae maculetur ».

Ipse vero *Innocentius II* a. 140 ep. 147 ML 179, 517 (D. 517) episcopis respondet : « Nos itaque qui in cathedra S. Petri, cui a Domino dictum est : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni, residere conspicimur, communicato fra-

trum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius Petri dogmata, sanctorum canonum auctoritate, cum suo auctore damnavimus, eique tamquam haeretico perpetuum silentium imposuimus ». Atque omnes asseclas excommunicat.

De **Ecclesia Syro-Chaldaeorum** Ios. David, Antiqua ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri apostoli eiusque successorum, Romanorum Pontificum, divinum primatum, Romae 1870, p. 16-8 haec inter alia habet : « ... saepe videmus in monumentis Syro-chaldaecis dici veram Ecclesiae fidem seu sanam doctrinam seu denique orthodoxa dogmata Petri esse fidem, doctrinam, dogmata... In Breviario autem Chaldaeorum dicto Gaza, in officio Doctorum Graecorum dicitur : « Super fundamentum veritatis (seu firmitatis) Simon Petri aedificaverunt (Doctores) » ». Iuxta mentem igitur Ecclesiae Syrochaldaicae, Ecclesia catholica, omnes eius episcopi, praecones, doctores, orthodoxam fidem Petri docere debent et proinde illam ab eo doceri ipsos oportet. Ex quo sequentem conclusionem sine difficultate deducimus : Petrum esse universae Ecclesiae supremum atque irrefragabilem doctorem ».

Quid **Ecclesia Armena** semper de infallibilitate Pontificia docuerit, Stephan Azarian, Ecclesiae armenae traditio de Romani Pontificis primatu iurisdictionis et inerrabili magisterio, Romae 1870, p. 166-8 breviter comprehendit. Ubi inter alia haec : « Quid aliud enim significat, cum Patres Ecclesiae nostrae a vetustissimis temporibus, fidei petram in Sede Petri, et eius Successoribus agnoscerent, *Rom. Pontifices canonem fidei nuncuparent*, firmamentum et fundamentum Ecclesiae aedificii, *fontem veritatis*, solem fidei, gubernatorem Christianae professionis, arborem vitae eosdem dicerent et profiterentur ?

Unde merito Card. Hergenröther, Kath. Kirche etc. p. 498 ait : « argumentum, iam vetustis temporibus fidem in nostrum dogma, etsi modo non evoluto, exstitisse, vel multo facilius afferri potest, quam in multis aliis veritatibus dogmaticis, v. g. relate ad sacramenta ».

Ob. 1. – Ecclesia Graeca et Orientalis per mille annos doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis *ignoravit*. Ita v. g. Dollinger Erwä-

gungen, München 1869; episcopi quidam in Conc. Vat., Grand. I, 202. — *R. N. Cf. arg.*

Ob. 2. — Episcopi quidam et theologi Parisiis a. 825 congregati (non erat Concilium) putarunt, *Hadrianum* in epistula sua ad Irenem eiusque filium *iussisse imagines « supertitiose adorari »* Ergo non admittebant infallibilitatem Pontificis. — *R. a*) Uti ex actis patet, neque ab aliis erroribus sat miris liberi erant. Ergo eorum auctoritas invocari nequit. *b*) *Non habetur argumentum, eos epistulam Hadriani*, qua de Conc. Nicaeno convocando atque de cultu imaginum agitur, ***habuisse uti decisionem definitivam.*** Eugenius II ipse permiserat, ut ii theologi Parisienses locos Patrum, quibus suam falsam sententiam de illiceitate cultus imaginum fulciri putabant, colligerent collectosque sibi mitterent. Cf. Hefele § 425 tom. 4 ed. 2 p. 41-7.

De theologis ante Conc. Constantiense universim sumptis *Theophilus Raynaldus S. J.*, in re theologica eruditissimus, Op. om. t. 20, opusculum 14 Αυτος ἐφα, Punctum XI de auctoritate theologorum in hac quaestione, Cracoviae 1669 p. 389, postquam inde a p. 386 plurimos recensuit, capiti ei finem imponit his verbis: « Frustra plures Theologos conquirerem, cum possent omnes adduci, **quotquot ante Concilium Constantiense floruerunt.** Nam nonnisi a tempore Concilii Constantiensis et Basileensis, revocata est in Controversiam haec veritas apud Catholicos. Sed omnes anteriores unanimiter docuerunt definitiones Pontificias, etiam absque Generali Concilio editos, facere rem de fide, et omne iudicium de fide, finaliter pertinere ad Sedem Apostolicam ».

Imo ipse *Gerson*, De potestate Eccl., consid. 12 ed. Dupin II, 247 concedit: « Fallor, nisi ante celebrationem huius sacrosanctae Constantiensis synodi sic occupaverat mentes plurimorum litteralium, magis quam literatorum, ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus vel damnatus ».

Unde tantum adducamus duces istos summos S. Thomam et S. Bonaventuram.

S. Thomas 2, 2 qu. 1 a 10 inquirit: « Utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare? » Respondet: « Dicendum quod nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet

editio Symboli, ad *cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur:* hoc autem pertinet ad auctoritatem *Summi Pontificis*, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in decret. extra de Bapt. « Maiores ». Unde et Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud 1 Cor. 2. Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo *ad solam auctoritatem Summi Pontificis* pertinet nova editio Symboli, *sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam*, ut congregare Synodum generalem et alia huiusmodi ». — Cf. quoque c. Gentil. l. 4 c. 76. — De his aliisque locis v. Bianchi, De const. monarch. eccl. et de infallibilitate R. P. iuxta D. Th. A. eiusque scholam in ord. Praed., Romae p. 35-57.

Ob. 1. — S. Thomas tantum docet, papam eatenus posse condere symbolum, *quatenus convocat Concilium*, quod cum Pontifice condit symbolum. Ita fere Bossuet, Def. decl. l. 10 c. 16; [Card. Rauscher] Observationes quaedam de infallibilitatis Ecclesiae subiecto, Neapoli 1870, p. 73-4. — *R. N.* « Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis *nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent, ad totam* ecclesiam », uti v. g. congregare synodum. Cf. [Wilmers], Animadversiones in quatuor contra R. p. infallibilitatem editos libellos, Neapoli 1870 p. 72.

Ob. 2. — S. Thomas doctrinam de infallibilitate in scholas introduxit; ipse autem in monographia « Contra errores Graecorum » *collectione textum spuriorum* e Patribus Graecis deceptus est. — *R.* N. *a*) Existebat sane haec doctrina antea; *b*) S. Thomas in Summa ad textus istius monographiae non recurrit; monographiam ipse non composuit sed tantum correxit. Caeterum ea de infallibilitate continet tantum textum S. Maximi et Cyrilli. Iamvero prior simpliciter genuinus est, alter quoad ipsam doctrinam e Cyrillo erui potest. Cf. Leitner, D. hl. Th. v. A. über d. unfehlbare Lehramt des Papstes, Freiburg 1872 p. 147.

S. Bonaventura, Opusculum 11 Apologia pauperum n. 16 ed. Ad Claras Aquas t. 8, p. 315 horret vel cogitare, Romanam Ecclesiam in approbatione regulae alicuius ordinis errare posse: « Si professione huiusmodi sanctae error impingitur, tu quae illam sanxisti, errasse assereris, et quae magistra veritatis hactenus extitisti, nunc de approbatione erroris argueris et a quibusdam modernis praesumptoribus velut iuris divini et humani nescia derideris ». Ampliora v. Thomas a Villanova O. M. C., S. Bonaventura und das Papsttum, Bregenz 1902 p. 90-105; Lud. a Castroplanio, Seraph. Doct. Bonav. in oecum. cath. eccl. conciliis cum Patribus definiens, c. 4 § 3, Romae 1874 p. 301-8.

Formula fidei quam imperator Michael Palaeologus obtulit **Concilio oecum. Lugdunensi II** (1274), quaeque ab eo acceptata est, de ecclesia Romana haec inter alia continet: « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri » D. 466.

Adhuc c. a. 1388 **Academia Parisiensis** Clementi VII antipapae obtulit tractatum theologicum, in quo haec leguntur: « Prima conclusio est, quod ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali suprema circa ea quae sunt fidei iudicialiter definire. Et haec probatur, quia ad illius tamquam supremi iudicis auctoritatem pertinet in fide iudicialiter definire, cuius fides nunquam deficit: Sed sanctae Sedis Apostolicae fides nunquam deficit: Igitur etc. Maior est nota; sed minor patet, quia de hac sancta sede, in persona Petri in ea praesidentis, dictum est, Petre rogavi pro te ut non deficiat fides tua ». D'Argentré, Col. iud. t. 1 pars 2 p. 76, Parisiis 1724.

Ob. — Auctores scholastici huius et sequentium aetatum textus *spurios* adhibere solent, ut Traditionem pro infallibilitate probent. — *R.* Quosdam praecipue e Pseudoisidorianis, c. *praecipue* tales, *n.*

B. — Inde ab initiis negationis infallibilitatis Pontificiae usque ad Conc. Vat.

Quae usque nunc de fide Ecclesiae e saeculis ecclesiae usque ad 14ᵐ attulimus, abunde ad thesim stabiliendam sufficiunt. Nihilominus *quaedam testimonia afferemus eius avitae fidei, in qua* sive ante sive post declarationem cleri Galliae 1682, *Ecclesiae universalis partes longe maximae firmiter persistebant*, etsi saeculo 15, quia multorum mentes doctrina de superioritate Concilii super papam occupaverat, negatio infallibilitatis Pontificis etiam extra Galliam inveniebatur. Ita in Italia penes *Nicolaum* Tudeschi seu *Panormitanum* († 1445) et *Angelum Carleti de Clavasio* († 1493), in Hollandia penes tantae sanctitatis et doctrinae scholasticae virum, qualis erat *Dionysius Carthusianus* seu de Ryckel (+ 1471).

Sancta Sedes utique nonnisi post fere quatuor saecula et dimidium doctrinam de infallibilitate R. P. uti divinitus revelatam solemniter definivit.

At iam 1439 *Conc. Florentinum* in Decreto pro Graecis (D. 694), iudicantibus simul Patribus Latinis et Graecis, definivit « Romanum Pontificem verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem exsistere et ipsi in beato Petro pascendi... universalem Ecclesiam... plenam potestatem traditam esse ».

Sixtus IV, 1479 damnavit sententiam Petri de Osma « Ecclesia urbis Romae errare potest ». *Alexander VIII* vero 1690 Constitutione « Inter multiplices » declaravit, neminem ad observantiam articulorum declarationis 1682 teneri, eos nnllos esse et irritos. *Pius VI* in Bulla « Auctorem fidei » 1794 (D. 1599), cum synodus dioecesana Pistoriensis eos articulos ornasset laudibus, eos in decreto *de fide* insidiose inclusisset etc, solemniter edixit : «... exigit a nobis pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam ac praesertim post edita praedecessorum Nostrorum decreta huic Apostolicae sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare... ».

Plurima testimonia de persuasione totius fere orbis saeculo 17 ante declarationem 1862, *historice comprehendit* archiep. Paris. *Petrus de Marca* (+ 1662). Qui, quamvis Gallicano spiritu imbutus esset, in Memoriali gallice conscripto, quod regi destinatum erat, haec inter alia habet : « Doctrina de infallibilitate papali *unica* est, quae in *Italia*, *Hispania, in caeteris provinciis Christianitatis* docetur et admittitur ».

« Omnes Universitates, excepta antiqua Sorbona » ita docere. Eam doctrinam esse communem, Gallicanam paucorum. In Gallia ipsa adhuc esse, qui communem defendant, idque in ipsa Sorbona.

Quae theologorum communis doctrina ex parte elucet ex elencho auctorum quem p. 457-8 tradidimus. Pauca quaedam, quippe cum de re patenti agatur, de *singulis quibusdam terris* addemus ; neque Galliam omittimus, ne immerito putetur, ex illa terra testimonia pro infallibilitate deesse.

In **Hispania** cum Petrus de Osma inerrantiam Ecclesia Urbis Romae negaret, antequam Sixtus V eam damnavit, iam « ab *archiepiscopo Toletano, magistris Salmanticensibus et Compluti* » (1478) improbata erat (d'Argentré, Col. Iud. I pars 2 p. 288-300).

Card. Torquemada (+ 1468), Summa de Ecclesia l. 2, c. 109-12 ed. Salmanticensis 1560 p. 379-95, capiti 9 hunc imponit titulum : « Quod Sedis Apostolicae iudicium in his, quae fidei sunt, et ad humanam salutem necessaria, errare non possit ». Arguit ex Luc. 22. Affirmat : « quam Christi promissionem de firmitate fidei apostolicae sedis, sancti Doctores in religione et sapientia clarissimi contestantur ».

Exorto Protestantismo *Suarez* (+ 1617) de fide disp. 5 sect. 8, n. 4 : « Veritas catholica est, Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quae errare non potest, quando aliquid authentice proponit universae Ecclesiae, tanquam de fide divina credendum. Ita docent hoc tempore omnes doctores ; et censeo esse rem de fide certam ».

Vix edita declaratione 1682, *Card. de Aguirre O. S. B.* Salmanticae 1683 edidit integrum opus : Defensio Cathedrae S. Petri adversus declarationem cleri gallicani...

Atque in genere articuli declarationis a. 1682 statum rerum in illa terra atque America latina non mutaverunt.

Ex **Anglis** post Concilium Constantiense *Thomas Netter* seu *Waldensis* O. Carm. († 1430), praestantissimus theologus, in : Doctrinale antiquitatum fidei, quod adversus Wicleffitas et Hussitas conscripsit in t. 1 l. 2 a. 3 c. 47-8 ed. Blanciotti, Venetiis 1757, p. 487-97 infallibilitatem papae data opera ostendit.

B. Martyr John Fisher, Assertionis luteranae confutatio, Parisiis 1545 p. 10 : « ad Petri Cathedram pro dirimendis controversiis [agitur in contextu de rebus fidei] confugiendum est ».

Stapleton, Opera omnia, Parisiis 1620 t. 1 pars 2 Relectio, contr. 3, qu. 4, p. 706 : R. P. « ut publica persona est, i. e. quando de fide consultus ex officio respondet et decernit, haereticum dogma nec unquam hactenus tradidisse, nec tradere posse ».

In Italia *S. Ioannes a Capistrano* († 1456), contempta nova doctrina Conc. (Const. et) Basil., data opera infallibilitatem Pontificis defendit in opere « De papae et concilii auctoritate » in collectione : Tract. iur. univ. ed. Venet. 1584, tom. 13 f. 32 sqq.

S. Antoninus († 1459), Summa Sacrae Theol. pars 3, tit. 22, c. 3, haec habet : « Oportet enim in Ecclesia ponere unnm caput, ad quod pertineat declarare illa, quae sunt dubia circa quaecumque ad fidem pertinentia sive sint speculativa, sive agibilia. Cuius ratio est, quia oportet ponere Ecclesiam sic dispositam, quod tota communitas universalis maneat in unitate fidei et una sententia de fide. Sed hoc non posset esse, nisi tota communitas haberet recursum ad unum caput, scilicet praesidentem, apud quem esset auctoritas declarandi dubia. Constat autem, quod in Ecclesia non posset esse tale aliquod caput, nisi solus papa ; ergo ad ipsum pertinet declarare huiusmodi dubia. Et si obiicitur contra hoc, quod quum papa sit singularis persona, potens peccare et errare... Respondendum quod licet papa ut singularis persona et proprio motu agens possit errare... tamen papa utens concilio (alii : consilio) et requirens adiutorium universalis Ecclesiae, Deo ordinante, qui dicit Petro : Pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, non potest errare. Nec potest esse, quod universalis Ecclesia tamquam verum accipiat aliquid erroneum ».

In parte 4, tit. 8, c. 3, haec tradit: «... Et licet Papa in particulari errare possit, ut in iudicialibus, in quibus proceditur per informationem; alias in his, quae pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa, in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona possit. Unde magis standum est sententiae Papae de pertinentibus ad fidem, quam in iudicio proferret, quam opinioni quorumcumque sapientum, quum et Caiphas, licet malus, prophetavit nescius».

Ob. — *S. Antoninus* docet tantum, papam errare non posse, in quantum " utatur *concilio* (*consilio*) ", i. e. papam cum Concilio errare non posse. Haec erat explicatio haud paucorum episcoporum in Conc. Vat., v. g. Greith; (Rauscher) Observationes p. 75. - *R*. Sanctus ponit *signum* aliquod haud infrequens pro usu supremae potestatis. Vidimus textum alterum, in quo clarius opponit rem particularem, in qua papa errare possit, rei fidei, in qua papa iam solus errare non possit. Cf. Wilmers, Animadversiones p. 78-81.

B. Bellarmino († 1621) cuius doctrina de Romano Pontifice cum plausu maximo fere totius orbis excepta est, locum, de Rom. Pont. l. 4, c. 2, in quo eius infallibilitatem docet, postea in Recognitio ll. omnium, [Romae 1607 ed. Venet. Op. t. 5 1721 p. 4, etiam magis declaravit: « Ubi dicimus: sententia illorum qui docent infallibilitatem iudicii non esse penes Papam, sed penes concilium generale, non esse plane haereticam sed erroneam et haeresi proximam: Rectius dicimus: nos non audere eam sententiam plane haereticam iudicare: quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab ecclesia ipsa damnati, neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt; videri tamen nobis ita manifeste erroneam, ut merito possit Ecclesiae iudicio haeretica declarari ».

Synodus mere dioecesana Pistoriensis saeculi 18 ad finem vergentis securitatem non serio turbavit.

In Germania *Gabriel Biel* († 1495), Professor in Univ. Tubingensi, etsi in multis a Thomistis vel Scotistis discrepans, uti synonyma adhibet « determinatio Ecclesiae aut summi Pontificis declarat et definit », in 4 sent. l. 4, d. 13, qu. 2. art. 1, nota 2, Replica ed. Lugd. 1514 (sine pag.). In opere: Sacri canonis missae lucidissima expositio l. 23 tradit, successorem Petri debere confirmare fratres per praedicationem verae fidei.

B. Canisius, alter Germaniae apostolus dictus, in « Summa doctrinae christianae », quae in docendis catholicis et cultis et incultis maximam auctoritatem obtinuit, c. 3 q. 11, provocando ad testimonia nota Patrum « defendit sacras summorum Pontificum sanctiones, penes quos de sacris definiendi suprema potestas est ». Eas ibi a conciliorum generalium constitutionibus distinguit.

Hungariae episcopatus universus articulos conventus Cleri Galliae ipso anno 1682 damnavit.

In *Germania et Austria* Universitas Coloniensis, Ingolstadiensis, Wirceburgensis, Pragensis, caeterae infallibilitatem docebant. Item eam docebant celeberrimi canonistae Schmalzgrueber S. J., Reiffenstuel O. M., F. Schmier O. S. B.

Motus animorum, quem paullo ante Concilium Vatican. Döllinger atque alii quidam professores contra infallibilitatem produxerunt, profundas radices non egit. « Veteres Catholici » 1890 in Germania ad 30.000 redacti erant, quorum numerus in dies decrescere dicitur.

In Gallia cum saeculo 16 errores Protestantismi etiam huic terrae gravia damna inferrent, ideae antiinfallibilisticae ita decreverunt, ut eae circa a. 1600 in Universitate Parisiensi vix defenderentur. Cum vero initio 17 liber Richer, de quo egimus p. 464-5, editus esset, eae novam vitam acceperunt, Universitas in duas partes dividi coepit atque clerus Galliae lente ad ea praeparabatur, quae 1682 et postea completa videmus. Ludovicus XIV vero iussit omnes professores 4 articulos ab conventu cleri 1682 propositos docere, vetuit suos subditos contra eos articulos docere vel scribere, etc. Quod decretum, quamvis idem rex 1693 revocaverit, parlamentum, gallicano atque iansenistico spiritu plane imbutuum, 1730 iterum imposuit atque 1752 et 1753 quam maxime inculcavit. Quo tempore bellum antiinfallibilisticum, a parlamento vehementer promotum, mediante Febronio (i. e. Nicolao Hontheim † 1790), episcopo auxiliari Trevirensi, qui iuvenis doctrinam suam Lovanii a professore Collegii Adriani VI van Espen († 1728), Gallicano, imbiberat, etiam in Germania atque Austria funestum influxum exercere incepit. V. g. Universitas Viennensis omnibus, qui doctores in theologia fieri vellent, 4 articulos Gallicanos imposuit. Tandem

Napoleon I in 24 articulo e 77 « organicis » eandem doctrinam professoribus Seminariorum iterum docendam praescripsit. Idem fecit gubernium sub Ludovico 18, cui maior pars episcoporum cessit.

Nihilominus ea negatio neque continua neque universalis erat.

Nic. Coeffetau († 1623), Pro sacra monarchia Ecclesiae catholicae discussio 9 : « Specialius pro Petro rogavit (Christus) ut eius non deficeret fides, quod ei tanquam Capiti, a quo auctoritas regiminis in successores esset derivanda, cura incumberet omnes per orbem pastores confirmandi ». « Dico igitur non esse par lumen in reliquis cum Summo Pontifice ; namque uni ei in persona Petri dictum est : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quare ea luce collustratus, plus eius oculus cernit, quam multorum oculi ».

S. Franciscus Salesius († 1642), ... « l'église a toujours besoin d'un confirmateur infallible auquel on puysse s'addresser, d'un fondement que les portes d'enfer, et principalement l'erreur, ne puysse renverser, et que son pasteur ne puysse conduire a l'erreur ses enfants : les successeurs donques de saint Pierre ont tous ces mesmes privileges, qui ne suivent pas la personne, mays la dignité et le charge publique ». Oeuvres I, 1902, Les Controverses, partie 2, ch. 6, art. 14, p. 305. Cf. hunc totum art. p. 305-11.

In epistula 85 episcoporum Galliae 1671 ad Innocentium X missa, ut condemnationem propositionum quarundam Jansenii obtinerent, ad Petri fidem « nunquam deficientem » provocatur. (Cf. Harent l. c. p. 1454).

Item *Abelly*, Medulla theologica, pars I, tr. 1, c. 4 s. 1 § 4 ; *Bail*, Summa concilii theologorum, Parisiis 1672 t. I p. 84. Atque Gallicanus *Honorat. Tournely*, cuius « praelectiones theologicae » 1725-30 sive in forma ampliore sive in compendium ab aliis redactae maximum in Galliae scholas influxum exercuerunt, thesim Gallicanam utique professus est ; nihilominus candide fatetur De Rom. Pont. q. 5 a. 3 versus finem : « Non dissimulandum, difficile esse, in tanta testimoniorum mole... non recognoscere apostolicae sedis seu romanae ecclesiae infallibilem auctoritatem ; at longe difficilius est ea conciliare cum declara-

tione cleri gallicani, a qua recedere nobis non permittitur : licet enim illa de Romano dumtaxat Pontifice loquatur, revera tamen ipsam etiam Romanam Sedem comprehendit, a qua Pontifex cum ex Cathedra, ut dicimus, pronuntiat, seiungi ac separari non potest ».

Etiam post declarationem 1682 semper pars quaedam cleri a quatuor articulis dissentiebat. Facultas vero theologica Universitatis Parisiensis nonnisi mediis violentis adducta est, ut doctrinam Gallicanam proponeret.

Saeculo demum 19 iam ante Concil. Vat. multi episcopi, plurimi sacerdotes et magna pars populi infallibilitati Pontificis adhaesit. Cf. Grand. II p. 257-9.

Postquam haec de diversis terris etsi brevissime diximus, non mirum videbitur, inde a medio fere saeculo 19 tot **Concilia in toto orbe** eam doctrinam fideles suos docuisse : v. v. g. plenarium Irlandiae (1850), Concilia provincialia Westministeriense (1852), Remense (1853), Ravennae (1855), in Halifax (1857), Strigoniense (1858), Coloniense (1860), Pragense (1860), in Kolocza (1863), Ultrajectense (1865), diversa in Statibus unitis Americae septentrionalis, Concilium in Quito quod 1869 definitionem infallibilitatis Pontificiae petiit.

Secuta est d. 18 Iulii 1870 solemnis definitio Concilii Vaticani, de qua egimus Rep. p. 459-64.

Ob. 1. — In Conc. Vat. episcopi a) *non unanimi sententia*, b) *non libere* decreverunt. Talia multi acatholici post Conc. opponebant, imo etiam quidam catholici, uti aliquando ep. Hefele ; cf. Grand. III p. 560. — *R. a)* Primum necessarium non est, ut vidimus agentes de Conciliis oecum. ass. 11 Rep. p. 352. In solemni definitione Vat. 533 episcopi affirmativum votum dederunt, soli 2 negativum. Quae unanimitas moralis neque destructa fuisset, si episcopi " minoritatis „ 55, qui ante solemnem sessionem, licentia accepta, Romam reliquerant, se illis 2 adiunxissent. V. facta Grand. p. 490-519. Secundum falso dici probant tum sermones episcoporum minoritatis in Concilio habiti tum testimonia eorum Concilio finito. Cf. Grand. p. 549 testimonium collectivum episcoporum Germaniae, e quibus plures e partibus minoritatis steterant, p. 715 episcopi Irlandi Mac. Hale. Caeterum haud pauci ex episcopis minoritatis non ipsi doctrinae sed opportunitati eius definitionis adversabantur. V. g. ib. p. 5-6, 598. — Tr. ampl. p. 44-5.

Ob. 2. — In Conc. Vat. *Pius IX* " sacro approbante Concilio „ *suam infallibilitatem definivit.* D. 1825. Ergo, rem ipsam si spectas, Pontifex solus suam infallibilitatem definivit, episcopi tantum rei a solo papa definitae consenserunt. Iamvero pàpa solus non poterat definire suam infallibilitatem, nisi supponitur, eam iam antea fuisse agnitam. Ergo in definitione Vaticana habetur *circulus vitiosus.* — *R. a*) N. consequentem e prima antecedente deductam. " Approbatio „ episcoporum non intelligitur mere consentiens cum actu iudicativo a papa solo posito, sed *iudicativa, qua ex actu papae et Patrum unus moraliter fit actus totius Concilii.* Ita formulam intellectam fuisse v. etiam e verbis episcopi Calvensis in Congr. Gen. 86 Concilii Vat., C. L. 7, 462: " in primo schemate in exordio iam disputatum fuit de formula adoptanda, et statutum fuit a Congregatione generali, quod in prooemio generali diceretur: *sedentibus et iudicantibus Nobiscum Episcopis*, deinde in ceteris adhibeatur formula, quae adhibita fuit constanter in Concilio Lugdunensi II et Lateranensi V, scilicet sacro approbante Concilio „. Formulas adhibitas in Conciliis, quibus Summi Pontifices personaliter praefuerunt, vide: Iacobatius, De Conciliis l. 5 art. 14 in Roccaberti, Bibl. Max. Pontif. tom. 9 p. 612 sq. Cf. approbationem, prout eam in sessione 3 et 4 publica Constitutionibus " Dei Filius „ et " Pastor aeternus „ dedit Pius IX, C. L. 7, 257 *b* et 487-8, in qua et dicitur: « Nosque sacro approbante Concilio... definimus » et additur " et Apostolica auctoritate confirmamus „ decreta et canones Patrum.

b) Quidam, uti Billot[4] th. 32 p. 677-81 addunt aliud responsum: *ipsis quoque adversariis infallibilitatis magis notam* in ordine logico fuisse *obligationem credendi ea, quae Romanus Pontifex sub conditione negatae suae communionis credenda imposuerit*, quam ipsam eius infallibilitatem, quamvis utique in ordine ontologico illa ex hac sequatur. Ergo etiam ab adversariis ob definitionem papae vel solius, eius infallibilitatem credi potuisse.

Obiectiones contra ipsam thesim.

Tr. ampl. p. 45-81, alia citanda.

Obiectiones e notione ipsa infallibilitatis Pontificiae.

Tr. ampl. p. 45-7.

Ob. 1. — Infallibilitas soli Deo convenit. Ergo catholici papam deificant. V. v. g. Hase, Handbuch der protestantischen Polemik 1900 p. 195; Harnack, Dogmeng.[4] III p. 731. — *R.* D. ma: naturalis eaque in

omnibus rebus, c.; orta *ex auxiliis Dei* efficacibus eaque versans tantum circa quasdem res, n.

Ob. 2. — Munus efficere nequit cognitionem veri. — *R.:* eam efficere nequit physice, c.; non potest esse *titulus*, ob quem Deus eam concedat, n.

Ob. 3. — Veritas non pendet a numero audientium. Ergo papa nequit esse fallibilis si uni, infallibilis si omnibus fidelibus loquitur. Cf. v. g. Tschackert, Evangelische Polemik[2] 1888. — *R.* D. ma.: veritas non dependet a numero eorum, qui actu audiunt, quae R. P. definit, c.; non a numero eorum, qui obligati sunt ut credant, quae R. P. tenenda imponit, sd.: eo sensu ac si quidquam ab eo dependeret, num plures vel pauciores ad id obligati sint, n.: eo sensu, ut ob unitatem fidei in Ecclesia necessariam, aut nemo catholicus aut omnes obligati sint ut credant quae R. P. tenenda imponit, sd.: quod cum R. P. facit, Deus sibi ipsi omnino debet, ut eum auxiliis specialibus infallibilem reddat praecise ob id quia ii, qui ab ipso Deo obligantur ut credant quae R. P. credenda imponit, sunt multi, n.; *praecise ob id, quod ullis hominibus, sive unus ille sit sive multi, haec obligatio ad assensum irrevocabilem inappellabiliter imponitur*, c. — Obligatio a Deo imposita ad credendum falsum repugnat tum pro uno tum pro mille, quippe quae oriatur ex impossibilitate ut Deus iubeat adhaesionem ad falsum.

Ob. 4. — Qui habet ius explicationis, *absurdissima imponere potest.* Harnack, Dogmengeschichte,[4] III p. 760-1. — *R.* Qui ab hominibus hoc ius accipit, tr.; *qui a Deo ius accipit, ut inappellabiliter exigat assensum absolute certum* in suam explicationem, *n.* Nempe ex eo ipso *sequitur, Deum eum in ea explicatione infallibilem reddere debere.*

Ob. 5. — Deus *societati civili* infallibilitatem in veritatibus religiosis naturalibus conservandis et explicandis *non concessit.* A pari neque Ecclesiae. — *R.* N. paritatem. Primo, probavimus paritatem de facto non obtinere. Secundo, ratio est in diversitate utriusque societatis. Sola ecclesia habet pro fine *conservationem et explicationem plurimarum veritatum religiosarum revelatarum, e quibus multae intellectum superant.*

Obiectiones e rationibus theologicis praecipue talibus, quae intimiorem doctrinam de Ecclesia spectant.

E munere traditionis in Ecclesia.

Ob. — Ecclesia debet sequi traditionem, ergo non papam. Cf. v. g. Harnack, Dogmengesch.[4] III p. 731-4. — *R.* Omnino vi infallibilitatis est, quod inter haec duo non potest esse oppositio, sed *papa in veritatibus revelatis definiendis semper traditionem sequitur.*

Ex immutabilitate dogmatis.

Ob. — Immutabilitati Ecclesiae repugnat habere dogma novum. Atqui infallibilitas papae est dogma novum. Ita cum plurimis v. g. Lord Gladstone, Contemporary Review, October 1874 p. 674. — *R.* D. ma.: Habere post aevum apostolicum revelationem veritatis novae vel revelationem iteratam veritatis iam revelatae, c.; *definitionem veritatis iam antea revelatae*, n. — Infallibilitas Pontificis erat in se semper revelata, accessit tantum definitio. Id quod etiam in multis aliis veritatibus accidit.

Ob. 2. — " Curandum est, ut *id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est enim vere proprieque catholicum „. (Vinc. Lirin.) Atque sane infallibilitas Romani Pontificis in se ipsa non ubique, non semper, non ab omnibus credita est, ut dissensus Gallicanorum monstrat. Ergo non est veritas catholica. — *R.* Duplex habetur responsum secundum duplicem modum quo haec regula Vincentii explicatur, qui duplex modus caeterum nonnisi in se vera proponit. *Explicatio prior*: Id solum erat semper veritas *revelata et ab Ecclesia ut talis proposita, seu dogma fide divina catholica àb omnibus explicite credendum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus explicite creditum est, c.; tantum id est veritas in se revelata*, quod semper et ubique et ab omnibus explicite creditum est, *n. ma.*

Explicatio alia: Id solum unquam credendum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus *saltem implicite creditum est*, c., quod semper explicite creditum est. n. ma. Contrad. mi.

Ob. 3. — Principalis obiectio Bossuet, ad quam continuo remittebat, haec erat: *Infallibilitas Pontificia e quatuor fere saeculis est dubia. Atqui hoc est signum eam non esse revelatam.*

Probat Bossuet minorem ita: Infallibilitas, si esset revelata, sane ad eum finem *revelata esset, ut esset utilis* Ecclesiae. Atqui infallibilitas *dubia non est utilis*. Ergo.

R. — *a*) *Ad hominem*: Bossuet admisit *Immaculatam Conceptionem B. M. V.* a saeculis esse dubiam, cum a non paucis iisque doctis et piis hominibus negaretur; nihilominus etiam admisit, eam esse revelatam. Num forte Deus eius revelatione nullam utilitatem pro Ecclesia intenderat ?

b) *D. ma.:* Infallibilitas pontificia post quietam possessionem per 13 saecula facta erat dubia toti Ecclesiae, n.; alicui parti, imo inde a saeculo 16 uni soli terrae, neque ibi omnibus aut continuo, c. — *N. min.* Ad probationem additam: C. ma. D. mi.: infallibilitas, dubia toti Ecclesiae, fuisset inutilis, tr.; dubia parti Ecclesiae neque ei ita magnae, n.

Expl. — Cum tota Ecclesia reliqua — post plurium dubitationem saeculo 15 et initio saeculi 16 — infallibilitatem Pontificiam uti certissimam, imo multi uti de fide tenerent, certo certius *ea veritas pro Ecclesia fere universa totam eam utilitatem retinebat quam antea habuerat.* Nam ob eam firmam persuasionem Ecclesia et eas definitiones Pontificum tenebat, quae ante initia eius dubii emanatae erant, et eas quae postea, v. g. contra Baium, Jansenium proclamabantur. — In Gallia vero omnes illi utilitatem totam retinebat, qui Gallicani non erant. Gallicani vero *a*) tenebant, saltem silentium reverentia plenum circa definitionem Pontificis esse servandum. In quo saltem aliquod minus malum habebatur et quaedam directio. *b*) Imo Gallicanus Claudius Regnier, De Ecclesia Christi, Parisiis 1789 pars 2 s. 1 Migne Curs. Theol. t. 4 p. 1612 asserit " externum internumque „ etsi non absolute certum obsequium illis deberi. *c*) Cum de facto maxima pars Ecclesiae infallibilitatem Pontificis teneret, de facto tum ante dubia exorta tum post ea, Ecclesiae totius — Gallicanis exceptis — consensus definitionem Pontificis semper secutus est. Iamvero ex ipsa doctrina Gallicanorum infallibiliter pro vero tenendum erat, quod Pontifex et Ecclesia docuerit. Imo secundum multos maior pars episcoporum R° P[i] consentiens iam sufficiebat ; cf. D. d'Ap. t. 6 art. 1489. Ergo utilitas omnium definitionum S. Sedis saltem *indirecte et post aliquod tempus, scilicet mediante Ecclesia universali, decisionibus Pontificiis **adhaerente**, etiam ad Gallicanos perveniebat.*

Ob. 4. — Si haec veritas tanti momenti revelata esset, providentia divina permittere non poterat, ut ea per 19 saecula tantum implicite teneretur. Iamvero hoc factum est.

R.[m] — Tr. ma.: N. mi. Billot, De Eccl.[4] th. 32 p. 680 " Omnino negandum est, infallibilitatem Pontificiam non fuisse in se explicite agnitam ab omnibus saeculis christianis, uti abunde constat ex argumentis traditionis superius expositis „. Addit de San p. 123, ob Scripturam, Traditionem, consensum unanimem Ecclesiae, definitiones praecedentium Conciliorum, uti v. g. Florentini, assertionem infallibilitati Pontificiae oppositam " iam dudum ante tempora concilii vaticani „ fuisse " saltem erroneam in fide „. Quantum ad ipsos Gallicanos asserit v. g. Scheeben I n. 494 : " Suppositio infallibilitatis iudiciorum Pontificis ... evidenter in eo inclusa [ergo etiam implicite credita] erat, quod omnes Catholici, non excepta ea parte Gallicanorum, qui magis cum Ecclesia sentiebant, ob formulam Hormisdae formaliter infallibilitatem Sedis Apostolicae, accuratius iudiciorum S. Sedis, agnoscebant, haec autem rationabiliter nonnisi ut iudicia eius intelligi possunt, qui in sede sedet sedisque auctoritate utitur „.

Ex immutabilitate relationis inter ecclesiam et statum.

Ob. — Per definitionem infallibilitatis Pontificiae *relatio subditorum catholicorum ad gubernia respectiva politica,* porro *ipsorum guberniorum ad ecclesiam essentialiter mutata est.* V. g. princeps Hohenlohe 9 April. 1869 in instructione ad legatos Bavariae asserebat, definitionem infallibilitatis extendere potestatem papae ad res temporales omnium principum et populorum christianorum; cf. Grand. I p. 357. Gladstone, The Vatican Decrees., London 1874, affirmat, per definitionem illam Pontifici ius competere, ut limites suae potestatis etiam in rebus politicis pro lubitu extendat; ib. III 657. Imo v. Schulte, Die Macht der röm. Päpste... Pragae 1871 docet: quaecunque papae unquam sive elocuti fuerint sive fecerint, sive ut personae privatae sive ut principes temporales in suo territorio, sive ut domini feudorum, sive ut arbitri inter principes, haec omnia post decreta Vaticana iamiam dicenda esse definitiones ex cathedra, quae pro omni tempore immutabiles sint.

R. — *a*) *Quoad doctrinam theticam de hac relatione.:* mutata est ea ipsa, n.; cognitio de ea, sd.: *facilior facta est infallibiliter vera cognitio de hac relatione, prouti a Deo statuta est,* c., id quod sane nonnisi veram utilitatem statibus afferre potest; aliter mutata est ea cognitio, n. — *b*) *Quoad praxim.* Cf. v. g. C. I. C. c. 3, quo statuitur, canones codicis " *cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant* aut iis aliquid derogant „. Quae ex parte iam ante a. 1870 factae sunt. — *c*) *Rationes* ab adversariis *allatae,* uti legenti facile patet, *ignorationem essentiae locutionis e cathedra* supponunt.

Ex eo quod papa se ipsum obligaret.

Ob. Nemo se ipse obligare potest. Atqui si papa leges fidei daret, *se ipse obligaret ad credendum.* — *R.* C. ma.; n. mi. Definitio Pontificis e natura rei rationem legis habet pro solis subditis; pro ipso Pontifice habet tantum *rationem conditionis,* qua posita ipse quoque sane obligatur ad credendum quae definivit. At *obligatur vi legis divinae,* quae unitatem fidei pro universa Ecclesia voluit, non autem Pontificiae.

Ex eo quod alia subiecta adsint, quibus infallibilitas inhaereat.

Ob. 1. — Infallibilitas data est *corpori episcoporum.* — *R.* Et iam soli Romano Pontifici et ei simul cum corpore episcoporum, c.

Ob. 2. — *Sufficit* ad finem infallibilitatis, *ut papa simul cum corpore episcoporum infallibilis sit.* — *R.* Quaeritur, quem ordinem Deus de facto instituerit. Certe per infallibilitatem pontificiam finis facilius obtinetur, quippe cum ad Pontificem facilius recurri possit, quam ad Concilia universalia, quae tantum raro convocari possunt.

Ob. 3. — Est *distinctio inter sedem et sedentem.* Ergo fallibilis potest dici unusquisque sedens, infallibilis est tantum sedes, i. e. series sedentium, ita ut, si quis Pontifex falsa docuit, ipse vel aliquis e successoribus errorem correcturus sit. Cf. Bossuet, Defensio Declarationis Cleri Gallicani l. 9 c. 32, Op. omn. ed. Versailles t. 33 p. 100-1; l. 10 c. 5 p. 158-61; c. 8 p. 173. — *R.* D. antec.: est distinctio ea ut *quicunque sedet non habeat omnia iura et officia et privilegia divina sedis, n.*; in aliis multis, c. Cf. Rep. 313-4. Pariter d. cons.

Ob. 4. — Si papa iam per se solus infallibilis est, *nulla est necessitas vel utilitas Conciliorum universalium.* — *R. a*) Simpliciter necessaria non sunt. *b*) Utilitas eorum est ex maiore numero decidentium, ampliore inquisitione, similibus, quae diximus ass. 20 et 21 de Conc., Rep. p. 360-2. Quae utilitas tota remanet.

Ob. 5. — Iam ipse *consensus fidelium cum infallibilitate coniunctus* est. — *R.* Is est effectus doctrinae sive Ecclesiae docentis universae sive Romani Pontificis.

E difficultate vel impossibilitate cognitionis certae decretorum infallibilium.

Ob. 1. — *Difficile* est, cognoscere a) *num papa sit legitimus,* b) *num conditiones omnes pro locutione e cathedra in* ipso papa legitimo *sint verificatae.* — R. 1) Quoad *a*) Certe *facilius* cognoscitur legitimitas solius papae, *quam praeterea* huius vel illius *Concilii* legitima convocatio, celebratio, approbatio per legitimum Pontificem, quae omnia ad Concilium universale requiruntur. Iamvero approbationem papae legitimi etiam ii necessariam habebant, qui solum Concilium universale infallibile habebant. Caeterum generatim nequaquam esse difficile legitimitatem Pontificis cognoscere. v. Rep. p. 448-50. — Quoad *b*) Etiam in Conciliis universalibus definitiones fidei ab aliis legibus, ab obiter dictis etc. distinguenda sunt. Adsunt media, quibus dubium solvatur, ultimatim novum decretum Pontificis. 2) Non *singuli fideles* (v. g. rudes) in haec *per se ipsos inquirere tenentur,* imo hoc generatim ne possunt quidem, sed per episcopos et theologos.

Ob. 2. — Non possumus certo scire, num Pontifex *debitam inquisitionem* praemiserat. — *R.* Papa peccat, si eam omittit, c., imo est conditio obiectiva sine qua non pro locutione ex cathedra, c. vel tr.; est simul *signum* necessarium pro ea dignoscenda, n. Certe providentia divina curabit, ut non definiat nisi quod verum est. Cf. ass. 12 Rep. p. 446-8.

Ob. 3. — Ne de hac quidem re vere certi esse possumus, num unusquisque Pontifex, in ferenda unaquaque lege fidei quae unquam per decursum saeculorum lata est, *vere sui compos, vere liber fuerit.*

Iamvero antequam veritati definitae ob definitionem assentiri possumus, certo sciri debet, etiam has duas conditiones esse verificatas. Alias enim sic dicta lex fidei non esset vera lex. — R. 1) Haec difficultas *eodem modo* valet *pro confirmatione Concilii universalis* per Pontificem facta. Etenim ea quoque profecta sit necesse est a legislatore sui compote atque libero. 2) Pontificem omnes conditiones pro validitate legis obiective necessarias implessive, ob specialem *providentiam circa ea, quae in Ecclesia necessaria sunt*, eo ipso scitur, quod *non habetur dubium fundatum* de contrario.

Obiectiones e modo procedendi Conciliorum.

Ob. 1. — Si S. Petrus se infallibilem habuisset, in Concilio apostolico Act. 15, 5-31 solus decretum tulisset. Atqui quae tandem a Concilio universo responsa sunt, a Iacobo v. 19-21 proposita sunt decernenda; porro " placuit Apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros... scribentes per manus eorum ... „ — R. N. ma 1) Uti ex eo quod Romanus Pontifex *potest* iam solus decidere, non sequitur, eum non simul cum episcopis decidere posse; ita ex eo quod Petrus ut caput Ecclesiae iam solus decidere poterat, non sequitur, eum non potuisse simul cum Apostolis decidere. 2) Uti postea probabimus, etiam singuli apostoli infallibiles erant. Nihilominus in eo Concilio non uti singuli sed qua uniti decidere volebant.

Ob. 2. — S. Leo I ad Theodoritum episcopum scripsit ep. 120, ML 54 1046-7: " *Quae nostro prius ministerio (Deus) definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu* „. Ergo decisio Pontificis tantum ideo irretractabilis facta est, quod assensu fratrum episcoporum firmata est. — R. N. Ideo assensus episcoporum dicitur irretractabilis, quia res a Leone iam definita erat. Unde ep. 93, 2 ad Iulianum, unum e legatis pro Conc. Chalced. ML 54, 957 S, Leo ait: " reiecta penitus audacia disputandi contra fidem ...., nec liceat defendi, quod non licet credi ... „. Ita haud pauci auctores.

Ob. 3. — E tempore Later. 3 formula definitionis conciliaris est: " *Ego (Romanus Pontifex) sacro approbante Concilio* „. Ergo sententia Romani Pontificis non est irreformabilis nisi ob approbationem Concilii. — R: N. consequentiam. Sequitur, talem definitionem esse vere infallibilem, in qua Pontifex et Concilium in unum actum conspiraverint; non vero sequitur tantum eiusmodi definitionem esse infallibilem.

Ob. 4. — Si Concilia universalia habuissent persuasionem, definitiones Pontificis esse infallibiles, eas *examini non submisissent.* Atqui submiserunt. — R. Dist. ma.: Eas non submisissent *examini dubitatio-*

nem supponente, c.; examini *approbativo*, mere methodico, seu examini inquirenti in rationes pro re certa, quod eum finem habet, ut haec decisio auctoritate accidentaliter maiore gaudeat, n. Crescit accidentaliter auctoritas ob maiorem numerum decernentium, qui iterum in rem inquisierunt. — Caeterum etiam Concilia posteriora doctrinas anteriorum examini approbativo subiecerunt; ergone infallibilitate carent?

Obiectiones e silentio Patrum.

Ob. 1. — Haeresiarchae a Patribus *non reprehenduntur* ob spreta decreta pontificum. — *R. a*) N. *Augustinus* propterea reprehendit Iulianum, Contra Iul. l. 3 c. 1 n. 5; l. 1 c. 4 n. 13 ML 44, 648: " Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses... „ *b*) V. verba haeretici Pelagii ad Innocentium quae mox p. 472 vidimus. *c*) In pluribus haeresibus ob earum apertam oppositionem ad fontes fidei, papae neque intervenerant, *neque intervenire debebant.* — Tr. ampl. 58 „.

Ob. 2. — Patres in iis scriptis, *quae data opera de regula fidei* agunt, *non faciunt mentionem infallibilitatis* pontificiae. — *R.* Peto prob. exstitisse scripta Patrum, quibus data opera de regula fidei tum remota (Scriptura et Traditione), tum proxima (omnibus modis infallibilis) egebant. — Tr. ampl. p. 58-9.

Quoad *singula quaedam scripta*, quae obiciuntur, accipe quae sequuntur:

Ob. 3. — Tertulliani scriptum " *De praescriptione haereticorum* „. eiusmodi opus est. — *R.* N. Tantum agit de una via ad cognoscendam unam qualitatem doctrinae catholicae, scilicet eius apostolicitatem. Quae via ei est *testimonium ecclesiarum apostolicarum*, cuius auctoritas etiam humana iis temporibus haud difficile demonstrabatur. — Tr. ampl. p. 59-61.

Ob. 4. — Augustinus in tot suis scriptis numquam recurrit ad infallibilitatem pontificiam. — *R. a*) Contra Manichaeos, Donatistas facile sufficiebat eiusmodi intellectio fontium theologicarum, qualis in Ecclesia clare habebatur. *b*) In causa Pelagianismi ad Pontificem recurrit. Cf. quae diximus p. 472-3. — Tr. ampl. p. 61-2.

Ob. 5. — Vincentii Lirinensis utrumque commonitorium data opera de regula fidei agit, tamen infallibilitatem papae tacet. — *R. a*) *Magna pars* Commonitorii secundi, ubi de partibus Romani Pontificis in Concilio Ephesino agitur, *interiit. b*) De regula fidei agens *tantum ea criteria* tractare vult, quibus haereses *statim atque oriuntur*, uti tales dignosci possunt. Statuit, eiusmodi criteria esse doctrinae universalitatem, antiquitatem, consensionem. *c*) Premit magnam auctoritatem docendi

Romanorum Pontificum Xisti et Coelestini. V. g. Com. 2, c. 33, ML 50, 684. — Tr. ampl. p. 62-6.

Ob. 6. — Etiam *Gennadii* scriptum " De ecclesiasticis dogmatibus „ silet! — *R.* 1) Non est opus per se stans, sed pars finalis, sola nobis servata, operis maioris adversus omnes haereses; haec vero pars non agit de ipsa regula fidei statuenda, sed *de singulis veritatibus credendis* in oppositione praecipue ad haereses usque ad id tempus propositas. 2) Haec ipsa pars, prouti in ML 58, 979-1000 continetur valde interpolata est. In genuina eius forma eam edidit C. H. Turner, The Journal of Theol. Studies (7) 1906, 78-99. — Cf. Bardenhewer, Gesch. d. altkirchl. Lit. tom. 4, 1924 p. 596-7. — Tr. ampl. p. 66-8.

Obiectio e facto quodam tempore Patrum.

Ob. — *S. Cyprianus* est testis fidei sui temporis. Atqui, uti notum est, *non se submisit decreto S. Stephani* (254-7) *decidentis* (ed. Hartel operum S. Cypriani, Vindob. 1868, ep. 74 p. 799) " *Nihil innovetur* „ scilicet in praxi non rebaptizandi eos, qui ab haereticis iam baptizati erant, quam S. Stephanus merito pro antiqua traditione habebat. Iamvero haec quaestio erat sane quaestio fidei. Ergo eis temporibus non habebatur necessarium, se submittere Pontifici decidenti res fidei.

R. — *a*) D. ma.: S. Cyprianus, *si a caeteris testibus et a seipso dissideret, haberi posset ut testis fidei sui temporis, n. ma.* Iamvero si S. Cyprianus infallibilitatem Sedis Romanae negasset, dissideret a testibus anterioribus (Irenaeo) et posterioribus (cf. v. g. testes quos e saeculo 4 et 5 immediate sequentibus adduximus), imo etiam a seipso, cum principium infallibilitatis Sedis Romanae elocutus sit (cf. p. 471). Ergo audiendus non esset.

b) *Attamen probari nequit, S. Cyprianum habuisse decretum S. Stephani pro peremptorio.* Nam probari nequit, eum illud pluris fecisse quam in se erat. Iam vero ostendi nequit, illud in se fuisse peremptorium. Etenim ratio peremptorii

α) Non requiritur ob ipsa verba " Nihil innovetur „, uti patet.

β) Non ob modum agendi Stephani, quando ne legatos quidem S. Cypriani recipere volebat atque " praecepit fraternitati universae, ne quis eos in domum suam reciperet „, ep. 75, n. 25, p. 826. Etenim commotio ob inobedientiam Cypriani praeceptum utique demonstrat, peremptorium autem praeceptum non arguit.

γ) Non ob excommunicationem. Etenim quamcunque tandem S. Stephanus in eum tulit, ea talis certe erat, quae ab Ecclesia non separabat. Nam S. Augustinus, De unico bapt. c. Petilianium c. 14, n. 23,

ML 43, 607 testatur: " Cum Stephanus non solum non rebaptizaret haereticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos censeret sicut horum episcoporum ut ipsius Cypriani litterae ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit „. Cf. quoque Aug., De bapt. contra Donatistas l. 5, c. 25, ML 43, 194.

δ) Tandem hoc est caput solutionis *plurimorum tum anteriorum tum posteriorum theologorum*. Ita B. Bellarmino, De R. P. l. 4, c. 7, ad 3: " noluit pontifex rem de fide facere sine generali concilio „. Cf. quoque De conc. l. 1, c. 10. Recentissime vero d'Alès, La théologie de S. Cyprien, Paris 1922, p. 200: " Nous ne dirons pas que l'évêque de Carthage s'est insurgé contre une définition ex cathedra, car à ses yeux la décision du pape n'avait pas le caractère d'une sentence sans appel. L'infaillibilité pontificale est donc hors de cause „.

Quaedam aliae solutiones minus videntur probandae; e quibus has affero:

a) Epistulae Cypriani de rebaptismate (et acta Concilii 87 episcoporum) non sunt genuina. Hanc sententiam, quam quidem iam tempore S. Augustini proponebant, inde a saeculo 18 plures catholici adhibebant, ut ex ea solutionem huius difficultatis peterent. — *R*. Uti ea iam S. Augustino displicuit, ita recentius a parte longe maiore et peritiore in rebus criticis inter catholicos reicitur. Cf. citationes et nomina in utramque partem penes Ottiger II, p. 667, nota 2. Rationes, cur non genuinae dicantur non tam sunt externae, quae in rebus criticis quam maxime attendendae sunt, quam internae.

b) Decretum Stephani a Cypriano habitum est ut mere disciplinare, non vero ut doctrinale. — *R*. Decretum Stephani etsi proxime disciplinare diceretur, tamen et in se saltem intime cum fide nexum est et a S. Cypriano illud saltem ut connexum cum fide habitum est. Etenim continuo, v. g. in ep. 71 ad Quintum, 72 ad Stephanum, 73 ad Iubaianum, 74 ad Pompeium (idem v. in ep. 75 seu Firmiliani ad Cyprianum), contra Stephani decretum demonstrare conatur, praxim a Pontifice praescriptam rectae fidei contradicere. — Concedendum tamen est, aliquando difficilius cognosci, num praeceptum quod directe de actione fertur, indirecte at vere etiam menti irrevocabile iudicium imponat, necne. — Locos respectivos epistularum de rebaptismatis quaestione cum quadam explicatione v. d'Alès o. c. p. 184-210. Plura de hac diff. cum lit. v. Lith. de Eccl. et Trad. p. 433-9

Obiectiones ex erroribus, quos Pontifices ex cathedra docuisse dicuntur.

Cf. in genere *Bellarm.*, De Rom. Pontif. l. 4 c. 8-14 incl. ed Ingolst. 1890 col. 970-1015. — *Ballerini*, De infal. R. P. c. 15 § 6-10. — *Palmieri*, th. 33 ³ p. 713-55. — *van Laak*, Lith. p. 406-16. — *Pesch*, Comp. n. 326 p. 235-8. — *Straub*, n. 1020-54 II p. 429-67. — De Honorii lapsu qui dicitur cf. *van Laak*, de R[i] P[is] infall. p. 68-81 ubi alia lit. Eas difficultates, quae potius obiecta secundaria infallibilitatis respiciunt, v. g. quaestionem de Vigilio et tribus capitulis, considerabimus ubi de his obiectis secundariis sermo erit.

Principia ad has difficultates solvendas haec sunt : Debet accurate videri, *a*) unum documentum de quo agitur, genuinum sit atque non interpolatum ; *b*) quem sensum fundet ; *c*) num omnes conditiones ad locutionem e cathedra requisitae adsint.

Ob. 1. — *Petrus negavit fidem* in atrio Summi Sacerdotis. — *R.* Neque S. Petrus tunc caput Ecclesiae erat, neque quidquam tenendum docuit.

Ob. 2. — *Petrus* secundum Gal. 2, 11-21 *ethnicos " coegit iudaizare ". R.* Qua Pontifex imposuit omnibus iudicium irreformabile, se iudaicos ritus ut necessarios pro salute observare debere, n. ; *exemplo suo occasio erat cur quidam Ethnico-Christiani inciperent putare, melius esse observare tales ritus*, in quo iudicio periculum erroris contra fidem erat, c. — Falsa videtur esse solutio, eum Kepham, quem Paulus reprehendit, non fuisse Petrum. — Cf. Cornely, Com. in 2 Cor. et Gal. p. 441.

Ob. 3. — *Liberius* (352-66) *subscripsit formulae haereticae. — R. a*) *Non certo constare videtur, eum ulli formulae subscripsisse. b*) Si cui subscripsit, *non* subscripsit *secundae Sirmiensi*, quae sola haeretica erat. Quae solutio independens est a modo quo diversae quaestiones disputatae solvuntur, v. g. num epistolae 4 Liberii genuinae sint. De rebus Liberii cf. hist. eccl.

Ob. 4. — *Hormidas* (514-23) ep. ad episc. Possessorem M. L. 63, 490-3, nuntium dat, monachos Scythas, quippe qui imprudenter postulaverint, ut ad confessionem fidei adderetur " Unus de Trinitate passus est ", uti moderaminis nescios, superbos etc. ex Urbe pulsos esse. *Felix III* (IV) (526-30) ep. ad Fullonem, patriarcham monophysiticum Antiochenum, *reprobavit additionem verborum " ... qui crucifixus es pro nobis "* ad Trishagion, ab eodem Fullone factam. Item Bened. XIV

1734 (D. 1403) eam reiecit. E contra *Iohannes II* (532-5) ep. ad Iustinianum ML 66, 17-20 et ep. ad senatores, ib. 20-4 (D. 201) eam *approbavit.*

R. — *Hormisdas* tantum usum novae formulae vetuit, quia ei eo tempore, ob periculum abusus e parte Monophysitarum, periculosa videbatur; quae est res disciplinaris. — *Felix* utique illa ipsa illa verba addita reprobavit, at intellecta in sensu monophysitici Patriarchae. Addit enim hanc rationem reprobationis suae: " quoniam... unigenitus Dei Filius, qua ratione Verbum est, in propria substantia non poterit pati „ col. 907. Etc. Similiter Bened. XIV.

Iohannes autem eam formulam approbavit, cum ob mutatas circumstantias orthodoxe intelligeretur, scilicet, uti ipse ait, hoc sensu: " unum ex sancta Trinitate Christum esse „ M 66, 20. Eodem sensu formulam approbavit *Conc. oecum. V* (555) (D. 255).

Amplissima de hac quaestione v. penes Card. Noris († 1704): Dissertatio hist.: De uno ex Trinitate carne passo; item Dis. II Apologia monachorum Scythiae ab anonymi scrupuli vindicata. Op. omn. ed. Veron. 1729 tom. col. 773-876; 880-944.

De re cum monachis Scythis cf. quoque Amann, art. Hormisdas, Dict. de Th. C. tom. 13 col. 162-71.

Ob. 5. — Honorius I (625-38) *in suis epistolis ad Sergium ex cathedra docuit, non esse duas voluntates in Christo.* — *R. a*) Nihil *ex cathedra* docuit: scopus epistularum unice erat silentium ob pacem conservandam indicere; in ep. 2 ad Sergium " Scripta dilectissimi „ ML 80, 475: " ... pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, i. e. divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare operantes „; iussit vitari terminum " una vel duae operationes „: ib. ep. I ad Sergium " Scripta fraternitatis „ col. 413: " Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare „.

b) In ep. 2 ad Sergium col. 475 (D. 252) docuit *duas voluntates physicas* " et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exsequentem „. Porro in ep. 1 ad Sergium col. 472-3 premit *unitatem moralem* inter eas duas voluntates physice distinctas, scilicet *humanam divinae obsecutam* in omnibus: " voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori „.

Instant: Honorius a Concilio universali Constant. III ut haeresim ex cathedra docens damnatus est. — *R.* Etsi ipsi Patres Concilii, seor-

sim sumpti sine Romano Pontifice, eum sub hac ratione damnassent, id quod verum non esse mox videbimus, certe Leo II decretum Patrum tantum ita confirmavit in ep. ad episcopos Hispaniae ML 96, 414: " qui (Honorius) flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo confovit* „. — Idem quoad rem in ep. Leonis ad imperatorem Constantinum Pogonatum ib. 408, ad regem Hervigium in Hispania ib. 419. Iamvero haec omnium doctrina est, Concilia univ. tantum tunc infallibilia esse et tantum in eo sensu, quando et in quo sensu a R. P. confirmata sunt.

Iterum instant: Saltem ipsi Patres Concilii: i. e. episcopi Orientis 174 cum patriarchis duobus; tres legati Romani Pontificis; tres episcopi legati synodi Romanae; quidam episcopi italici, hi ergo omnes Honorium ut haereticum ex cathedra docentem damnarunt. Nam dicunt eum haereticum; connumerant eum cum Sergio etc. V. locos collectos Tr. ampl. p. 76-7. Ergo traditio infallibilitati Pontificis eo tempore adversa erat, vel saltem, tot contradicentibus episcopis, nequaquam erat universalis.

R. a) Et antea in genere episcopatus graecus subscribendo formulae Hormisdae infallibilitatem Pontificiam agnovit (Cf. supra in hac thesi), et membra huius ipsius Concilii idem fecerunt suscipiendo epistolam Agathonis, in qua, alludendo ad factum Honorii, dicitur: " Dominus et Salvator omnium... qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod apostolicos *Pontifices* meae tenuitatis *praecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum* „. Ergo non damnarunt Honorium ut falsa e cathedra docentem.

b) Remanet ut Patres Concilii Honorium damnaverint aut quatenus falsa, at minore auctoritate, non suprema et rem definiendo, docuerit; aut quatenus imprudentia sua *haereses fautor* exstiterit.

Haec secunda sententia videtur esse praeferenda. Etenim α) Ea hodie communior est, id quod ita se habere asserit v. g. Scheeben-Atzberger IV, p. 457. Alia v. Tr. ampl. p. 177. — β) Ea non repugnat evidenter rationi loquendi eius temporis, qui vocem " haereticus „ etiam modo latiore adhibuit atque nos hodie facimus. Pro qua assertione generatim remittunt ad Bolgeni, Fatti dogmatici, Brescia 1778, c. 4, Prop. 6, p. 103-24. — γ) Omnes expressiones quas imperator et Patres adhibent, possunt eo modo intelligi. Id quod late evolvit Ioh. Garnier S. I. († 1681), Diss. 2 ad librum diurnum § 6, n. 57-69, ML 105, 160-4. — δ) Alias Patribus sine ratione sufficiente deberet ascribi error, Honorium falsa in epistolis docuisse. — ε) Tandem diversitas inter Patres et Pontificem sine ratione cogente statueretur. Etc.

De hac difficultate ex Honorio cf. Tr. ampl. p. 69-81.

Ob. 6. — *Gregorius III* (731-41) epist. ad S. Bonifatium, episcopum Moguntinum iussit, *eos qui a paganis baptizati erant, iterum bapitzari.* — *R. a*) *Non erat definitio ex cathedra* sed rescriptum ad quaesitum Bonifatii. — *b*) Ignorantur circumstantiae facti. Forte dubitabatur, num recta forma adhibita fuerit.

Ob. 7. — *Zacharias*, (741-52) ep. 11 ML 89, 946 damnavit doctrinam, *haberi antipodas.* — *R. a*) Non est definitio ex cathedra. Zacharias iubet tantum Virgilium, si tale quid doceret, sacerdctio, quo forte auctus erat, privari et ex Ecclesia expelli. — *b*) D.: Antipodas simpliciter tales, n.; eiusmodi antipodas, qui ab Adam non descendant, c. Nempe sunt qui dicant, doctrinam ita forte intellectam esse a Virgilio ut *negaretur eos homines ab Adam descendere.* Zacharias enim eius doctrinam ita describit: " De perversa autem et iniqua doctrina eius, qui contra Deum et animam suam locutus est, si clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alius mundus, et alii homines sub terra sint, seu sol et luna „. Porro S. Augustinus, De Civ. Dei l. 16, c. 9, M. 487 antipodas ideo negaverat, quia e nostra terrae parte ad eos meari non potuerit, atque proinde ab Adamo illi descendere non possint. Quam doctrinam utique falsam de eiusmodi antipodis, qui proinde baptizandi non sint, Zacharias quibusdam auctoribus respicere videtur. — Virgilius ille haud paucis doctis videtur esse S. Vergilius, qui postea episcopus Salisburgensis factus est.

Ob. 8. — *Nicolaus I* (858-67) *validum declaravit baptismum datum* " in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum *in nomine Christi*, sicut in Actibus apostolorum legimus „. D. 335. Atqui (saltem post aevum apostolicum) invalidum est baptisma, quod non sub expressa invocatione singularum personarum Trinitatis datum sit. — *R. a*) Responsum hoc ad Bulgaros de casu particulari neque ex verbis neque e doctrina universaliter recepta etc. *potest demonstrari esse definitio ex cathedra.* *b*) Cum documentum, in quo continebatur interrogatio Bulgarorum, deperditum sit, interpretatio responsi Pontifici, difficilis est. Explicatio probabilior videtur esse haec: Agitur de *dubio circa validitatem baptismatis orto e persona conferentis*, qui erat " Iudaeus, nescitis utrum Christianus an paganus „. Decidit Pontifex debere - supposita recta forma - inquiri de *intentione dantis*, num scilicet in nomine Christi agere, i. e. *christianum baptisma dare voluerit.*

Ob. 9. — Nicolaus III. (1277-80) in Constit.: " Exiit qui seminat „ in 6 Decret. l. 5, tit. 12, c. 3 ed. Friedberg col. 1112 docuit, *Christum verbo et exemplo commendasse eam perfectionem paupertatis*, qua non tantum singuli qua singuli, verum etiam communitas religiosa qua talis *omnem proprietatem a se abdicat. Iohannes vero XXII* (1316-34) in Const. " Cum inter nonnullos „ Extrav. Ioh. XXII, t. 14, c. 4 ib. 1230

(D. 494) definit, *haereticum* esse dicere, *Christum et Apostolos* " in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam „. — *R.* Nicolaus non dicit, Christum *numquam* quidquam, saltem simul cum apostolis in communi, possedisse; imo data opera concedit eum interdum loculos habuisse, ut scilicet " interdum imperfectorum imperfectionibus condescendens, et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret „, ib. col. 1112. Iohannes tantum dicit haereticum esse negare, Christum et apostolos *quidquam* sive singulos sive in communi possedisse. Cui definitioni iam eo satisfit, quod Christus eiusque apostoli *aliquando* in speciali „ vel " in communi „ possederint. Inter quae non est oppositio. — Cf. Bellarm. l. c. c. 14, Natalis Alex., Hist. Eccl. s. 14 dis. 11, a. 1.

Ob. 10. — Nicolaus III, ibidem col. 1113 sq. docuit, in certis Religiosis *ius ad usum rerum necessariarum pro vitae sustentatione separari posse a simplici earum usu.* Iohannes XXII ib col. 1525 sqq. hoc negavit. — *R. a*) Solent respondere auctores, *neutrum* hanc doctrinam *e cathedra* docuisse, sed utrumque eam tantum proposuisse argumentando vel uti motivum pro eo decreto disciplinari, quo Nicolaus dominium eiusmodi rerum, quae Fratribus Ordinis Minorum offerebantur, ad Sanctam Sedem transtulit, Iohannes vero illud a Sancta Sede iterum abdicavit. Quidam concedunt eos de facto diversa in hac re docuisse. — *b*) Secundum Straub n. 1044 non habetur oppositio in doctrina. Qui rem ita explicat: *Nicolaus* docet, *ius stricte dictum seu dominii, quod scilicet ius* vendendi, donandi etc. includat, posse separari a scimplici usu licito, qui scilicet liceitatem suam trahat a licentia Superioris religiosi, rem pro neecessitate vitae adhibendi. *Iohannes* vero negat tantum, *ius late dictum*, seu facultatem moralem qualemcumque, sine qua usus rei iniustus vel illicitus esset, a simplici usu etiam in Religione tali separari posse.

Ob. 11. — Secundum plures Iohannes XXII (1316-34), docuit, *animas etsi ab omni peccato et poena peccati liberae sint, ante universale iudicium non videre faciem Dei. Benedictus XII* (1334-42) definivit eas *statim post mortem* visione beatifica frui.

Atque M. Lea, Histoire de l'Inquisition au moyen âge, vers. S. Reinach, tom. 3 p. 713 data opera premit, eum " constrinxisse christianitatem „ ad hanc doctrinam. — *R.* Ioannes hanc doctrinam *e cathedra docuit*, n.; rationes pro ea, uti opinione libera, *nihil imponendo* proposuit, c. Probo distinctionem esse veram.

1) Assuetum ei erat praedicationes de quaestionibus liberis habere. Etiam de hac, quae nondum fide divina catholica decisa erat, Avenione 1331-4 diversas praedicationes habuit. Praeterea 1333 tractatum de ea

re composuit atque iis beneficia procurasse dicitur, qui argumenta pro parte negativa conferrent. *In his sane nulla detegitur locutio e cathedra.*

2) *Imo ea multis documentis positive excluditur.* V. g. *a*) *In praedicatione 2ª* de rationibus a se allatis haec dicit: " Mihi aliud non videtur nisi ostenderetur determinatio ecclesiae contraria vel auctoritates sacrae scripturae quae haec clarius dicerent quam dicant supradicta ».— *b*) *Philippo VI* regi Galliae 13 nov. 1333 *scripsit*, ne libertatem theologorum de hac quaestione disputandi impediret, usquedum S. Sedes aliud ordinaverit. Denifle l. citando p. 426-27. — *c*) Pari modo 2 Ian. 1334 *professores celebriores 29* cum moderatoribus tribus *Univ. Paris.* a Pontifice petierunt, ut doctrinam de visione immediate data definiendo, quaestioni finem imponeret. Denifle l. c. p. 432-33. - *d*) In sessionibus durantibus a 28 Dec. 1333 usque ad 5 Ian. 1334 Pontifex coram cardinalibus, doctoribus etc. rationes pro et contra legi iussit; ad finem pronuntiavit declarationem: " quidquid ... alligavimus seu proposuimus, diximus, proposuimus et alligavimus non intendentes aliquid determinare seu credere ... „. Imo sibi gratius esse si potius sententia affirmans quam negans rite stabiliri posset. Tandem omnibus iniunxit ut serio quaestioni studerent. Denifle l. c. p. 432-6. — *e*) Tandem 3 Dec. 1334, *in lectulo mortis edixit:* " credimus quod anime purgate separate a corporibus..... vident Deum de communi lege ac divinam essentiam facie ad faciem clare in quantum status et conditio compatitur anime separate „. Si quae alia a se quocumque modo dicta fuerint, se ea reprobare. Denifle, l. c. p. 441.

Ms concionum Ioannis invenitur in Bibl. Univ. Cambridge; Documenta cit. apud Denifle, Carthularium Univ. Paris., vol. II, Parisiis 1891; Expositio larga: Le Bachelet, art. Benoît XII n. II–IV incl., Dict. de Th. C. tom. 5 col. 657-59 (cum lit.). et Noel Valois, Histoire de la France 1915 tom. 34, p. 551–627.

Ob. 12. — Sedes Romana 12 Ian. 1571 declaravit, nihil posse asseri, " quod repugnet Vulgatae editioni, etsi esset sola periodus ... vel sillaba iotave unum „. Quod documentum iamiam esse genuinum agnoscendum v. Batiffol, La Vaticane de Paul III à Paul V, Paris 1890 p. 73. — *R. a*) Non est decretum Pontificis sed Congregationis Concilii. *b*) Haec Congregatio non erat competens in hac re dogmatica. Etenim Sixtus V Bulla " Immensa „ 1588, in ea parte, quae est de Congregatione octava § 1 Bull. Rom., ed. Taur. t. 8 p. 991 hoc habet: " Eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, ... interpretationem nobis ipsis reservamus „. Cf. Cornely, Intr. v. 1 dis. 2 § 18 n. 174 c.; Comp. [6] n. 137. *c*) Pius IX 1 Aug. 1859, teste P. Perrone, vivae vocis oraculo declaravit, responsum — si sit genuinum — ita esse declarandum, ut prohibeatur, ne quid asseratur, quod editioni Vulgatae repugnaret in rebus

fidei et morum. Cf Franz., De Trad. et Script. Th. 19 Schol. ed. 4 p. 519.

Ob. 13. — Sixtus V in Constitutione " Aeternus ille „ 1590 edicit, *editionem Vulgatae authenticam recensendam esse hanc ipsam, quam nunc « prout optime fieri potuit*, emendatam ... evulgamus ... » At multa menda habuit. — *R. a*) Plurimi ita respondent: Haec constitutio *non est rite promulgata* (Cf. Le Bachelet, Bellarmin et la Bible Sixto-Clementine, Paris 1911), unde infallibilis esse nequit. *b*) Abstrahendo ab hac ratione: In Bulla asseritur talis conformitas editionis novae cum textu primitivo Vulgatae, qualis etiam a Concilio Tridentino Vulgatae attributa est, atque haec conformitas revera adest, c.; intelligitur conformitas perfectissima in omni re critica, quae perfectio utique deest, n. Eam deesse ipse Sixtus in Bulla ait: " prout optime fieri potuit emendatam „. Cum haec difficultas in Introd. in S. Scripturam data opera tractari soleat, ad hanc disciplinam remitto. Cf. v. g. Cornely-Hagen[6] 1909 p. 115.

Ob. 14. — *Paulus V* (1605-21) et *Urbanus VIII* (1623-44) *condemnarunt* e cathedra *doctrinam*, sane moraliter certam, *Galilaei*. Etenim

1) Paulo V iubente 26 Febr. 1616 Commissarius S. Officii Galilaeo iniunxit nomine " SS.mi D. N. Papae et totius Congregationis s.ti officii „ ut *a*) desereret errorem suum, *b*) ne eum " de cetero quovis modo teneat, doceat, defendat ... „. Agebatur autem de doctrina duplici, quod " Sol sit centrum mundi, et immobilis motu locali „ et " Terra moveatur etiam motu diurno „. Cf. von Gebler o. citando p. 48-9. Idque factum est postquam considerata sunt vota, quibus Theologi S. Officii omnes qualificaverant primam propositionem " stultam et absurdam in philosophia; et formaliter haereticam ... „, secundam eadem censura philosophica, porro " ad minus ... in fide erroneam „. ib. p. 47-8.

2) 5 Martii S. Congregatio Indicis inter alia " prohibet, damnat atque suspendit " omnes libros qui idem docerent atque Copernicus, doctrinam scilicet illam " scripturae omnino adversantem „ ib. p. 50.

Haec acta B. Bellarmino ep. 26 Maii 1616 ad Galilaei nominat " dichiaratione fatta da Nostro Signore et pubblicata dalla sacra congregatione dell'indice „. ib. p. 91.

3) E mandato Urbani VIII dato 16 Iunii 1633 (ib. p. 112), S. Officium, constans e 10 Cardinalibus, 22 Iunii eiusdem anni *a*) declaravit Galilaei " vehementemente sospetto d'heresia cioè d'haver tenuto e creduto dottrina falsa e contraria alle Sacre e divine Scritture ... e che se possa tenere e defendere per probabile un' opinione dopo esser stata dichiarata e deffinita per contraria alla Sacra Scrittura „; *b*) iussit eum maledicere his " haeresibus „; *c*) mandavit librum " Dialoghi di Galileo

Galilei „, quo se de haeresi suspectum reddiderat, publice prohiberi; *d*) quasdam poenas ei iniunxit. Cf. Favaro, Galileo e l'Inquisizione p. 146.

4) 30 Iunii Urbanus VIII iussit exemplar huius condemnationis et secutae post eam abiurationis Galilaei mitti omnibus Nuntiis et fidei inquisitoribus in omnibus terris, ut iis mediantibus deveniant " in notitiam omnium Professorum Philosophie et Mathematice „, von Gebler p. 114.

R. — Et his omnibus continetur damnatio doctrinae per locutionem e cathedra, n.; *alia* minoris auctoritatis, c. Expl.:

1) Auctores generatim respondent: *habentur decreta mere Congregationis Indicis atque S. Officii*, nullum vero Pontificis. Etenim eo quod Pontifex iubet, aliquod decretum ab aliqua Congregatione fieri, iubet quidem illam Congregationem in eo condendo, auctoritate ipsius Congregationis propria uti, non vero eo facit decretum suum seu Pontificis. Idem dicendum, si ipse pontifex decretum Congregationis publicari mandat. Cf. de his thesis sequens. Inde cum decreta illa non fuerint papae, ne quaeri quidem potest, num fuerint decreta papae infallibilia. Cf. v. g. Choupin, Valeur des Décisions Doctrinales et Disciplinaires du S. Siège, Paris 1907, quatrième partie, ch. 2 § 3 p. 140-6.

Verba autem B. Bellarmino, quibus documentum 1 et 2 explicat, intelligenda sunt sensu latiore, scilicet etiam Pontificem huius sententiae fuisse et Congregationem eam sententiam Pontificis fecisse suam. Cum quo sane non pugnat, quod Congregatio eam ut suam, non ut Pontificis, edidit. Nisi res ita explicetur, capi nequit, cur de actu legislativo papae qui supponendus esset, in decreto Congregationis omnino sileatur. Cf. Murray III disp. 17 s. 6 n. 252-3.

2) Etsi putares, mandatum Galileo impositum, de quo n. 1), etiam ab ipso Pontifice processisse, tamen evidenter non habes iussionem, qua totam Ecclesiam obligasset.

3) Accedit criterium externum, scilicet quod Ecclesia illis temporibus eas decisiones non pro infallibilibus habuit. Cf. quae in thesi de auctoritate theologorum de hac re dicemus.

Cf. *acta* processus in: Karl von Gebler, Die Akten des Galilei'schen Processes nach der Vaticanischen Handschrift herausgegeben, Stuttgart 1877 pp. 192; vel etiam: A. Favaro, Galileo e l'Inquisizione, Documenti ... integralmente pubblicati, Firenze 1907, praecipue ob textum decretorum, p. 13-33. — *Elucubrationes catholicorum*: Grisar, Galileistudien ... Regensburg 1882; A. Müller, Der Galileiprocess ... Freiburg, 1909 (italice Roma 1911); Vacandard, art. Galilée n. III-VII, Dict. d. Théol. C. tom. 11, 1915, col. 1063-82 cum lit. Cf. quoque Murray l. c. n. 245-59 p. 330-43. Choupin l. c. p. 123-49; Rep. in thesi de auctoritate theologorum.

Schol. - De quaestione num Papa possit fieri haereticus.

Quid quaeratur. — Alia est notio, papam haeresim ex cathedra docere, i. e. praescribere ut omnes filii Ecclesiae haeresim credant, alia, papam ipsum pro se ipso fieri haereticum, quin haeresim e cathedra doceat. Primum absolute repugnare hac thesi vidimus; secundum num fieri possit necne, controversum est.

Non quaerimus, num papa in aliqua re revelata, quam tamen Ecclesia nondum sive solemni sive ordinario magisterio uti revelatam proposuit, pro se ipso errare possit, sive dubitando, sive uti probabiliora vel uti certa asserendo quae falsa sunt. A fortiori non quaerimus, num id in rebus connexis fieri possit. Utrumque enim concedi solet. Neque id inquirimus, num papa sententiam haereticam, putans eam esse catholicam, bona fide pro se tenere possit. Sed *unice quaerimus, num papa possit fieri haereticus seu pertinax in haeresi affirmanda, i. e. num sciens et volens vel negare possit veritatem de fide divina et catholica vel de ea dubitare.* Agimus autem de haeresi sive mere interna, sive simul externa at non notoria, sive maxime de notoria.

Sententiae theologorum. — *Per totum medium aevum* canonistae ob decretum Gratiani, de quo mox, *affirmativam sententiam* tenebant, cum docerent, papam ob solum crimen haereseos (cui tamen schisma aequiparatur), ab Ecclesia iudicari posse. Imo video ipsum Pighium l. citando p. 83 confitentem, praeter canonistas, « theologos omnes, quicumque hac de re prodiderunt et scripserunt aliquid », idem asseruisse. Porrò pro M. Cano l. citando col. 209 contraria opinatio « nova quidem in Ecclesia Dei » erat.

A saeculo 16 vero incipiente sententiae in diversas partes abierunt. Primus Alb. Pighius, Assertio hierarchiae ecclesiasticae l. 4 c. 8, Coloniae 1538, in Roccaberti t. 2 p. 83-94, praecipue inde a verbis « Iam et haec » p. 85-6 *contrariam sententiam* docuit. Eum multi secuti sunt; ii haud pauci quos vidi, suam sententiam tamen potius ut plus vel minus probabilem vel ut probabilissimam proponunt, non ut certam. V. v. g.: B. Bellarmino, De R. P. l. 4 c. 7: « probabile est, pieque credi potest ». Suarez, qui Defensio fidei l. 1 c. 6 n. 15 utique docet, « non esse

necessarium, pertinere promissiones ad eum ut personam privatam », at De fide, dis. 10 s. 6 « magis piam et probabiliorem » putat sententiam negantem. Dominicus a SS. Trinitate, Bibl. Theolog., de R. P. s. 4 c. 16 concl. 18 tom. 3 p. 505-13 rem tractat ; p. 512 ait : « etsi probabile sit... haud tamen omnino certum est ». Wilmers p. 429 : « minime certum est, eum posse ut personam privatam in haeresim incidere ». Billot[4] th. 29 p. 609 « longe probabilius » esse, eum id non posse.

Niholominus plurimi *sententiae affirmanti adhaerere pergebant.* Imo Dominicus a SS. Trin. o. c. p. 506 adhuc de suo tempore (1668) ait, « maiorem partem theologorum » eam sequi. Eam contra Pighium defendebant v. g. Cano l. 6 c. 8 ed. Patav. p. 209-10. Gregor. a Valentia, De rebus fidei hoc tempore controveris, Analysis fidei l. 8 c. 1 ed. Ingolstadt p. 69. Bannez, in 2-2. qu. 1 art. 10 Dub. 2 Notandum est quarto col 190-3, Secunda obj. col. 193-4, responsio ad arg. 3 col. 207-8. Recentiore tempore v. g. Card. Hergenröther, Kath. Kirche etc. p. 993 n. 5 quantum ad actus internos papae. Palmieri[3] th. 32 Schol. 1, « censemus non oportere nos, plusquam ipsa Romana Sedes [alludit ad textus iuris can.], sollicitos esse de hac praerogativa asserenda successoribus Petri ». De San p. 134* : « ... quidquid sit de hac Bellarmini aliorumque sententia indubitatum est, vi assistentiae romanis Pontificibus promissae, eos prouti sunt privatae personae, neque ab haeresi materiali neque adeo ab haeresi formali immunes esse ». Straub n. 1068 p. 479-80 : « multorum haud temeraria vel improbabilis sententia », quam contra difficultates defendit.

Diversa nomina theologorum usque ad finem saeculi 17 invenies apud Dublanchy, D. d. Th. C. tom. 14 col. 1714-16.

Rationes praecipuae hinc illinc allatae. *Ratio praecipua pro affirmanda sententia. Pontifices ipsi favent.* Etenim permiserunt ut in *Decreto* Gratiani pars I dist. 19 c. 9 « Anastasius » legeretur historia, Anastasium II communicasse factioni Schismatici Acacii, et ut dist. 40 c. 6 « Si papa » *legerentur verba Bonifatii* [non alterius sed *arch. Moguntini,* cui iam antea haec verba ascribebantur], Pontificem a nemine posse iudicari, « nisi forte deprehendatur a fide devius ». Porro *Adrianus II* eius opi-

nionis erat, Honorium ab Orientalibus, consentiente Leone II, potuisse saltem licite accusari de haeresi personali eaque positiva, scilicet tali, « propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi », id quod de mero favore haeresi praestito dici nequit. Ita alloc. 3 lecta in Conc. Constantin. IV act. 7, Hardouin 5, 850. — Tandem *Innocentius III* utique serm. 2 in consecr. pont. max. ML 217, 656 putat, ad rite exequendum munus confirmandi fratres in fide, requiri fidem cordis, concedit tamen, « propter solum peccatum quod in fide committitur, posse eum ab Ecclesia iudicari » ; serm. 3 in consecr. ib. 665 ait « non facile crediderim Romanum Pontificem contra fidem errare », at serm. 4 in consecr. ib. 670 quaerendo, quomodo verba Domini de sale infatuato « conculcetur ab hominibus », intelligenda sint, et respiciendo ut videtur documentum d. 40 e Gratiano, absolute dicit « potest ab hominibus iudicari vel potius iudicatus [a Deo scilicet] ostendi, si videlicet evanescat in haeresim ... ».

Qua ratione exponendi hos textus [excepta dist. 19 Gratiani] Straub n. 1068 p. 479-80 solvere nititur has obiectiones contra vim probandi eorum textuum allatas : decretum a Gratiano dist. 40 relatum non habere auctoritatem [imo forte non esse genuinum] ; Hadrianum locutum fuisse de Honorio ut mero fautore haereseos ; Innocentium tantum velle dicere si — per possibile vel impossibile — Pontifex deviaret a fide.

2) *Ratio* brevis utique at *praecipua pro sententia negante* haec affertur : Pontifex secundum promissionem Lc 22, 32 semper verum e cathedra docebit. Iamvero hoc quomodo faciet, si ipse haereticus ? Violentum esset, si Deus ex haeretico veritatis definitiones quasi extorqueret. — Haec autem ratio theologica confirmatur eo, quod per 19 saecula nullus papa personaliter demonstratur fuisse haereticus, dum hoc de tot patriarchis et episcopis constet. Haec summa argumentationis Pighii l. c. inde a p. 85.

Respondentur a Straub l. c. ad priorem rationem : *a*) Deus efficere potest, ut Pontifex ab haeresi occulta sive simpliciter sive quantum requiritur pro actu intemerato confirmandi resipiscat ; porro si haereticus publicus fieret, eo ipso a munere confirma-

toris excideret. — *b*) Qui nimium probat nihil probat. Iamvero Pontifex non debet tantum confirmare fratres in veritatibus revelatis quae ut tales iam clare ab ecclesia propositae sunt, quibusque opponitur haeresis, verum etiam in revelatis omnibus imo etiam in connexis. Iamvero si promissio ea (Domini) ferret, ut ne privatim quidem pontifex [pertinaciter] haeresi vel etiam solum transeunte interna vel externa maculari posset, efficeret a pari vel fortiore, ut fungens munere docendi, quamvis non peremptorie, pontifex existeret tutus ab errore sive ipso culpabili de rebus semel definitis sive quocumque de rebus eousque dubiis, siquidem error istiusmodi periculum deceptionis par vel maius quam error publice vel non notus vel facile cognoscendus contumax, proinde [facile agnoscendus ut] proprius hominis, non pontificis ut talis, iniceret ».

Pro statu hodierno criticae historicae non iam insistitur in casibus haereseos (vel apostasiae, cf. Marcellinus 296-304), quos antea haud pauci attulerunt.

Propositio 21. - Pars I. Congregationum Romanarum decreta ea doctrinalia, quae a Romano Pontifice in forma communi approbata sunt, vi auctoritatis ipsis propriae infallibilia non sunt atque proinde assensum irrevocabilem imponere non possunt.

Pars II. Merito tamen ea decreta sibi postulant per se assensum internum, religiosum, sacrae Congregationum auctoritati proportionatum.

Pars III. Ea porro harum Congregationum decreta doctrinalia, quae in forma specifica approbata sunt, vi auctoritatis ipsis propriae tunc tantum infallibilitate pollent, si Romanus Pontifex in iis assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponit.

Lit. *Dom. a SS. Trinitate* Ord. Carm., Biblioth. Theologica, tom. 3 Romae 1668 l. 3 s. 6 c. 14 « Quantae sint authoritatis declarationes DD. Cardinalium », p. 732 « Prima conclusio » — 733 « Hinc fit primo ». — Ex eo fere ad verbum rem desumit *Card. Gotti* O. P., Theol. schol. - dogm. T 1 Bononiae 1747 qu. 3 Dub. 9 § 2 n. XII p. 207-9. — *Bouix*, Tract. de curia Romana, Parisiis 1859 Pars 3 c. 7 § 2 p. 471-83. — *Scheeben*,

Dogmatik I p. 248-51. — *Franzelin*, De Trad. Thes. 12 Principium VII p. 118-41. — *Granderath*, Zeitschrift für Kath. Theologie (1895) p. 623-50. — *Wilmers*, Prop. 72 p. 441-53. — *Ios. Mendive* S. I., Inst. Theol. dogmaatico-schol., Vallisoleti 1895 p. 377-82, 384-5. — *Pesch*, Theol. Zeitfragen 1900 p. 44-57. — *Lucien Choupin* S. J., Valeur des Decisions Doctrinales et Disciplinaires du Saint Siège, Paris 1913 p. 2 ch. 2 p. 50-95. — *Straub*, n. 963-69 tom. II p. 339-48.

Qual. Haec thesis a Mendive l. c. dicitur « certa et communis theologorum ».

Con. mat. — Postquam vim doctrinae ipsius Romani Pontificis consideravimus, ad aestimandam doctrinam eorum Collegiorum convertimus, quae Romanus Pontifex instituit, ut iis mediantibus Ecclesiam universalem gubernet. Quae dicuntur Congregationes Romanae.

Expl. term. — **Congregationes Romanae** definiri possunt : « Collegia minora Cardinalium, per Romanos Pontifices instituta ad certa negotia ecclesiastica discutienda et per vota maiora ordinarie etiam decisiva, non tantum consultativa definienda ». Wernz-Vidal II n. 482.

E Congregationibus Romanis sola Congregatio *S. Officii*, quae tutatur doctrinam fidei et morum, decreta doctrinalia edere potest. De qua cf. C. I. C. c. 247 § 1, 2 ; Wernz-Vidal n. 488. — E Commissionibus *Commissio Biblica*, quae a Leone XIII ad studia scripturistica promovenda instituta est, id proprii habet, quod Pius X Motuproprio « Praestantia » 18 Nov. 1907 Acta S. Sedis 1907 v. 40 p. 723-6 D. 2113, (eius) sententiis, sive emanatis sive emanandis ad doctrinam pertinentibus, eandem vim attribuit quae inest decretis aliarum sacrarum Congregationum ad doctrinam pertinentibus.

Prohibitiones librorum quae olim a *Congregatione Indicis* procedebant, inde a Benedicto XV vero a S. Officio fiunt, in nostra thesi in tantum comprehendimus, in quantum e circumstantiis aliquando manifestum est, prohibitionem factam esse non propter stilum acriorem, inopportunitatem, aliasve rationes similes, sed *propter ipsam doctrinam quae saltem ut non tuta* reprobata fuerit, eamque decreto doctrinali S. Officii aequivalere ; hoc

v. g. Pius IX supponit circa decretum prohibitionis quorundam librorum Günther, uti in obiectione 9 videbimus. Dico « e circumstantiis » ; quae enim ratio ad librum prohibendum impulerit, ipso decreto generatim non edicebatur.

Modum procedendi Congregationum Romanarum quod attinet, decreta eiusmodi ad doctrinam pertinentia et responsiones Comm. Bibl., sicuti plurima alia Congregationum decreta, *ab ipsis Cardinalibus* dantur, qui soli membra harum Congregationum sunt. Consilium autem peritorum hominum antea auditur.

Sola decreta ad doctrinam pertinentia hac thesi respicimus. *Caetera disciplinaria dicuntur.* Decretum disciplinare est v. g., si C. S. Officii hunc hominem ob certum crimen hac poena plectit, et si Comm. Bibl. determinat quae pericula subeunda sint ad laurea in S. Scriptura promerendam.

Approbatio in forma commnui, in forma specifica. Distinctio haec solemnis est inter iuristas, iam in Decretalibus Gregorii IX invenitur atque a Romanis Pontificibus in decursu temporum ad diversas leges atque decreta applicata est, quae a Superioribus ecclesiasticis, Romano Pontifici inferioribus, emanabant. De qua doctrina generali cf. Wernz I[2] n. 115 ; Literatura apud Choupin o. c. ch. 1 § 8 nota 2 e p. 76.

Confirmatio in forma communi 1) *non mutat naturam statuti confirmati*, sed in propria sua specie v. g. statutorum Capituli vel Synodi dioecesanae, decretorum Concilii Provincialis, decisionum SS. Congregationum relinquit . 2) « Neque valorem statutis tribuit, si illa forte sint invalida . 3) Unde, non obstante hac approbatione, « inferior legislator statutum mutare atque adeo abrogare non prohibetur . 4) Tantum « ... *extrinsecus ipsis conciliat maiorem auctoritatem* [valorem], quatenus *removet dubia* et oblocutiones et faciliorem reddit executionem ; v. g. *producit aliquam praesumptionem actus rite gesti,* vel maiorem securitatem partium, inter quas actus gestus est, vel *maiorem fiduciam Praelati*, qui ius suum exercet . Wernz l. c. n. 115. Quae praesumptio praecipue tunc magni momenti est, si decretum pro universo orbe valet atque in rebus magni momenti versatur.

Aliquando a dogmaticis diversis observatum est, finem prae-

cipuum, cur haec approbatio in forma communi uti necessaria statuta fuerit, esse eum, ut diligentia Congregationis in suo officio recte implendo acuatur, atque ita illud maiore cum fiducia suscipiatur. Wilmers p. 447.

Approbatio in forma specifica 1) « *transmutat decretum inferioris legislatoris,* v. g. Concilii prov. vel S. Congr. *in legem Superioris*, v. g. Romani Pontificis ». 2) Unde « si lex inferioris legislatoris ex sese non est valida, per confirmationem in forma specifica vim atque valorem obtinet ... ». 3) Lex inferioris legislatoris a Romano Pontifice in forma specifica confirmata non potest ab illo inferiore legislatore mutari vel abrogari... ».

Signa approbationis in forma communi. Ea sunt *verba*, *quibus nihil aliud quam approbatio,* etsi suprema auctoritate facta, exprimitur. Atque in dubio statur pro confirmatione in forma communi. — Neque ideo approbatio in forma specifica habetur, quod ipse Pontifex *iubet hoc decretum Congregationis publici iuris fieri,* idque in ipsa confirmatione edicitur, uti communiter fit. Eo enim quod iubet, Cardinales hoc et hoc sua, Cardinalium, auctoritate eloqui, non ipse illud eloquitur. Nam docere est loqui. Locutio autem est actus, quo quis directe conceptus suos, iudicia sua, ad alium dirigit.

Signa confirmationis in forma specifica sunt ea *omnia verba*, *quibus exprimitur, ipsum Pontificem esse qui decretum facit,* qui obligationem in rem iussam imponit atque proinde, quod ad decreta doctrinalia spectat, *ipsum esse qui Ecclesiam doceat.* E stilo curiae Pontifex decretum suum facere potest v. g. verbis : « motu proprio, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ». Clarissime etiam perspicitur ex eo, quod Cardinales ut *meri Consiliarii* adhibentur, ipse Pontifex solus ut decernens apparet. Ita v. g. Pius IX in ep. « Multiplices inter » 10 Iun. 1851, Acta Pii IX v. I p. 283, quo opus Francisci de Paula G. Vigil damnat. — *Neque inde decretum desinit esse ipsius Pontificis, quia illud forte Congregationi promulgandum committit.* Non enim ideo papa ipse Ecclesiae non loquitur, quia sua, papae verba non per se ipsum ad Ecclesiam defert, sed alium iubet sua, papae, verba ad Ecclesiam deferre.

Docemus autem, eiusmodi decreta **infallibilia non esse vi**

auctoritatis illis propriae. Non vero negamus, ea quae in talibus decretis continentur posse esse ex alio capite saepe infallibiliter vera.

Assensus vere talis, i. e. internus debetur. Opponitur is mero silentio obsequioso, quod solum quidam deberi putarunt.

Cuius assensus *obiectum formale quo est auctoritas illa sacra docendi Congregationum Romanarum ;* obiectum vero *formale quod res revelata vel cum revelatis quodam modo connexa.* — Ergo *neque* est assensus *scientiae sacrae*, sicut esset assensus datus conclusioni theologicae ob perspectam intrinsecam connexionem cum re revelata ; neque est assensus *fidei divinae* vel etiam *ecclesiasticae*, quippe qui praestari solum possit auctoritati infallibili ipsius Dei vel etiam Ecclesiae docentis, quam divina auctoritas infallibilem testatur. Unde capitur cur hic assensus dicatur **proportionatus auctoritati Congregationum Romanarum.**

Per se talem assensum postulari affirmamus ; concedimus enim, aliquando ob speciales circumstantias, idcirco per accidens, assensum eiusmodi ponendum non esse. Quod quando accidat, vide in Scholio.

Aδv. *Secundae parti* adversantur qui docent sufficere silentium obsequiosum. Erant v. g. *Iansenistae* et *nonnulli Gallicani*. Porro secundum persuasionem Cardinalis Franzelin, expressam in epistula quadam 19 Martii 1868, e qua partem publici iuris fecit P. Desjacques, Etudes religieuses v. 47 m. Iulii 1889 p. 354-9 in nota, *multi praecipue in Anglia, Gallia, Germania tunc temporis* idem censebant (p. 357 nota). Aliquando *practice agitur*, ac si obligatio sequendi doctrinas Congregationum non existeret. Ita Card. Merry del Val in epistula 22 Dec. 1922 (cf Act. Ap. Sed. 1923 p. 616-9) nomine Pii XI conscripta dolet, quod auctor quidam recentissimus ea habet, quae uti aliis quibusdam fontibus dogmaticis, ita decretis S. Officii et Pontificiae Commissionis de re biblica ... evidenter adversantur », quodque « nihil auctor curat, ut parum dicamus, decisiones Pontificiae Commissionis Biblicae ».

Modernistae docent, fideles *ad nihil*, ergo neque ad assensum internum *teneri* (Decr. « Lament. », N° 8 D. 2008) : « Ab

omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas *nihili pendunt* ».

Pars I. Decreta doctrinalia Congregationum Romanarum, si a Romano Pontifice in forma communi approbata sunt, vi auctoritatis ipsis propriae infallibilia non sunt, atque proinde assensum irrevocabilem imponere non possunt.

Arg. — *Romanus Pontifex infallibilitatem suam communicare non potest.* Atqui Collegium illud Cardinalium a quo illa decreta procedunt, non est Romanus Pontifex. Ergo infallibilitate non pollet. Ergo assensum irrevocabilem imponere nequit.

Probo ma.: Infallibilitas non habetur nisi in exercitio auctoritatis supremae supremo gradu exhibito. Atqui papa nequit facere ut quis, qui est eius subditus, simul auctoritatem supremam in supremo gradu exerceat. Eiusmodi persona simul esset subditus et caput supremum.

Obiectiones

Contra argumentum.

Ob. 1. — Secundum C. I. C. c. 7 omnes *Congregationes Romanae veniunt sunt ipso nomine « Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis » ;* imo teste Card. Lega, De iudic. t. II n. 285 p. 348 Acta earum dicuntur etiam " Acta Pontificia „, imo " edita a papa „. Ergo earum decreta sunt vere decreta papae. Ergo minor argumenti falsa est. — *R.* Dist. ma.: *sensu magis presso* i. e. ratione ipsius capitis Ecclesiae, n.; *sensu minus presso*, c., in quantum scilicet per ea " Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet „. C. I. C. c. 7.

Ob. 2. — Quae facit instrumentum, ea facit is, cuius est instrumentum. Atqui hae Congregationes *sunt instrumentum Pontificis.* Ergo. — *R.* D. ma.: instrumentum proprie tale, c; improprie tale, n. Contrad. mi. — *Expl.* Is non agit ut instrumentum proprie tale, qui *potestate sibi inhaerente,* imo ordinaria, *utitur ad aliquem effectum producendum.* Neque ideo fit instrumentum alterius, quia illam potestatem ab alio accepit. — Cf. Wilmers p. 443 et Rep. ad. Ob. 1.

Contra ipsam assertionem.

Ob. 1. — *Distinctio ista inter approbationem in forma communi et specifica est commentum saeculi 17*, inventum ad hunc finem, ut responsabilitas pro doctrina falsa, quam in causa Galilaei ipse papa protulit, ab ipso in alios devolveretur. — *R.* N. ass. Est distinctio antiqua generalis, ad diversas res applicata. Cf. Stat. quaest. Rep. p. 511.

Ob. 2. — *Concilium provinciale approbatum a papa infallibile est.* Ergo a pari decretum Congregationis approbatum. — *R.* Dist. antec.: approbatum in forma communi, n.; si approbatur *a*) in forma specifica, et *b*) insuper ita ut papa toti Ecclesiae assensum irrevocabilem imponat in ea quae Conc. prov. docet, c.. Pariter dist. consequens.

Ob. 3. — Iudicia doctrinalia in quaestionibus nondum eliquatis hodie *Sanctae Sedi reservantur.* Atqui hoc explicari nequit nisi eo, quod episcopi, Concilia provincialia errare quidem possunt, S. Sedis vero iudicia doctrinalia infallibilia sunt. — *R. C. ma. N. min.* Rationes huius reservationis aliae sunt, scilicet *maior securitas horum iudiciorum*, *facilior unitas* in omnibus quaestionibus ad fidem spectantibus. — Falsitas minoris etiam ex eo patet, quod beatificatio secundum hodiernam praxim S. Sedi reservata est, nihilominus generatim ea non ut infallibilis habetur.

Ob. 4. — *Veteres theologi insignes ex assensu praescripto ad infallibilitatem in praecipiente arguunt.* Ergo ex eorum mente omnia decreta doctrinalia Congr. Roman. infallibilia sunt. (Citantur Suarez, De fide, disp. 5 s. 6 n. 8; s. 8 n. 7, 8; Bellarm., De Eccl. l. 3. c. 17 arg. 3. — *R.* Dist. antec.: ex *omni assensu praescripto*, *n.*; *ex assensu fidei sive immediate sive mediate divinae* (*quam mediate divinam alii potius pro ecclesiastica habent*) *eoque per supremam et inappellabilem auctoritatem* praescripto, c. — Cf. plura Franzelin p. 128–30.

Ob. 5. — Illa decreta doctrinalia infallibilia sunt, a quibus appellari non potest. Atqui *a decretis Congregationum*, consensientibus Canonistis, *appellari non potest. Ergo.* — *R.* D. ma.: appelatione *in sensu theologico*, c.; *in sensu canonistico*, n. — Contrad. min.

Explico. — Appellatio in sensu theologico habetur, quandocumque quis a decisione auctoritatis inferioris recurrit ad auctoritatem superiorem, ut per eam decisio inferioris reformetur. Appellatio vero in sensu magis specifico, canonistico, diversa alia supponit, inter quae etiam illud est, appellationem hoc strictiore sensu intellectam tantum fieri posse a tribunali 1) in sensu stricto tali, 2) eoque inferiore, *ad tribunal superius, quod tamen ab ipso principe distinctum* sit. Quod si ad ipsum princi-

pem res defertur, non dicitur appellatio, sed recursus. Iamvero 1) Congregationes non sunt tribunalia in sensu stricto, cf. C. I. C. c. 242, etsi S. Officium de delictis quibusdam iudicat; 2) non habetur tribunal in Ecclesia quod esset a principe summo seu Romano Pontifice distinctum, et tamen *superius* tribunalibus Romanarum Congregationum, sed uti tribunalia suprema sunt, utique infra ipsum principem. Unde a decretis Congregationum appelari in sensu canonistico ad Romanum Pontificem pro reformatione sententiae non potest. Recursus tamen haberi potest, qui est appellatio in sensu theologico.

Ob. 6. — Decreta 11 Oct. 1861 et 2 Martii 1866 contra *Ontologismum sunt Decreta S. Officii in forma communi approbata. Atqui tamen considerabantur uti infallibilia.* Nam Card. Patrizi iussu Pii IX 30 Aug. 1866 episcopis Belgii scripsit, " per responsiones Sacrarum Congregationum S. Officii et Indicis tum anno 1864 tum anno 1866, Summi Pontificis auctoritate sancitas, *quaestionem* (hanc Lovaniensium) *fuisse definitam* „. Edicit praeterea: " Porro viri catholici, multo vero magis ecclesiastici, id muneris habent, ut decretis S. Sedis [intelliguntur etiam haec ipsa duo] *plene, perfecte, absoluteque* se subiiciant, e medio sublatis contentionibus, quae sinceritati assensus officerent „. Ergo decreta S. Officii ut talia infallibilia sunt, etsi tantum in forma communi confirmantur.

Responsio prima: C. ma.; n. min. et rationes additas. Etenim quaestio quae Lovanii agitata erat, in hoc consistebat: Professores quidam in Belgio, uti referebant episcopi Belgi ad S. Sedem, ep. 1 Aug. 1866, de decisione S. Officii hoc docebant: " Disciplinaris est, non doctrinalis; docere non possumus ea quae sunt reprobata, sed corde servare licet ea, quae publice docebamus „. Respondet ergo Cardinalis nomine Pontificis, *hanc quaestionem*, scilicet *num debeatur assensus internus, an sufficiat obsequium religiosum*, ipso decreto S. Officii fuisse decisam, finitam. Haec est ea subiectio, quae e verbis Cardinalis praestari debet " plene, perfecte, absolute „, quae verba explicantur aliis immediate subsequentibus: " e medio sublatis contentionibus [anterioribus, quibus disceptabatur, utrum assensus deberetur internus an tantum obsequiosum silentium] *quae sinceritati assensus officerent* „. Ergo assensus vere talis, sincerus postulatur; infallibilem, irrevocabilem postulari nullo modo dicitur. Unde formula subiectionis professorum in sequenti documento, quod " filialis obedientiae „ vocabant, haec erat: " Decisionibus S. Sedis Apostolicae die 2 Martii et 30 Augusti huius anni plene, perfecte, absoluteque me subiicio et ex animo acquiesco. Ideoque *ex corde reprobo* et reiicio quamcumque doctrinam oppositam „.

Accedit quod " forma ipsa responsionis, Cardinales devenisse in

hanc sententiam, in libris Professoris " " inveniri doctrinas [scilicet aliquas], quae sine periculo tradi non possunt „ „, a forma definitionum doctrinae et locutionis ex cathedra est alienissima „. Quae ipsae doctrinae ut periculosae pronuntiatae non valde determinate exhibentur. Quaedam, quae non nominantur, dicuntur " plane similes aliquot ex septem propositionibus, quas ... Suprema S. Officii Congregatio die 18 Septembris 1861 haud tuto tradi posse iudicavit „. Alias esse quae " caute minus quam fas esset, exponuntur. Ita declaranda potissimum essent et emendanda „ quae de traducianismo et vitae principio in homine dicantur.

Responsio usque nunc data ea est quae a Franzelin [2] p. 131-6 amplius exponitur, quamque plurimi sequuntur. Ea omnino praeferenda videtur.

Responsio secunda: *C. ma.*, agi de decretis in forma mere communi approbatis; *dist. min.*: et haec decreta *infallibilia* erant vi auctoritatis ipsis propriae, n.; in casu, *ratione materiae* " pro rebus deposito fidei sat clare comprehensis „, non tantum internum, verum etiam irrevocabilem assensum imponere poterant, c.. Hoc probabile habet Granderath, Zeitschrift f. kath. Theol. 1895 p. 640. Ita forte rem se habere insunuat quoque Straub n. 967.

Responsio tertia: *N. ma.* Habetur definitio ex cathedra, idque ob ipsam formam approbationis, si recentiorem stilum curiae Romanae consideramus: " Sanctissimus sua suprema auctoritate confirmavit et promulgari mandavit „. Ita Scheeben, Dogmatik I p. 250. — Quam rationem non valere iam vidimus.

Ob. 7. — Decreto Indicis 8 Ian. 1857 inter 11 libros 9 a Günther conscripti reprobantur; in fine habetur *clausula consueta* " Sanctitas sua decretum probavit et promulgari mandavit „. *Nihilominus* Pius IX 15 Iun. 1857 scripsit: " Quod quidem decretum Nostra auctoritate sancitum Nostroque iussu vulgatum *sufficere plane debebat*, *ut quaestio omnis penitus dirempta censeretur* et omnes, qui catholico glorientur nomine, clare aperteque intelligerent, sibi esse omnino obtemperandum, et *sinceram haberi non posse doctrinam Güntherianis libris contentam*, ac nemini deinceps fas esse doctrinam in libris traditam tueri ac propugnare et illos libros sine debita facultate legere ac retinere „. E quibus verbis eadem difficultas oritur, quae e decretis contra Ontologismum hauritur. — *R. Eaedem tres diversae responsiones* ab iisdem auctoribus propositae sunt. — Quoad priorem cf. Franzelin [2] p. 130-1, quoad secundam Granderath p. 644 et Straub n. 965, quoad tertiam Scheeben p. 250. Granderath p. 644 ad id attentos nos reddit, doctrinas etiam Güntherianas tantum in genere reprobari, nulla in specie nominata, quae tamen certe non omnes reiciantur. Quam indeterminationem a locutionibus e cathedra exulare.

Pars II. — Decreta doctrinalia Congregationum Romanarum, quae in forma communi approbata sunt, merito sibi postulant assensum internum religiosum auctoritati earum proportionatum.

Argumenta externa.

Arg. 1. — Ex auctoritate Romanorum Pontificum. — Solent auctores provocare ad doctrinam *Pii IX* 1863 in ep. ad archiepisc. Monacensem D. 1684. Postquam n. 1683 locutus erat de subiectione erga definitiones Conciliorum oecumenicorum aut Romanorum Pontificum ordinariumque magisterium Ecclesiae per orbem dispersae, ita pergit: « Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem conventus [theologorum] viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata [de quibus scilicet Pontifex n. 1683 locutus erat] recipiant ac venerentur, verum etiam *opus esse, ut se subiiciant cum decisionibus, quae ad doctrinas pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates* et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram ».

E quo textu argumentum hoc modo fieri posse videtur: 1) *Pontificiae Congregationes sumuntur uti tales* non in quantum eorum decisiones factae essent ipsius papae; etenim data opera n. 1683 distinguuntur a « Romanorum Pontificum huiusque Sedis decretis ». — 2) Docetur, *internum assensum* iis deberi. Nam *a*) eadem vox « se subiiciant » adhibetur relate ad decreta Congregationum et ad consensum catholicorum in veritates theologicas. Atqui his debetur assensus internus. Ergo. *b*) Finis illius subiectionis premitur is, ut docti suis scriptis Ecclesiae *utilitates novas afferant*. Iamvero eiusmodi utilitas nonnisi e *labore eo-*

rum mentali proficiscitur, hic vero ipse ordinarie nonnisi ex adhaesione quadam interna in veritates quasdam enascitur, e quibus ad alias progrediatur.

Leo XIII 1 Iun. 1889 in epistula « Litteris ad Te » ad archiep. Mediolanensem laudat eius curas, ut decretum de doctrinis Rosminianis « *sincero ac prompto, uti catholicae Ecclesiae filios decet, mentis et voluntatis obsequio* ab omnibus e clero populoque tuo *exciperetur* ». Acta Leonis XIII v. 9 (1889) p. 113. Quae verba sane de silentio obsequioso, dissentiente plene intellectu, explicari nequeunt.

Card. vero Secretarius S. Officii in epistula 7 Mart. 1888 ad omnes orbis episcopos singulos monet: « si qui forte sint in ista dioecesi, qui illis [doctrinis damnatis] adhuc *faveant*, eos ad S. Sedis iudicium *docili animo* recipiendum inducere studeas ». Acta S. Sedis v. 20 p. 397. Cf. quoque modum, quo 25 Ian. 1882 Leo XIII in epistula « Cognita Nobis » ad archiepiscopos et episcopos provinciarum ecclesiasticarum Mediol., Taurin., Vercell. animos ad docilem receptionem futurae in hac re decisionis praeparaverat. Acta Leonis XIII v. 3 (1882-3) p. 6-10.

Arg. 2. — Ex auctoritate theologorum.

a) *Theologi veteres* v. g. statuerunt *Concilia provincialia argumentum in theologia probabile facere,* etsi auctoritate S. Sedis tantum in forma communi confirmata sunt. Cf. v. g. M. Cano l. 5 c. 5 Conclusio 6; Bellarminus de Eccl. l. 2 c. 10; Suarez, De fide disp. 5 s. 7 n. 3. Iamvero auctoritas Congregationum Romanarum non est minor, sive elementum humanum respiciamus, sive providentiam Dei. (Cf. argumentum pro hac 2ª parte quod e ratione interna mox afferemus). Ergo etiam ipsa argumentum aliquod facit. Ergo assensum aliquem internum postulare potest. — Simili modo argui potest ex ea doctrina, quam optime exponit v. g. Suarez ib. disp. 19 s. 6 per totum, posse adesse culpabilem internam pertinaciam, etsi non agatur de eiusmodi doctrinis v. g. doctorum omnium negandis, in quibus non intercedat infallibilis auctoritas Ecclesiae.

b) *Theologi recentiores* in diversis terris sat communiter hanc doctrinam proponunt.

Argumentum internum.

Is merito sibi postulat assensum internum religiosum ab omnibus praestandum, qui habet *auctoritatem docendi sacram pro omnibus constitutam. Atqui talem habent* Congregations Romanae. Ergo.

P. min. Eam auctoritatem constituunt 1) *elementum naturale,* quod constat *a*) *veracitate* et *probitate* docentium, qua fallere nolunt. Haec enim in Cardinalibus atque iis consultoribus, quibus auctore Romano Pontifice, utuntur, sane merito supponitur; *b*) debita *scientia;* etiam haec generatim praesumenda est, cum peritorum accurata et sat diuturna inquisitio decisiones doctrinales Romanarum Congregationum praecedere soleat. — 2) *Elementum praeternaturale* in speciali providentia divina consistit. Etenim Deus speciali providentia ea moderari solet, quae maximum momentum pro universali Ecclesiae bono habent. Atqui ad talia pertinent decreta de sacra doctrina ad universalem Ecclesiam spectantia, quam ut proponant Romani Pontifices Congregationibus istis facultatem dederunt. Ergo ea providentia, quae Romanum Pontificem gubernat, si Ecclesiam universam auctoritative, etsi non e cathedra docet, etiam ad Congregationes istas, etsi minori quodam gradu extenditur. Eae enim quam maxime, quantum in inferioribus fieri potest, Romano Pontifici in hac potestate docendi similes sunt.

Pars III. — Eiusmodi decreta, si per approbationem in forma specifica in decreta ipsius Pontificis transmutata sunt *a*) maiore sane auctoritate praestant *b*) nihilominus infallibilitate tantum tunc pollent, si Romanus Pontifex in iis assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponit.

Eiusmodi decreta *maiore auctoritate* pollent. Etenim merito assumitur, providentiam divinam magis efficaciter regere actus docendi ipsius capitis Ecclesiae, quam actus Congregationum ipsi subditarum; maioris enim dignitatis illi sunt prae his.

Tamen *tantum sub ea conditione*, vi auctoritatis ipsis his decretis propriae, *infallibilitate pollent, si in ipsis assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponit.* Nam, uti vidimus Rep. p. 462,

Romanus Pontifex non in omni actu infallibilis est, quo universam Ecclesiam *quocumque modo* docet, sed tantum si ex cathedra loquitur, ex cathedra vero tantum tunc loquitur, quando toti Ecclesiae *assensum irrevocabilem* imponit.

Cor. — Vidimus *assensum internum postulari per se. Quid per accidens liceat*, Straub n. 969 tom. II p. 347 ita exponit: Fieri potest per accidens ut « edictum alicui appareat sive certo falsum sive rationi tam solidae, saltem incognitae necdum diiudicatae edicti conditoribus, oppositum, ut vis rationis huius pondere auctoritatis sacrae neutiquam elidatur. Age, quoniam rationabile obsequium deposcitur, si accidat illud, licebit dissentire, sin alterum, licebit sive suspendendo assensum dubitare, sive etiam sententiam ab edicto sacro discrepantem adhuc probabilem existimare; nec tamen pro reverentia auctoritatis sacrae, fas erit publice contradicere, praesertim ipsi Pontifici supremo nisi forte ad lumen maius quaestioni nondum peremptorie definitae afferendum potestas sacra ipsa id permittit; sed silentium servandum est, quod obsequiosum vocant, vel difficultas tribunali sacro modeste exponenda est vel ad tribunal altius iudiciumque infallibile recurrendum. Ceterum lapsus in edictis sacris rarissime inveniatur, et exceptio ipsa erroris commissi a Congregationibus Romanis in causa Galilaei quam maxime regulam firmat. Unde quisque videat, ne praeoccupatus amore opinionis suae se ipse libere decipiat, rationem duram Domino scrutatori cordium redditurus ».

Schol. **Nomen** quod attinet, auctoritas quae convenit decretis Congregationum Romanarum, apte cum Card. Franzelin p. 128 dicitur **auctoritas** *universalis providentiae ecclesiasticae*, *vel* **universalis providentiae doctrinalis.** Etenim ea auctoritas providet doctrinae, attamen sine infallibilitate, unde mere generice dicitur *providentiae doctrinalis*; idque in tota Ecclesia, unde recte auctoritas providentiae doctrinalis *universalis* vocatur.

Art. 2. — De infallibilitate corporis episcoporum.

Propositio 22. — Episcopi singuli in suis dioecesibus eorumque synodi particulares in suis regionibus authentice quidem, at non infallibiliter docent. Nihilominus aliquando e doctrinis sive partis episcoporum sive synodorum infra oecumenicam argumentum infallibile hauriri potest.

Lit. — *Cano* l. 5 c. 4, 4ª usque ad 7ᵐ concl. p. 152-5. — *Bellarm.,* De Concil. l. 2 c. 10 col. 1095-7. — *Gravina*, Cathol. Praescript. tom. 4 pars 2 disp. 3 art. 3 dub. 2 appendix p. 400-2. — *Dominicus a SS. Trin.,* Bibl. theol. l. 3 s. 5 c. 8 tom. 3 p. 637-8. — *Liberius a Iesu,* Controv. tr. 7 pars 3 disp. unica, contr. 5 tom. 5 col. 777-90. — *Bened. XIV*, De synod. dioec. l. 13 c. 3 n. 1-5. — *Bouix*, De Episcopo, pars 5 c. 6 p. 81-3. — *Mendine,* Theol. dogm.-schol. p. 382-6. — *Straub* n. 1064.

Expl. term. — *Authenticum* hic vocamus eum doctorem, qui docet *a*) vi muneris *b*) ita ut assensum in ea quae docet vi auctoritatis muneris suae propriae imponere possit. (Cf. p. 424 Schol. II). Patet *non esse sermonem de episcopo uti doctore privato*, si v. g., cum doctus theologus sit, librum conscribit, ut talis enim nullum assensum imponere potest; sed de eo agimus, in quantum publice, i. e. *vi muneris publici*, i. e. episcopalis docet, id quod v. g. facit eo quod litteras pastorales conscribit, aliquam doctrinam praedicari vetat, etc. — De episcopo *propriam dioecesim* docente loquimur; extra eam enim nullam regendi vel docendi potestatem habet.

Inter *synodos* quae infra oecumenicam sunt, hodie praecipue considerantur provinciales, quae sunt episcoporum unius provinciae ecclesiasticae, et plenariae, quae sunt episcoporum diversasum provinciarum ecclesiasticarum (Cf. C. I. C. c. 281-92). Plenarias in 6 species dividit Wernz - Vidal II n. 533 nota 2.

Cum thesi 10 de munere docendi episcoporum generatim sumpto iam egerimus, hic premimus, eos posse *assensum internum* etsi non infallibilem in ea imponere, quae auctoritate muneri suo propria docere possunt.

Pars I. — Episcopi sive singuli in suis dioecesibus sive in synodis infra oecumenicas collecti doctores authentici sunt.

A. Quoad episcopos singulos.

Arg. 1. — Vi institutionis divinae *episcopi singuli* in dioecesibus suis *regunt*. Atqui potestas regendi ecclesiastica extenditur ad imponendum assensum (Cf. Rep. Ass. 4 p. 424-6). Ergo.

Arg. 2. — Caput „Ad abolendam„, de quo in Ass. 11 Rep. p. 444, supponit, *singulos* episcopos in suis dioecesibus *haereticos excommunicare posse*. Atqui eiusmodi potestas secundum Bened. XIV De synodo l. 6 c. 3 n. 8 magisterium authenticum supponit.

Arg. 3. — Indoles universi magisterii ecclesiastici ea est ut sit authenticum. Atqui si soli ii, qui aliquando definitiones solemnes edunt, authentice docerent, idque eo solum tempore quo tali modo docent, usus authentici magisterii, qui Ecclesiae essentialis est, nimium ut videtur restringeretur.

Ob. 1. — *Cardinales S. Officii* authentice docent. Atqui ita *docere nequeunt, nisi in quantum collegialiter docent*, non si unus tantum doceret. — Cf. Wernz-Vidal II n. 483. Ergo forte idem in episcopis supponi potest. — *R.* N. paritatem. Romanus Pontifex potestatem suam providentiae universalis doctrinalis nonnisi collegialiter docentibus commisit; Christus vero potestatem providentiae doctrinalis particularis singulis episcopis commisit.

Ob. 2. — In hoc ordine ecclesiasticae infallibilitatis activae *idem est ordo infallibilitatis qui est ordo iurisdictionis in imponenda doctrina.* Atqui episcopi singuli, uti mox videbimus, infallibiles non sunt. Ergo neque habent potestatem auctoritative docendi. — *R.* D. ma.: In quantum *a)* non habetur vi muneris a Christo instituti infallibilitas activa, ubi non habetur potestas docendi authentice; et *b)* in quantum ubi habetur potestas authentice docendi supremo modo seu inappellabiliter, ibi etiam habetur infallibilitas, c.; in quantum ubicumque habetur aliqua potestas authentice docendi, ibi etiam necessario adest infallibilitas, n.

Cor. 1. — Ergo episcopus in sua dioecesi *legem fidei ab universali Ecclesia latam* etiam eo *urgere* potest, quod assensum fidei in rem tali modo definitam imponit (Cf. Ass. 11 Rep. p. 444-6). Praeterea multa alia potest quoad doctrinam, quae v. Wernz-Vidal l. c. n. 599 p. 626-7.

Cor. 2. — *Pro veritate doctrinae episcopi authentice docentis habetur praesumptio iuris.* Etenim *a)* Christus episcopis officium dedit, ut dioeceses suas doceant. *b)* Videbimus, consensum episcoporum *omnium* a doctrina Pontificis discedere non posse. Iamvero nemo supponi debet ab eo consensu deficere. — Haec autem praesumptio rationibus contrariis elidi potest.

Cor. 3. — Auctoritas episcopi authentice docendi *non se extendit ad imponendum assensum internum,* etsi non irrevocabilem, *in eiusmodi rebus quae inter catholicos auctores controvertuntur.* Obstat, uti habet Hurter, Theol. Dogm. v. I ed. 12 n. 516 p. 554 « *gravitas* » negotii, cuiusmodi est controversia de fide, *universalitas* negotii, fidei enim causa universalem spectat Ecclesiam, in qua una eademque vigere debet fides ; *unitas* fidei, quae nimis facile laederetur, si episcopus quivis seorsim ab aliis in controversiis fidei authentice iudicare posset ». Etenim, uti habet Bouix, De episc. 1873 t. 2 pars 5 c. 6 prop. 3 p. 83 : « domicilium mutantes, i. e. ex una in aliam dioecesim migrantes, tenerentur simul sententiam mutare ». Caeterum hanc doctrinam communiter auctores tradunt, inter quos Bened. XIV. De synod. l. 7 c. 11 n. 2.

B. Quoad synodos infra oecumenicam.

Arg. 1. — **E natura rei.** — Cum adunatio in eiusmodi concilia sane nihil potestatis episcopis adimat, patet ea quoque assensum internum imponere posse. Imo eorum auctoritas in tali assensu imponendo accidentaliter crescit. Etenim primo crescit elementum humanum in eam influens, ob maiorem numerum docentium et perfectiorem, uti praesumendum est, inquisitionem. Deinde providentia divina eo rarius permittet errores, quo perniciores essent et quo ampliores sunt regiones, quibus illa Concilia leges dant.

Arg. 2. **E documentis positivis.** Haec ita complectitur B. Bellarmino de Conc. l. 2 c. 10 : « Quod autem Concilium particulare non expresse confirmatum, faciat argumentum adeo probabile, ut temerarium sit ei non acquiescere, planum est. Primo, quia in VII Synodo, act. 3 et in VIII Synodo, act. ult. can. 1 honorantur Synodi locales, et suscipiuntur, nec fit mentio

ibi confirmatorum, vel non. Secundo, quia plurima horum Conciliorum ut Toletana, Bracharentia, Arelatensia, Hispalensia etc. videntur, ipso usu Ecclesiae quodammodo probata. Tertio, quia si aliquot sancti Patres casu in eandem sententiam convenientes, faciunt argumentum probabile, quanto magis L. aut LX. Episcopi simul convenientes et invocato Spiritu, aliquid communi consensu statuentes? »

Pars II. Neque Episcopi singuli neque synodi particulares infallibiles sunt.

A. Quoad episcopos singulos.

Arg. 1. — **E Scriptura.** — Infallibilitas singulorum *a*) non probatur ex loco Mt. 28, 20, quippe qui iam eo verificatur, quod apostoli simul sumpti unitique cum capite eorum, Romano Pontifice, infallibiles sunt.

b) Positive excluditur Act. 20, 30, ubi S. Paulus ad eos quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ait: Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se ».

Arg. 2. **E factis historicis.** Multi qui semper in Ecclesiae communione manebant, falsa greges suos docuerunt, uti S. Cyprianus necessitatem rebaptismatis haereticorum; quidam etiam haeresiarchae, uti Paulus Samosatenus, Nestorius, Dioscorus, haereses suos adhuc episcopi gregibus suis proposuerant.

Arg. 3. **E doctrina Ecclesiae.** In Bulla Auctorem fidei » contra Pistoriensis n. 6 D. 1506 legitur: « Doctrina Synodi, qua profitetur, persuasum sibi esse episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis *necessariae non sint superiores ordinationes [scilicet quam episcoporum] spectantes* sive *ad fidem et mores* sive ... schismatica, *ad minus erronea* . Iamvero si singuli episcopi infallibiles essent, ordinationes generales Pontificum et Conciliorum relate ad fidem et bonos mores non possent dici necessariae.

Ob. 1. — Episcopi singuli sunt successores apostolorum. Atque apostoli singuli infallibiles erant. Ergo *R.* Dist ma.: in quantum apo-

stoli erant (primi) episcopi, c.; *in quantum* episcopi *munus extraordinarium apostolorum haberent*, n.. Contrad. min.: in quantum erant (primi) episcopi n., apostoli, c..

Ob. 2. — *S. Ignatius Antiochenus* inter alia ad Philadelphios c. 2 scribit: "... fugite divisionem et pravas doctrinas; *ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini*„. Cf. c. 3. Item cum ad Trallianos c. 6 et 7 monet ab haereticis se custodire, adiungit c. 7: " Hoc autem fiet, si nec inflati nec avulsi fueritis a Deo Iesu Christo et episcopo et praeceptis apostolorum „. Ad Ephesios c. 3 et 4 monet: " uniamini in sententia Dei (γνώμῃ). Etenim Iesus Christus inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et episcopi per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt. Unde *decet vos in episcopi sententiam concurrere...* „ *c. 4.*

Certo duobus prioribus locis et, ut videtur, etiam tertio *S. Ignatius ut remedium certum contra haeresim doctrinam singulorum episcoporum sequendam praescribit.* Ergo singulos infallibiles habet.

R. S. Ignatius infallibilitatem singulorum episcoporum sive tradit sive supponit, n.: *magisterium authenticum eorum inculcat, nixus* tum *praesumptione* orthodoxae eorum doctrinae, quam locum non habere ratio nulla suadebat, tum in *cognitione,* ut omnino videtur *personali,* quam S. Martyr de perfecta orthodoxia illorum omnium episcoporum habebat, quos commemorat, c. Haec sufficienter locos illos explicant.

Perfecta vero illa personalis cognitio his inter alia breviter *illustratur.* Septem sunt S. Ignatii epistulae. Ep. ad Romanos hic in quaestionem non venit, cum Romani episcopum fallibilem non habeant. Ep. ad Smyrnaeos de columna illa orthodoxiae, celeberrimo S. Ioannis discipulo, S. Polycarpo, agit, quocum S. Martyr in ipso itinere versatus erat, cui etiam unam e septem epistulis scripsit. Item Philadelphiae cum huius oppidi episcopo egerat (Cf. ad Philad. c. 1; 3, 1; 7, 1. Funk, Patres Apostolici ed. 2 Prolegomena p. LVIII). Episcopi autem Ephesi, Magnesiae, Trallibus constituti quales fuerint, saltem ex legatis harum ecclesiarum rescire potuerat, quibus epistulas iis ecclesiis destinatas tradidit. Agebatur autem de haeresi Iudaizantium et Docetarum, vel forte Docetarum Iudaizantium.

Ob. 3. — In c. " Ad abolendam „, cuius textum v. Rep. p. 444, ***Pontifex*** *singulorum episcoporum iudicia de haeresi, suprema sua auctoritate confirmat.* Ergo singuli episcopi saltem in doctrina de haeresi infallibiles sunt. — *R.* Dist. antec.: Pontifex confirmavit iudicia episcoporum theoretica de haeresi, n.; *condemnationem huius vel illius hominis* uti pertinacis assertoris haereseos, sd.: Pontifex ea *confirmavit* mediante iudicio theoretico sive e cathedra pronuntiato sive pronuntiato omnino, n.; mediante iudicio practico particulari, i. e. *inflictione eiusdem poe-*

nac eidem homini facta, iterum sd.: *conditionate*, i. e. supponendo, per praesumptionem per se faciendam, condemnationem esse rite factam, quae praesumptio tamen, per rationes convincentes in contrarium, destrui possit, c.: absolute, i. e. ut absolute certum sive asserendo sive supponendo, punitionem esse rite factam, n. — *Expl.* 1) Sensus in obiectione insinuatus manifeste et ipso textu et doctrina eius temporis excluditur. Ipso textu: cum papa etiam confirmet excommunicationem latam a clericis sede vacante iudicantibus; quibus tamen nemo infallibilitatem ascripserit. Doctrina temporis: cum certo episcopi tunc temporis infallibiles non haberentur. 2) Distinctio proposita omnia in textu sufficienter explicare videtur. — De diversis explicationibus huius capitis v. Melchior Cano, De locis theol. l. 5 c. 5, Postrema conclusio fere usque ad finem.

B. Quoad synodos infra oecumenicam.

Arg. 1. — **E ratione theologica** ita arguit B. Bellarmino ib. de Conc. l. 2 c. 10: « ... cur Concilia generalia [i. e. oecumenica secundum modum loquendi Bellarm. et multorum] errare non possint, duplex est causa praecipua: Prima, quia Concilium generale totam Ecclesiam repraesentat, et ideo ipso errante tota Ecclesia erraret; Secunda, quia Concilium generale non fit sine summo Pontifice, pro quo Christus oravit, ut non deficeret fides eius: At nulla harum causarum locum habet in Concilio particulari [i. e. non oecumenico] ».

Arg. 2. — **E factis historicis.** — V. g. falso docuerunt invaliditatem baptismatis per haereticos administrati Conc. Carth. sub Agrippino (c. 220); Conc. Iconii in Phrygia (c. 230) multorum episcoporum e Galatia, Cilicia et caeteris provinciis vicinis; item aliud eodem fere tempore Synadae in Phrygia; Concilia Carthageniensia sub S. Cypriano episcoporum 31 (255), aliud (256) ep. 71, tandem aliud ep. 87 (ut videtur item 256), quorum multi erant martyres et Confessores. — E posterioribus temporibus recordare v. g. errorum Concilii Trullani seu Quinisexti c. 200 ep. (692), de quibus Rep. propos. de Conc. oecum.

Pars III. — Nihilominus aliquando e doctrinis sive partis episcoporum sive synodorum infra oecumenicam argumentum infallibile hauriri potest.

a) Hoc saepe factum est **quoad synodos infra oecumenicam**, eo quod eorum doctrinae « *partim consuetudine, partim expressa approbatione Romanorum Pontificum* ... universaliter receptae sunt. (Wernz I n. 203).

Etenim primum si obtinet patet eas infallibiliter veras esse, quippe cum Ecclesia universalis nihil nisi vera credat.

Item si secundum locum habet. Expressa enim approbatio intelligitur ea, qua Pontifex doctrinas illas et suas facit et eas universae Ecclesiae peremptorie imponit. Hoc autem, uti habet B. Bellarmino l. c. de Conc. l. 2 c. 10 duobus modis fieri potest, si scilicet eae doctrinae aut proponuntur « ex commissione Apostolicae sedis » aut ab ea postea « confirmationem accipiunt ». Etiam uterque modus simul haberi potest.

Priore modo v. g. Felix IV Concilio Arausicano II (529) saltem maiorem partem doctrinarum docendarum indicavit (cf. Hefele II p. 725-6), quas 539 Bonifacius II etiam approbavit (ib. p. 737) ; item Leo I in ep. 15 M L 54, col. 678-92 capitula 16 Priscillianistarum condemnanda edixit, ne scilicet (ut habet c. 780) « aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur aut dubium » (cf. Hefele II p. 306-8 ; canones Concilii Mansi III 1002-4).

Secundo modo v. g. Innocentius I canones Conc. Carthagin. (416) et Milevitani (eiusdem anni) ita approbavit, ut ob eam S. Augustinus celeberrima verba pronuntiaret : « Causa finita est, utinam finiretur et error » (cf. Hefele II p. 113-4 et praecipue Thomassinus, Dissertationes in Concilia gen. et part., Parisiis 1667, diss. 9 in Conc. Carth. et Milev.).

Ob. 1. — Inde a bulla Sixti V " Immensa „ *omnia Concilia provincialia*, etiam Orientis, antequam valide vel promulgari possint, a S. Sede *approbentur necesse est.* Atqui Concilia etiam infra oecumenicum a S. Sede approbata infallibilia sunt. *Ergo* inde a Sixti V. bulla omnia Concilia provincialia *praerogativa infallibilitatis gaudent.*

R. D. ma.: *in forma communi, c.*; *specifica*, n. — Cd. mi.: approbata in forma communi, n.; specifica sd.: si praeterea ad totam Ecclesiam ut peremptoria extenduntur, c.; si hac non fit, n.

Expl. — Sixtus V praescripsit *recognitionem*, eamque non per ipsum Romanum Pontificem sed per S. C. aut Concilii aut de Prop. F. faciendam. Quae " recognitio est correctio atque censura, qua expenditur, numquid fortasse in iisdem actis et decretis aut vigenti iuri contrarium aut nimis rigidum aut minus rationi et iustitiae atque aequitati canonicae congruum actum vel statutum reperiatur. Huiusmodi correctio ... sane non efficit, ut decreta Concilii transformentur in decreta pontificia et ad universalem Ecclesiam extendantur, vel ut omnia et singula in actis relata et in decretis statuta, si forte aliqua sint falsa vel invalida, suprema auctoritate approbentur aut valida reddantur ... est testimonium authenticum Superioris competentis Concilium rite fuisse convocatum et celebratum neque in decretis correctione facta aliquid reperiri censura dignum. Inde fit, ut decreta illa etsi maneant decreta Concilii, tamen facilius executioni mandentur et ab impugnationibus magis sint immunia ". Wernz-Vidal II n. 540 p. 573-4. Vides, hanc recognitionem quoad rem non esse aliud atque approbatiotionem in forma communi de qua egimus thesi 21 Rep. p. 511, datam autem non ab ipso Romano Pontifice, sed a Sede Romana latiore sensu intellecta (C. I. C. c. 7).

Ob. 2. — Haud pauca *Conc. provincialia veram approbationem, a recognitione distinctam*, obtinuerunt, de quibus cf. Bened. XIV De syn. dioec. l. 13 c. 3 n. 4. V. g. de Ebredunensi (Embrun) 1727 habito Bened. XIII edixit, illud " collaudamus et comprobamus nostraeque auctoritatis subsidium et robur adiicientes plenissime confirmamus " (Ita Mansi t. 37 col. 812). — *Imo* paucissima quaedam *Concilia infra oecumenicum*, uti Synodus Zamosciae habita 1720 ob unionem Ruthenorum obtinendam, synodus provinc. Montis Libani (1736), a R. P. in forma specifica confirmata esse generatim dicuntur. Probationes tales sunt: V. g. Ben. XIV 1471 in Brevi " Singularis Romanorum " edixit: " Synodum huiusmodi [Montis Libani] omniaque et singula in ea, ut praemittitur, edita statuta, decreta, ordinationes et canones, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus ". Col. Lac. t. 2 col. 491. Eadem edixerat Bened. XIII col. Lac. II col. 3 1724 de synodo Zamosciensi in Brevi " Apostolatus officium ". Ergo sane infallibilia sunt in iis quae fidem et mores spectant.

R. C. ma. quoad illa ultima; trans. quoad caetera. N. vero consequentiam, illam approbationem in forma specifica secum ferre extensionem illarum legum ad universam Ecclesiam, id quod ad leges infallibi-

les fidei et morum necessarium sane est. Cf. Suarez, De leg. l. 4 c. 6 n. 2; Bened. XIV, De syn. dioec. l. 13 c. 3 n. 5. Unde minus recte v. g. Scheeben I l. 1 n. 571–3 approbationem Concilii Ebredunensis approbationi conciliorum contra Pelagianos aequiparat atque omnia Concilia ita confirmata infallibilia habet.

b) Unum solum videtur haberi exemplum, **episcopalem sententiam**, quae utique multis suffragantibus doctoribus in theol. et iure can. probata erat, *Pontificio infallibili oraculo fuisse comprobatam*. Scilicet sententiam Alphonsi Carillo Achiepiscopi Toletani 1479 latam contra errores Petri de Osma (quos v. D. 724-33) Sixtus IV 1479 ita confirmavit. Cf. du Plessis d'Argentré, Coll. Iudiciorum tom. 1, II 1728 p. 298-302.

Propositio 23. — Magisterium Ecclesiae docentis per orbem sparsae, cum tradit ea quae a Catholicis certo tenenda sint, infallibile est.

Lit. — *Melchior Cano*, De loc. theol. multa in l. 4. — *Stapleton*, De principiis fidei doctrinalibus, controversia II, l. 5, Op. omnia Paris 1620 t. I p. 160-98; contr. 4 l. 8-18 p. 272-95. — *B. Bellarmino*, De Eccl. l. 3, c. 14, 16, 17. — *Banez*, in 2, 2 q. 1 a 10. Dub. 3 « tertia conclusio ». Ed. Ven. 1587 p. 409-14. — *Tournely*, De Eccl. qu. 3 art. 4 et 5 p. 186-230. — *Wilmers*, prop. 69, 70 p. 402-9. — *Tepe*, prop. 63 p. 497-502. — *Scheeben*, I n. 102-105 p. 62-4; n. 143-50 p. 80-83. — *Franzelin*, De Trad.¹, th. 8-9 p. 60-83. — *Berthier*, De loc. th. n. 377-84 p. 341-48. — *Palmieri*, § 26-8 p. 173-82. — *De San*, De Trad. et Scriptura, prop. 1 p. 19-43.

Expl. term. — *Ecclesia docens* intelliguntur 1) *episcopi* ii qui dioecesibus praesunt, iique soli, non vero ii qui mere consecrati sunt; 2) uti docentes in *consensu* caeterorum episcoporum in unanimitate scilicet morali, qua relátive pauci a caeteris dissentiant; 3) in consensu cum Romano Pontifice, qui simul cum iis doceat; de cuius consensus natura intima postea agetur.

Episcopi *per orbem sparsi* hic opponuntur episcopis in quantum in Concilio universali adunati sunt. Considerantur, in quantum ordinario, cotidiano magisterio dioeceses, vel in Con-

ciliis infra oecumenicum adunati ampliores partes Ecclesiae instruunt.

Sufficit consensus episcoporum *unius aetatis*. Cfr. Franzelin l. c. th. 9 Cor. 1 p. 81-2. Id quod ex argumentis ipsis patebit.

Qual. — De fide divina catholica, si de propositione veritatem revelatarum agitur. Imo, uti in Arg. 3 videbimus, haec veritas supponitur in definitione Vaticani D. 1792.

Adv. — Omittimos eos, qui etiam alios praeter episcopos regentes pro doctoribus in Ecclesia divinitus institutis habent.

E *Jansenistis* et *Gallicanis* 1) Quidam errant circa *ipsum subiectum* docens. *a*) Sunt qui *solum Concilium universale* infallibile censeant. *b*) Sunt qui *physicam* omnium episcoporum dispersorum ad unum usque *unanimitatem* requirant.

2) Quidam errant eo quod *aliquam conditionem ut essentialem* consensui unanimi opponunt, quae ei essentialis non est. *a*) Secundum quosdam eiusmodi conditio se tenet e parte *consensus*, scilicet statuunt, non sufficere consensum implicitum, sed necessarium esse *expressum*, v. g. per epistulas ad Romanum Pontificem missas, quibus decretis eius adhaereretur. *b*) Quidam apponunt conditionem *ex parte obiecti propositi*, illud scilicet debere esse rem *fidei divinae iamiam manifeste in Ecclesia creditam*, v. g. divinitatem Christi. *c*) Quidam conditionem ex parte *Ecclesiae discentis*, scilicet necessarium esse, omnes fideles vel saltem presbyteros curatos doctrinae episcoporum assensum praestitisse. — Cfr. de San n. 229; Murray III disp. 16 s. 1 n. 1-11 p. 145-152; Perrone, de locis [34] 1900 n. 681.

V. g. asseclae Quesnell, ut vim bullae Unigenitus ab episcopatu moraliter unanimi orbis acceptae declinarent, obiecerunt, eorum adhaesionem non esse explicitam, sed tantum tacitam. Cum deinde 1718 proprio opere demonstraretur, eam esse explicitam, Card. Noailles, arch. Parisiensis in instr. pastorali 14 Ian. 1719 reiecit auctoritatem episcoporum extra Galliam, quia eorum adhaesio proficisceretur ex eorum persuasione de infallibilitate Pontificis, episcoporum vero 117 in Gallia, quia eam non diiudicassent in aliquo Concilio. Cf. Harent, art. Papauté, Dict. Apol. t. 3 col. 1489-90.

Pars I. — Ipsa thesis

Arg. 1. — E Scriptura. — Successores Petri caeterorumque apostolorum in munere docendi infallibiles sunt. Atqui R. P. et episcopi cum eo coniuncti sunt *successores Petri et caeterorum apostolorum in munere docendi*, etiam in quantum dispersi per orbem simul cum eo docent. Ergo.

P. Min. *a*) *Nulla ratio determinata proponendi doctrinam a Christo adiungitur*, ergo omnis ratio eam proponendi, qua vere inter se et cum capite conspirant, sufficiens iudicari debet. Ita plurimi. *b*) Christus infallibilitatem *iis dat, quos in totum orbem mittit*, mittit vero eos singulos in singulos locos, atque proxime iis uti tali modo docentibus infallibilitatem promittit. *c*) Constituuntur docentes et infallibiliter docentes *omnibus diebus*. Iamvero si nonnisi in solemnibus definitionibus doctrinalibus Conciliorum universalium infallibiles essent, quae scilicet e natura rei nonnisi raro fieri possunt et aliquando per saecula factae non sunt, sane non continuo, non omnibus diebus infallibiliter docerent.

Arg. 2. — E doctrina Ecclesiae antiquae. — Nota, textibus ante Nicaenum non intelligi episcopos uti in Concilio universali coniunctos, cum tale iis temporibus nondum habitum fuerit.

S. Ignatius M., ad Ephes. n. 3 «... anteverti vos monere, ut uniamini in sententia Dei [quae veritatem revelatam a Deo includit]. Etenim Iesus Christus, inseparabilis nostra vita sententia patris est, ut *episcopi*, *per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt* ».

S. Irenaeus l. 3 c. 3 duas vias tradit, quibus detegi possit, quae sit doctrina ab apostolis praedicata. Prior est, inquirere quid doceant ii « qui ab Apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum [episcoporum] usque ad nos ». « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine *omnium Ecclesiarum enumerare successiones* », compendiosiorem viam indicat, eam scilicet quae est in doctrina Summi Pontificis vel solius. Docet ergo, consensum episcoporum orbis a vero aberrare non posse. Cfr. quoque textum Rep. p. 388.

Origenis textus v. item p. 388: « servetur vero ecclesiastica praedicatio per *successionis ordinem* ab Apostolis tradita et *in ecclesiis* permanens ».

Theophili Antiocheni textus, ib. p. 400, data opera exhibet « *sanctas ecclesias* [utique per orbem dispersas atque prouti ab episcopis earum eruditas], in quibus *doctrina veritatis velut in portubus insularum opportunis* [in hoc mundi mari] asservatur ».

Tertullianus in loco, quem Rep. p. 401-2 retulimus, cum infallibilitatem ecclesiarum docet, eas intelligit in quantum per orbem dispersae sunt, ut etiam ex adversariis in c. 27 relatis patet, simulque per episcopos suam doctrinam receperunt, uti aliunde patet.

Arg. 3. — E ratione procedendi et doctrina Conciliorum universalium. — Secundum Vinc. Lirinensem, Commonitorii sic dicti 2[i] c. 29 M. L. 50, 678-9 Concilium *Ephesinum* ita processit: « universis sacerdotibus [episcopis] qui illo ducenti fere numero convenerant, hac catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, *omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret*; ut scilicet rite et solemniter *ex eorum consensu* atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanae novitatis blasphemia comdemnaretur ». *Conc. Vat.* vero D. 1792 definivit: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive *ordinario* et universali *magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur... » Iamvero ordinarium magisterium Ecclesiae intelligitur episcoporum. Cf. epistulam *Pii IX.* 21 Dec. 1863 ad arch. Monac. D. 1683, subiectionem fidei divinae esse iis praestandam, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur ».

Pars. II. — Signa quibus cognoscitur, quae magisterium Ecclesiae dispersum uti a catholicis tenenda tradat.

I. **Signa** quibus cognoscatur **quid singuli Episcopi** per orbem dispersi **ordinario magisterio doceant**, haec iisque similia sunt:

Assensum plus minus *explicitum* manifestant v. gr.: Praedicatio oralis *ipsorum episcoporum;* litterae pastorales; instructio praecipue tunc data, quando quaedam nova proponi in dioecesi videbantur. Iussio, ut liber quidam pro hac vel illa doctrina vel contra illam edatur. Librorum approbatio, praecipue eorum qui quam maxime directe ad instructionem religiosam cleri et populi spectant, uti sunt libri manuales in scholis theologiae, catechismi, libri precum. Reprobatio librorum propter male sanam doctrinam. Praedicatio eorum clericorum, quos episcopi ad praedicandum deputarunt, quique hoc munere sub vigilantia eorum funguntur.

Assensum *tacitum* episcoporum habes, si ii scientes quid in dioecesi doceatur, non se opponunt, cum id facere possint.

II. **Signa,** quibus sciatur, **quae doceant ut a Catholicis certo tenenda** v. ass. 13 Rep. p. 452-3.

III. **Signa,** quibus videatur, num **episcopi dispersi moraliter omnes in consensu doceant.** Saeculis recentioribus cum litterae pastorales, catechismi in dioecesibus adhibiti etc., pateant, non nimis difficile est, rescire quid episcopi moraliter omnes doceant.

At pro temporibus antiquis, ex quibus tantum pauca dioecesium documenta ad nos venerunt, quaedam de signis enucleatius proponenda videntur.

1) *Singulorum* fides cognosci poterat talibus modis: *a*) Ante ordinationem episcopalem, quae antiquitus nonnisi pro certa quadam sede episcopali dabatur, emittenda erat coram consecratoribus determinata *fidei professio*. *b*) Post consecrationem episcopi saltem maiorum sedium collegis suis atque quam maxime Romano Pontifici per *litteras communicatorias*, quippe quae communicationem cum iis testificarentur, distinctam fidei expositionem mittebant. *c*) Episcopi singulis fidelibus atque praecipue clericis iter agentibus *litteras commendaticias* (*systaticas*)

dare solebant, quibus eorum orthodoxam fidem testificarentur. *d*) Si quis haeresim aut schisma suscitabat, saepe episcopos plures, imo plurimos, per *epistolas proprias commonitorias* de tali periculo certiores faciebant, imprimis vero Romanum Pontificem.

2) *Multi simul* quid docerent, patefiebat tum *conciliis provincialibus*, quibus saepe plurimi, si non omnes, alicuius provinciae episcopi intererant, tum conciliis maioribus alicuius regionis magis vastae, quae hodie saepe *generalia* [non universalia] dicuntur, v. g. Orientis solius. Videndum tamen, num forte haud pauci, dolo factionis cuiusdam circumventi, non clare edixerint, quae in dioecesibus tradiderant. Alia ratione plurimorum mens patefieri poterat *adhaesione ad Concilium* aliquod provinciale vel generale.

Ampliore mensura consensus manifestabatur eo quod in *diversis provinciis* vel regionibus *diversa Concilia provincialia vel generalia* celebrabantur, quibus idem docebatur.

Viventium quorundam atque mortuorum certae cuiusdam sedis episcoporum orthodoxiam referebant *diptycha* eius ecclesiae, quippe e quibus omnia nomina eorum removerentur, qui defectionis saltem suspecti fuerant. De diptychis cf. Kraus, Realencyclopadie der christl. Altertümer I 1882 col. 364-72, praecipue 368; Dictionnaire d'Archéologie chrétienne ad v.. tom. 4 pars 1 1920 col. 1045-1170, art. scriptus a Leclercq.

IV. Signa consensus episcoporum cum Romano Pontifice sunt v. gr. haec:

1) *Indirectum* sed certum *signum* habetur semper eo ipso, quod episcopi moraliter unanimes in sedibus suis aliquam doctrinam ut certo a catholicis tenendam docent. Etenim eos ita unanimiter in suis sedibus docere est factum publicum, quod proinde Romanum Pontificem latere non poterit. Cum ergo e supposito non reclamaverit, saltem *tacite consentit*. In eo enim qui vi officii reclamare debet idque potest, non reclamatio consensus est. Iamvero Romanus Pontifex id officii habebat atque habet eamque generatim possibilitatem, ut ipsos episcopos doceat.

Sequitur, ut argumentum ex consensu episcoporum mora-

liter unanimi valeat, non esse necesse, explicite demonstrare eandem esse doctrinam Romani Pontificis, postquam demonstratum fuerit eam esse episcoporum moraliter omnium. Semper enim ex ipso hoc consensu moraliter omnium iam constat, etiam Romanum Pontificem idem docere, id quod sane de quocumque alio episcopo nullo modo constat.

2) *Directa signa* consensus Romani Pontificis multa esse possunt. V. g. si adhaeret comdemnationi quod aliquod Concilium particulare tulerat; si episcopi adhaerent iudicio quo Pontifex aliquem errorem alicubi ortum represserat.

Ob. 1. — Collegium episcoporum non succedit in omnes potestates et privilegia apostolorum. Ergo forte neque in privilegio infallibilitatis. — *R.* D. Ma.: potestates apostolorum *singulorum c.*; ipsius *Collegii* apostolorum, *n.* Apostoli etiam singuli infallibiles erant, singuli vero episcopi infallibiles non sunt.

Ob. 2. — Episcopi singuli infallibiles non sunt, id quod probavimus prop. 22. Atqui collectione fallibilium nequit corpus infallibile exurgere. Ergo. — *R.* C. ma. Dist. min.: nisi novum elementum accedit, c.; si accedit, n. Novum illud elementum est *assistentia divina promissa corpori ut tali*, non vero singulis.

Ob. 3. — S. Hilarius, Contra Arianos vel Auxentium Mediolanensem l. unus, M. L. 10, 609–17 col. 613 n. 6 ait « *Sanctiores aures plebis, quam corda sunt sacerdotum* » i. e. episcoporum. Ergo secundum S. Hilarium omnes episcopi haeresim et corde profiteri et voce greges suos docere possunt. — *R.* C. textum et n. sensum. Sensus hic est: Aliquando fit, ut *episcopi quidam haeretici facti* — uti Auxentius Mediolanensis episcopus — *doctrinam haereticam exprimant verbis quae catholice intelligi possunt, quaeque proinde a populo catholico*, quippe cum vere catholicus sit atque nullam in episcopo haeresim suspicetur, de facto in sensu catholico *intelligantur*.

Hunc esse sensum totus libellus manifestum reddit. Cf. v. g. n. 11 col. 615–16, ubi S. Hilarius Auxentium ita alloquitur: « Quid regem [catholicum], quid Comites, quid Dei Ecclesiam, patris tui, id est satanae arte circumvenis? » Scilicet ab eo dici Christum *Deum*, intelligi vero id sensu metaphorico, uti Moysis dicatur deus Pharaonis; ab eo proclamari Christum *filium et primogenitum*, at pari modo intelligi id metaphorice, sicut populus Israel in Scriptura hoc nomine appelletur; ab eo efferri, Christum esse *natum ante tempora*, sed intelligi eum mere procreatum ante mundum hunc visibilem; ab eo asseri Christum

similem Patri, sed intelligi eandem essentialiter similitudinem cum Deo, quae in omnibus hominibus insit. Ergo « Lusit ille quidem verbis quibus possit fallere et electos; sed patet [scilicet manifestante Hilario] impietatis tantae [in sensu auctoris recte explicato] professio » n. 10 col. 615.

Ob. 4. — Patres *Concilii Ariminensis* a. 359 symbolo non orthodoxo de dignitate Filii subscripserunt; *Concilii Constantinopolitani III*, a. 681 Honorium damnarunt; *Constantiensis et Basiliensis* superioritatem Concilii supra papam statuerunt. Ergo *de facto episcopi moraliter omnes falsi quid docuerunt.* — *R.* In factis obiectis deest aliquando falsitas doctrinae; semper vero deest unanimitas moralis episcoporum docentium; aliquando deest utrumque simul.

a) Patres Ariminenses *subscripserunt formulae, quae composita erat Nicae in Thracta*; haec autem ut sat generatim putatur, non vere opponebatur definitioni Nicaeae editae, sed *tantum valde indeterminata erat.* — Demonstrari nequit, Patres Constantinopol. III falsi quidquam de Honorio docuisse, id quod videre potes van Laak, De infallib. Romani Pontificis, De Eccl. tom. I fasc. 4 p. 72–81, brevius Rep. p. 500.

b) *Deest in factis allatis omnino unanimitas moralis episcoporum.*

Temporibus Conc. Ariminensis et Constant. III, multo maior erat numerus episcoporum quam hodie. Anno 1920 quidem, exceptis episcopis « in partibus infidelium », habebantur sedes episcopales proprie tales tantum circiter 1100 et vicariatus apostolici c. 200. Illis vero temporibus in sola Africa numerabantur sedes 486 (cf. S. Augustini Breviculum collationis cum Donatistis. Collatio diei 1[i] c. 14 M. L. 43, 619–20); in sola Asia Minore ad finem saeculi quarti c. 400 (cf. Harnack, Mission u. Ausbreitung des Christentums in den ersten 3 Jahrhunderten II[2] p. 70 n. 1). S. Augustinus in ll. contra Crescon., quos c. a. 406 composuit, l. 3 c. 3 n. 3 ML 43, 497 loquitur de « tot millibus episcoporum quibus hic [Donatistarum] error in toto orbe displicuit » ubi eum de episcopis simul eodem tempore viventibus loqui v. Tournely, De Eccl. qu. 3 a. 4 ed Venet. 1790 tom. 5 p. 202. Tempore Conc. Ephes., ergo c. 70 annis post Conc. Ariminense, saltem c. 6000 episcoporum Ecclesiam [in solo Oriente ?] regebant. Cf. Dalmatius archimandrita, Apologia, M. G. 85, 1802 ubi verba ab eo ad Theodosium imperatorem de hac re directa leguntur. Iamvero in Concilio Ariminensi subscripserunt soli c. 400 episcopi; in Constantinop. III 175.

In Conc. Constantiensi Patres erant c. 200, qui erant simul episcopi, ex his vero soli asseclae obedientiae Iohannis XXIII sessioni isti quintae intererant. Numerus episcoporum qui in Conc. Basil. hoc decretum approbarunt etiam multo minor erat.

c) *Deerat consensus omnis Romani Pontificis*, imo R. Pontifex Concilii Arim. et (Constant. —) Basiliensis decreta reprobavit. Si quid forte Patres Constantinop. III falsi de doctrina Honorii decreverunt, id non approbavit, id quod vidimus prop. 20, Rep. p. 499-500.

Prop. 24. — Concilium universale a Romano Pontifice approbatum infallibile est.

Lit. - *Turrecremata* l. 3 c. 58-60 p. 514-20. — *Melchior Cano*, l. 5 capita sex ed. Patav. 1734 p. 144-82. — *Bellarmino*, De Concil. l. 2 c. 1-12 col. 1160-1204. — *Suarez*, De fide disp. 5 c. 7 ed. Par. p. 157-60. — *Gravina*, Cath. Praescript. tom. 4 pars 2 disp. 3 art. 3 p. 378-96. — *Domin. a SS. Trin.*, Bibl. Theolog. l. 3 s. 5 c. 8, tom. 3 Romae 1668 p. 625-37, — *Liber. a Iesu*, Controv. tr. 7 pars 3 disput. unica contr. 3 tom. 5 Romae 1750 col. 763-7. — *Wirceburgenses* v. I Principia theol., ed. 2, 1852 n. 149-54 p. 260-9. — E recentioribus v. g. *Murray*, disp. 16 s. 3 § 7 tom. 3 p. 183-97. — *Wilmers*, n. 216-23 p. 391-402. — *Pesch*, Comp. theol. th. 38 p. 222-7.

Expl. term. — Concilium universale et approbatio Pontificis intelliguntur, uti explicavimus p. 338, 385-6.

Qual. — Infallibilitas Concilii oecum. in definiendis veritatibus ut revelatis est de fide div. cath. Imo videtur implicite definitum, cum a Vat. D. 1792 doceatur, esse « fide divina et cath. ea omnia credenda, quae... ab Ecclesia... solemni iudicio... tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Semper enim Conciliorum oecum. definitiones habita sunt uti solemnia Ecclesiae iudicia. Cf. quoque D. 1839 atque Cano l. 5 c. 4 concl. 3.

Infallibilitas Concilii intelligitur esse *independens a consensu* sive eius partis *Ecclesiae docentis* quae Concilio non intererat, sive etiam *Ecclesiae discentis;* hoc sensu Concilium est infallibile ex sese i. e. vi propria seu insita ei Concilio quod a Romano Pontifice approbatum est. *Obiectum circa quod* versetur infallibilitas Concilii postea accuratius determinabitur.

Nota, hac thesi *nos non tractare* quaestionem postea agendam, *num unicum sit subiectum immediatum infallibilitatis activae in Ecclesia*, scilicet Romanus Pontifex per se solum defi-

niens, an duplex, scilicet tum ipse iam per solum definivens tum Concilium in quo ipse simul cum Patribus definit.

Conn. mat. — *Prius* egimus de *modo ordinaria* quo Ecclesia universalis docens munere suo fungitur, scilicet continuo per episcopatum in orbe dispersum ; nunc de *modo quodam extraordinario*, quo rarius Patres in unum collecti docent.

Adv. — *Protestantes* orthodoxi, v. g. *Luther, Calvin*, sicuti in genere Ecclesiae docentis infallibilitatem negant. Accuratiora v. Bellarm. l. c. c. 2.

Ecclesia Anglicana articulo 21 ex 39 anni 1563 docet : « Generalia Concilia... *quia ex hominibus constant*, qui non omnes spiritu et verbis Dei reguntur, et *errare possunt*, et *interdum errarunt*, etiam in his quae ad normam pietatis pertinent ; ideoque quae ab iis constituuntur, ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque auctoritatem, nisi ostendi possint e sacris litteris esse desumpta ». Quem tamen articulum episcopalistae separati in America reiecerunt.

Ex *Ecclesia Phothiana v. g. Milasch,* Kirchenrecht der morgenländischen Kirche Zara 1890[1], 1902[2], versio R. v. Pessic 1905, § 39 p. 295 docet quidem, synodum universalem, positis conditionibus, quas antea § 79 p. 291-2 necessarias docuerat, infallibilem esse ; at inter conditiones infallibilitatis Concilii enumerat, « *receptionem* decretorum ex parte *omnium ecclesiarum*, sive eorum repraesentantes Concilio interfuerint sive non, praeterea *receptionem horum decretorum ex parte universi tum cleri tum populi*, qui ad Ecclesiam pertinet ». Cui ultimae conditioni ob varias rationes ibi expositas etiam speciale momentum attribuit.

Inter Catholicos *quidam Gallicani et Iansenistae* ipsi Concilio universali infallibilitatem sub ea tantum conditione ascripserunt, quod eius decreta *consensu Ecclesiae universalis* confirmata fuerint ; id quod quidam solum intelligebant de episcopis omnibus, qui Concilio non intererant, alii etiam de omnibus presbyteris, curatis, imo universis fidelibus. Quem fidelium consensum conceptum uti veram auctoritatem Concilio superiorem etiam *Döllinger* 1870 requisivit ; cf. Col. Lac. col. 1502

a, etiam col. 1505 a, et Granderath, Gesch. d. Vat. K. II l. 3 c. 8 p. 633-41.

Arg. 1. — Ex auctoritate regendi Conciliorum universalium iam probata. — Impossibile est, aliquem e voluntate Dei assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponere posse, nisi Deus eum infallibilem reddiderit. Atqui Concilia universalia a Romano Pontifice approbata eiusmodi assensum toti Ecclesiae imponere possunt. Ergo.

Prob. min. Iam probavimus, Concilia a Pontifice approbata habere potestatem regendi supremam et plenam in totam Ecclesiam. Iamvero potestas regendi suprema et plena in totam Ecclesiam assensum irrevocabilem in rebus fidei et morum imponere potest, id quod vidimus ass. 4 Rep. p. 224-6.

Arg. 2. — E doctrina Ecclesiae universalis docentis. — Secundum Bellarmino, De Conc. l. 2 c. 3 Patres affirmant:

a) **In genere**. Primo « Concilii generalis *sententiam* esse in causa fidei *ultimum Ecclesiae iudicium*, a quo appellari non possit, quodque nullo modo irritari vel retractari queat... ». Secundo « esse *haereticos* et excommunicandos omnes, *qui non acquiescunt* Conciliis plenariis..., dicunt anathema contradicentibus... ». Tertio « esse *divina* et a Spiritu Sancto *edita decreta* legitimorum generalium Conciliorum ». Quarto « *potius esse moriendum* quam recedendum a decretis generalium Conciliorum ». Quae singula B. Bellarmino multis testimoniis allatis amplius evolvit. Cf. quoque Murray l. c.

b) **Quaedam specialia**. Cum Concilium Nicaenum anni 325 primum inter universalia sit, patet non posse exspectari testimonia anteriora.

S. Athanasius de definitione Conc. Nic. I hoc habet ep. ad Africanos n. 2 M. G. 26, 1031: « Domini verbum per oecumenicam Synodum nicaenam probatum *in aeternum manet* ». — *S. Ambrosius* ep. 21 n. 14 M. L. 14, 1005 de doctrina pseudosynodi Ariminensis ita docet: « Hoc scriptum est in ariminensi synodo, meritoque illud exhorreo, sequens tractatum Concilii nicaeni *a quo me nec mors nec gladius poterit separare* ». — *S. Cyrillus Alex.* ep. 39 M. G. 77, 182: « *Nullo autem modo patimur ut* ab aliquo fides illa, sive fidei symbolum *concutiatur*

quod a Sanctis Patribus Nicaenis editum est ». — *S. Leo M.* de synodo praecipue Chalcedonensi Leoni Augusto haec scribit : «... si qui sunt, qui ab his quae *coelitus sunt constituta* dissentiunt, suis opinionibus relinquantur et *ab unitate Ecclesiae* cum ea quam elegerunt perversitate *discedant* ». — *S. Gregorius M.* ep. l. 1, 25 M. L. 77, 478-9 : « Praeterea, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia* [universalia Nic. I, Constant. I, Eph., Chalc. quae deinceps enumerat] suscipere et venerari me fateor... *quisquis eorum soliditatem non tenet*, etiam si lapis [in structura fidei] esse cernitur, tamen *extra aedificium iacet*. Quintum quoque Concilium pariter veneror... se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant [qua falsa docentes], aut ligare quos solvunt [qua vera docentes]. *Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Quisquis vero praedictarum synodorum [plures usque ad id tempus habitae non erant] fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre ».

Eadem erat *persuasio Patrum in ipsis Conciliis*. Ita *Conc. Nic. I* D. 54 docet : « hos [dissentientes] anathematizat catholica Ecclesia ». — *Conc. Eph.* statuit act. 7, can. 6, Hardouin I 1623 : «... si qui velint ea quae de singulis per sanctam synodum Ephesinam gesta sunt, quocumque modo movere : *sancta synodus ipsa decrevit*, si quidem episcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu, si vero laici *excommunicatos esse* ». — Idem synodus *Chalcedonensis* act. 5 ad finem de suis ipsius definitionibus statuit : Praeterea edixerunt episcopi : His igitur cum omni undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, definivit sancta et universalis synodus, *alteram fidem nulli licere proferre* aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere... Haec fides Patrum... *Haec fides apostolorum...* » Hardouin II, 455.

Obiectiones ex auctoritate Patrum.

Ob. 1. — Calvinus, Inst. l. 4 c. 9 n. 11 ed. Baum t. 2 col. 864 e textu mox citando *S. Gregorii Nazianzeni* deducit : « *Qui asserit omnia [in Conciliis] male desiisse, non multum auctoritatis illis relinquit* ». Atqui S. Gregorius, vere anni 382 ineunte, Procopio, qui no-

mine imperatoris se ad Concilium aliquod Constantinopoli eodem anno 382 celebrandum invitaverat, ita ep. 130 (al. 55) MG. 37, 226 rescripsit: « Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut *omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum et faustum vidi,* nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit. Semper enim sunt contentiones et dominandi cupiditates (ac ne me, quaeso, gravem et molestum existimes, haec scribentem), nec ullis quidem verbis explicari queunt; citiusque aliquis improbitatis arguetur, dum aliis se iudicem praebet, quam illorum improbitatem comprimat. Propterea memet ipse collegi, animaeque securitatem in sola quiete ac solitudine mihi positam iudicavi ». Accedere morbum non levem. Unde imperator excusatum se habeat.

R. — Tra. ma. D. mi.: S. Gregorius his verbis *negat decretorum dogmaticorum Concilii universalis infallibilitatem, n.; conqueritur de infelici exitu* sive quorundam aliorum negotiorum, quae in Concilio Constantinopolitano I. tractata erant, sive quorundam Conciliorum particularium eius temporis, uti erant Seleuciense, Tirense, Ariminense, Mediolanense, Sirmiense, de qua re non una est sententia, *c.*

Expl. a) *S. Gregorium neque negasse vim decretorum Concilii universalis* neque refugisse Concilia universalia sub omni respectu, iam ex hoc patet, quod « pluribus in locis Nicaenum Concilium in coelum ferat », uti habet Billius in nota ad h. l. Cf. MG. 37, col. 225 n. 60. Porro in ep. 101, prima ad Cledonium, Apollinaristis, qui se iactabant ab « occidentali synodo », ut videtur Romana aliqua sub Damaso, susceptos esse, ita respondet MG. 37 col. 178: «... hoc ostendant, et nos acquiescemus. Perspicuum est enim eos, ut rectae doctrinae assentientes susceptos fuisse: nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt ». Qui ita de Concilio Romano non oecumenico loquitur, sane decreta Concilii universalis non minoris auctoritatis habet.

b) *Difficilior paullo est quaestio, quid omnino illud sit, quod Nazianzenus reprobat.* Sunt qui putent esse eum locutum de iis solis *Conciliis sui temporis quae hodie particularia dicimus*, excepto Const. I a. 381 quod hodie inter oecumenica numeramus. Ita Bellarm. l. c. c. 7 dif. 1 putat, S. Gregorium locutum esse de eiusmodi Conciliis particularibus, quae « propter multitudinem Episcoporum haereticis [Arianis] faventium infaustum exitum habuerint, qualia fuerunt Seleuciense, Tirense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense etc. ». Quem multi sequuntur uti Murray tom. 3 p. 186-7.

Alia sententia potest esse haec: S. Gregorius *exitum non felicem etiam Conc. Const. anni 381 deplorat,* non quantum ad symbolum receptum et can. 1, qui solus de fide agit, neque quoad cae-

teros paucos canones de re disciplinari, sed quoad lites de episcopatibus in synodo ea non tantum non exstinctas verum etiam auctas, praecipue in re schismatis Meletiani. Hoc fuisse obiectum querelae Nazianzeni docet Hefele, Konziliengesch. I² p. 26.

Quam explicationem his rationibus fere fulciri posse puto.

α) *Verba Sancti omnino generalia* sunt: « nullius Concilii finem laetum et faustum vidi ».

β) Id quod deplorat sunt *iniustae accusationes* de *improbitate*, ortae ex aliorum dominandi cupiditate; de fidei periculis saltem immediate non agit.

γ) *In ipso Conc. Const. 381 revera talium litium testis fuerat.*

δ) Eaedem omnino *querelae* eaeque acerrimae *de iis, quae in Conc. Const. 381 a multis episcopis passus fuerat, a Nazianzeno efferuntur in carmine* eo, quod habet titulum « de vita sua », v. g. inde a versu 1525–1949 M. G. 37 col. 1135–66; quod carmen eo ipso anno 381 compositum esse videtur. Cf. ib. col. 1029 nota. Fidei pericula omnino levius tangit ibidem 1703–65.

ε) Convenit cum hac explicatione quod S. Gregorius in ep. ad Procopium effert, se *ob has ipsas* in Conciliis exantlatas *perpessiones iam ad vitam quietam se recepisse*, id quod saltem quam maxime de Concil. Const. 381 valet, in quo ob eas causas quas diximus se a munere abdicaverat.

f) Quodsi forte miraris, S. Doctorem tam acri modo etiam de hoc Concilio oecumenico *loqui*, haec iuverit recordari: 1) hoc Concil. non ideo inter oecumenica recenseri, ac si convocatione vel celebratione vere universale fuisset, sed tantum ideo, quia Romanus Pontifex totusque orbis *Symbolum* ab hoc Concilio editum post aliquod tempus *approbaverunt*.

Ob, 2. — Uti quidam inter Protestantes Germanos veteriores, ita Angli posteriiores v. g. Stillingfleet, A rational account of the Grounds of the Protestant Religion, Oxford 1844 2 vol. P. 3 c. 1 § 12 *e loco S. Aug.*, De bapt. contra Donatistas l. 2 c. 3 ML 43 col. 128–9 *arguunt: Qui docet decreta doctrinalia Concilii universalis emendari posse, sane illa non babet infallibilia. Iamvero l. c. sententia Augustini haec est: « Concilia plenaria saepe priora posterioribus emendari*; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat ».

R. — D. ma.: S. Doctor docet, decreta doctrinalia unius Concilii sensu stricto universalis eaque a Romano Pontifice approbata, ab alio Concilio vero universali negari posse, n.; *aut de aliis decretis* eiusmodi Conciliorum, *aut de alia emendatione, aut de aliis Conciliis* agit (quid ex iis verius sit, inter doctos disputatur), c. Contradist. m.

Expl. — a) S. Augustinus illud prius non docet. Ait enim, evidens esse, ipsa « plenaria *saepe* priora posterioribus *emendari* » Iamvero primo: *Conc. universalia tunc temporis* — scripsit S. Augustinus ll. de bapt. contra Donatistas c. a. 400. uti v. Retract. l. 2 c. 17-8 ML. 32, 637-8 — « *saepe* » *nondum erant celebrata.* Nam unicum sensu strictu universale fuerat Conc. Nicaenum; Conc. Sardicen. legitimum anni 343-4, quod quasi continuatio Concilii Nicaeni considerari potest, ipsi ignotum erat, uti patefacit contra Cresconium l. 3 c. 34 ML. 43 col. 516; Conc. Constantinop. anni 381 in Occidente uti oecumenicum nondum agnitum fuisse videtur (cf. quae in Ob. 1 diximus). Forte addendum est aliud a Nicaeno distinctum, quod secundum quosdam doctos S. Augustino rebaptisma haereticorum universim damnasse videbatur. De qua re cf. Ernst, Zeitsch. f. Kath. Theol. 1900 inter p. 282-325 v. g. p. 283-5, 305. *Deinde* certissime *neque Sardicense neque Constant,* I. *doctrinale decretum Conc. Nicaeni in alium sensum mutavit.* Nam Conc. Sardicense nulla decreta doctrinalia confecit, cf. Hefele[2] I § 63. Const. I vero vero doctrinam Nicaevi confirmavit, atque data opera ampliora de divinitate S. Spiritus adiunxit. De quibus cfr. v. g. Turrecremata l. 3 c. 60 ad 7 pag. 520; Cano l. c. c. postremo ad 10; Bellarm. l. c. c. 7 ob. 2; Perrone l. c. n. 691; Murray l. c. p. 188-93, qui diversissima proponit; Pesch, Praelect. dogm. I n. 445; Portalié in art. August. in Dict. de Theol. C. t. 1 col. 2414.

b) Quid vero S. Aug. docere voluerit, duplex est sententiarum genus.

Unum genus sententiarum locum explicat *de decretis Conciliorum sensu stricto universalium. Inter quos quidam concedunt, agi de decretis vere in alium sensum mutatis, at aut de decretis doctrinalibus non confirmatis* (Cano), *aut de decretibus [particularibus] disciplinaribus,* in quibus sane error inveniri potest (Turrecremata, Cano, Bellarm.), *aut de decretis disciplinae etiam universalibus,* quae mutari possunt, quamvis nullum ex iis malum esse possit (Bellarm.). Pro qua et praecedente sententia provocatur ad verba S. Augustini, Concilia illa emendari, « cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat »; etenim quae fidei sint experimento rerum cognosci non posse.

Alii decreta quidem *fidei,* etiam confirmata *intelligunt,* at *emendationem talem, quae* nihil affirmet, quod antea negatum fuerit, vel viceversa, sed ea *adiciat vel explicet* quae antea aut omissa aut obscurius dicta erant (Pesch, at ut minus probabile).

Aliud sententiarum genus statuit, sermonem esse *de Conciliis con-*

vocatione non vere oecumenicis, sed talibus per se particularibus, seu unius regionis vel provinciae, ad quae « multi episcopi non ex una tantum provincia sed ex orientali et occidentali ecclesia conveniebant ». Qualia non pauca tunc temporis contra Arianos et Semiarianos celebrata sunt. « Ex his autem conciliis posteriora revera congregata sunt ad emendanda priora, donec tandem omnes formulae falsae et ambiguae remotae erant ». Ita Pesch., l. c.. Quae sententia eo commendari videtur, quod et circumstantiis temporis secundum exposita congruit et textui S. Augustini melius convenire videtur, quippe qui in toto illo contextu de re fidei, non vero disciplinae agere videatur.

Ob. 3. — S. Augustinus in scripto « *Contra Maximinum* Arianorum episcopum libri 2 l. 2 c. 14 n. 3 ML. 42 col. 772 Maximino concedit: « Sed nunc *nec ego Nicaenum, nec tu debes Ariminense tamquam praeiudicaturus proferre concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris* ». Ergo S. Augustinus ne Nicaeni quidem Concilii auctoritatem agnovit. — *R.* Augustinus *eam non vere agnovit, n.; noluit eam tunc adhibere ob legem disputationis de qua cum Maximino haeretico Nicaenum non agnoscente, convenerat, c.* — Probo distinctionem esse rectam.

a) S. Doctorem Nicaenum agnovisse v. ex hoc ipso numero 3: « Homousion... in Concilio Nicaeno... *auctoritatis veritate firmatum est* ».

b) Lex disputationis patet ex his:

α) Ea *ponitur initio scripti* « *Collatio cum Maximino* Arianorum episcopo ». ML. 42 col. 718-42, cuius relationis de disputatione quadam inter Maximinum et Augustinum illi ll. 2 contra Maximinum ab Augustino conscripti, ib. col. 743-814, nonnisi quandam continuationem formant.. Cf. « Admonitio in collationem et ll. 2 contra Maximinum » ML. 42 col. 718-19. Etenim n. 1 col. 718 statim ab initio Maximinus ait: « *eae vero voces quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur* ». Quam methodum S. Augustinus admittit.

β) *Deinceps* per totam Collationem *tum a Maximino tum ab Augustino, item a S. Augustino in ll. contra Maximinum continuo e sola Scriptura arguitur* et ex rationibus theologicis. Loci vero duo Contra Maxim. n. 13 col. 730 et Collat. n. 7 col. 713 tantum apparenter excipiuntur; de facto non ipsam auctoritatem Concilii in medium adducunt, sed tantum per incidens aliquam ex eo explicationem propriae doctrinae desumunt.

Obiectiones ex erroribus Conciliorum universalium qui dicuntur.

Ob. 1. — Secundum Protestantes erratum est a « *Conciliis* » *synagogae* v. g. *400 prophetarum*, quos Achab rex Israel coegit; a synedrio *in condemnatione Domini nostri Iesu Christi.* — *R.* 1) P. prob. paritatis inter Concilia etiam legitima, quae haberentur, Synagogae et Ecclesiae. Cf. Rep. Prop. 19 p. 402–4. — 2) Uti legenti 3 Reg. 22, 1–29 patet, ii 400 prophetae erant *pseudoprophetae.* Id certum est *a*) e iudicio prophetae veri Michaeae iam ut talis agniti, *b*) e sententia hagiographi de diabolico fonte prophetiae eorum, quam etiam Protestantes orthodoxi admittunt, *c*) ex eventu pseudoprophetiae opposito. — Difficultatem e *synedrio* haustam v. iam solutam in Rep. p. 402–4.

Ob. 2. — *In Concilio Apostolorum* Act. c. 15, 1–31 *a*) *S. Iacobus a S. Petro dissentit, b*) *decisio v. 28–29*, ut scilicet christiani a « sanguine et suffocato » comedendo abstineant, *approbationem legis caeremonialis V. T.*, ac si etiam in N. *valeret, continet.* — *R.* Transmissa doctrina quorundam, Concilium illud non universale sed tantum partiale fuisse neque insistendo nunc in eo, iam singulos apostolos infallibile fuisse, nego utrumque assertum. Nam

a) S. Petrus v. 7–11 principium enuntiat, legem Mosaicam non iam valere, id quod S. Iacobus approbat; deinde S. Iacobus proponit ut lex nova ecclesiastica illa praecepta, de quibus est sermo, adiungat.

b) Decisio illa non docet, Christianos vi legis Mosaicae a suffocato et sanguine abstinere debere, sed est nova *lex ecclesiasica ad tempus* (*quibusdam partibus ecclesiae*) imposita.

Ob. 3. — *Concilium Ariminense circa 400 et Seleuciense circa 160 episcoporum, fidem Nicaenam de consubstantialitate Filii negavit.*

Id de Conc. Ariminensi patet tum ex formula ab Arianis oblata et ab episcopis subscripta, in qua deerant de Filio verba « substantia » « consubstantialis » « in omnibus » scilicet similis. Porro ita asserunt Patres coaevi: Romanus Pontifex Liberius in epist. ad Orientales n. 3 ML. 8, 1385; S. Ambrosius in. c. 6 Lc. l. 5 n. 71 ML. 15, 1655, eos esse « *perfidae praevaricationis auctores* »; Hieronymus adv. Luciferianos n. 19 ML. 23, 172 « tunc *Nicaenae fidei damnatio conclamata* est; Aug. ep. 185 ad Bonifacium comitem c. 10 n. 47 ML. 33, 813 » eos « *veneno periisse* ariano ».

R. — Conc. Seleuciense nihil perfecit sed tantum elegit 10 deputatos, qui ipsi Constantinopoli Decretis Consilii Ariminensi subscripserunt. Cf. Hefele [2] I § 82 p. 718-22. Quoad ipsum vero Concilinm Ari-

minense nego *a*) *factum*; *b*) *probationem*; *c*) *si factum probatum esset, consequentiam*. Nam.

a) *formula episcopis exhibita non erat ariana in se*, verba autem ista duo citata non ut falsa, sed ut non necessaria, ab episcopis ob bonum pacis omissa sunt. Bona enim fide et ab Arianis decepti *non videbant, formulam ab istis sensu ariano intelligi*. Subscripserunt autem tantum, postquam ii qui formulam proponebant confessi erant, se ab Arianismo esse alienos. Detecta autem eorum fraude Patres subito subscriptionem *revocarunt*. Haec testantur Hieronymus l. c.; Gregorius Naz. orat 21 n. 22 MG. 35, 1107 de Conc. Seleuc. agens; Damasus in 1.a ep. ad Orientales de Synodo Rom. ML. 13, 349; Sulpit. Severus, Hist. Eccl. l. 2 n. 43-4 ML. 20, 153-4.

b) *Patres isti, qui episcopos catholicos Arimini subscribentes reprehendunt, loquuntur de defectione a fide reali, n., apparenti, c., vel de praevaricatione contra fidem per negationem rectae fidei, n.; per defectum prudentiae subscribendo formulae non clarae et simpliciore mente ineundo communionem cum Arianis, quos tales non habebant*, c. decretis sanctorum sedis huius pontificum aut certe bonis moribus inveniuntur adversae... ».

c) Quod autem *diversi Pontifices uno vel alio canone postea usi sunt*, praecipue 82° qui venerationem imaginum approbat, *id non probat, eos omnes canones pro veris habuisse*, etiam minus pro approbatis a Sancta Sede.

2) Concedi solet, *canones omnes Trullanos a canone 1 Conc. Oecumenici Nicaeni II esse approbatos*, quem v. Hefele o. c. p. 475. At uti habet Hefele o. c. p. 348, Pagi ad a. 710 II, canones Nicaeni II *a S. Sede approbati non sunt*. Tantum approbata est doctrina Concilii de veneratione imaginum, quam Concilium, epistulam Hadriani I sequens, definiverat.

Cf. praeter Hefele l. c.: Baronius (cum Critice Pagi) ad a. 692 ed. Lucae t. 12 p. 119-37; ad a. 710 p. 220-1 (de Constantino; in priore loco de caeteris Pontificibus). — Christianus Lupus, Canones C. Trullani, op. omn. ed. Venet. 1724 t. III p. 53-167, ipsos canones refert et explicat; Dissertatio de Synodi Trullanae causa, tempore, loco, Episcopis, auctoritate, p. 128-73, ubi de auctoritate eorum p. 171-3. — Veteres theologi quomodo hanc difficultatem solverint v. v. g. Cano l. 5. Resp. ad arg. 6 p. 175-9; Bellarm. l. c. c. 8 diff. 13 col. 182-3.

Ob. 5. — Conc. Francofordiense anni 794 *universale erat*. Nam ex omnibus provinciis imperii Caroli Magni convocatum est; porro celebratum praesentibus legatis Romani Pontificis, imo, uti can. 1 dicitur,

« auctoritate apostolica ». Praeterea iis temporibus ea synodus saepe universalis dicebatur. Atqui 1) docuit, *Conc. universale Nicaenum II gravissime in re fidei errasse.* 2) *Videtur negare, ullum externum honorem, uti oscula, incensum etc. sacris imaginibus licite deferri.* Nam libri Carolini, item capitula Caroli id docent; iamvero probabile est, Concilium ea capitula composuisse vel saltem eiusdem sententiae fuisse. Cf. Hefele III² § 401 p. 712-3.

R. 1) Ea synodus relative universalis erat, c., *vere et simpliciter universalis*, n., cum esset ex solo Occidente. — *R.* 2) Hoc Concilium *approbatum est*, n.; non approbatum, imo *quoad eius doctrinam de cultu externo imaginibus non deferendo, reprobatum, c.*

Quamvis damnatio Adoptianismi, ob quam praecipue convocatum erat, omnino e mente Hadriani facta sit (cf. eius epistula ad Hispanos, Hardouin IV, col. 865-72), non tantum *nulla omnium canonum Francofordiensium approbatio nota est*, verum longissima responsio Hadriani ad capitula Caroli, Hardouin col. 774-820, primo tota omnino est in *defendenda Synodo Nicaena II*; deinde versus finem col. 818 ad calcem et initio col. 819 Hadrianus data opera *docet, imaginibus licite reddi « osculum et honorabilem salutationem »*, non vero « veram culturam, quae debetur soli divinae naturae ».

Error autem Patrum Francofordensium in facto dogmatico, quod scilicet immerito C. Nicaeno II falsam doctrinam ascribebant, rationem suam magna ex parte, si non praecipue, ex eo habebat, quod « interpres paene per singula verba, relicto utriusque linguae idiomate, adeo fuerit verbum e verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut numquam possit adverti... ». Ita iam iudicavit de ea versione latina textus graeci Actorum Concilii saeculo 9 Anastasius bibliothecarius Sanctae Sedis, cf. Hardouin col. 19 B.

Ob. 6. — Conc. *Later. IV, Cap. « Firmiter »* D. 428 docuit 1) *angelos et mundum corporeum simul tempore creatos fuisse*; 2) eos *esse puros* spiritus, prouti iam habet canon 1 Concilii univ. Constantinop. anno 543 D. 203. Atqui haec aut falsa aut incerta sunt.

1) *D.* ma.: docuit ea definiendo, n.; obiter dicendo, c. Cf. ma-pliora penes Pesch III n. 360, 361, Huarte l. c. n. 675, alios auctores tractatus de Deo creante.

R. 2) Transmissa maiore peto probationem min. — *a*) *Tempus* creationis angelorum quod attinet, sat generatim *sententia Concilii ut probabilior tenetur.* (Cf. v. g. Pesch. III n. 360); *naturam* eorum quod spectat, sane iamiam *certum* habetur, eos esse spiritus puros (cf. ib. prop. 35 n. 361-70) — *b*) Sunt qui illud « simul » non de tempore ex-

plicent. (Cf. v. g. Huarte, De Deo creante et elev. [ad us. priv.] 1917 n. 31).

Ob. 7. — In *Concilio Basileensi* 1) legati Eugenii IV *atqne Concilii praesides iureiurando firmarunt, se « defendere et manutenere » notum decretum Conc. Constant.* de superioritate Concilii supra papam. Hardouin VIII col. 1183 A. B.

2) *In sessione 18 renovatum est ab ipso Concilio decretum Conc. Constant. de Concilii potestate directe a Christo descendente et de superioritate Concilii supra papam.* Hardouin ib. col. 1184. Iamvero haec sessio sine dubio legitima erat.

3) Imo in sessione 33 die 16 maii 1489 Hardouin ib. 1202–3 *definitae sunt uti « veritates fidei catholicae »* a) *potestas Concilii generalis supra papam;* b) *papam sine consensu Concilii nullatenus posse illud auctoritative dissolvere, prorogare, transferre;* c) « *veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans est censendus haereticus* ».

Atqui huic doctrinae sane repugnat definitio. Conc. V Lateranensis D. 740 [De doctrina, unde Conc. oecum. potestatem suam habeat, alio in loco agitur].

R. — *Quoad 1*). Legati Pontificis hoc iuramentum praestiterunt nomine proprio c, e mandato Pontificis n. Aliud neque ab illis postulatum erat. Cf. verba Concilii Hardouin VIII col. 1183 A; « iurabunt nominibus propriis »; Torquemada, qui Concilio intererat, Summa de Eccl. l. 2 c. 100 p. 359.

Quoad 2). *Sessio 18* sane videtur fuisse *legitima*; at sane aliud est Concilium a Pontifice legitimum constitui, aliud eius ipsa decreta approbari, quaecumque ea fuerint. Hoc Eugenius neque fecit neque facere potuit. Praeterea Eugenius Florentiae, in publica disputatione, cum Torquemada, tunc nondum Cardinalis creatus, praesens esset, declaravit: « Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut inceperat, *non tamen approbamus eius decreta* » Ita Torquemada, Summa de Eccl. l. 2 c. 100 p. 361.

Quoad 3). *Sessionis 33* a) *ipsa celebratio illegitima, ergo iuridice omnino nulla erat.* Nam iam duobus fere annis ante, 18 Sept. 1437, Eugenius IV, in Bulla « Doctoris gentium » suum consilium annuntiaverat, ut Concilium Ferrara transferret, simulque *vetuerat, ut aliquis conciliaris actus teneretur.* Hardouin IX p. 705–6; Hefele tom. 7 p. 651. *b*) Vixdum a Basileensibus, qui ob hanc Eugenii Bullam post sessionem 25 nonnisi conciliabulum formabant, decreta illa edita erant, cum Eugenius IV die 4 Sept. eiusdem anni 1439 in Bulla « Moyses », Har-

douin IX col. 1008 B., Sacrosancto Conc. Florentino approbante, *eas « veritates catholicas » a Basileensibus constitutas damnavit.* Cf. Hefele ib. p. 782. — *c*) Tandem a. 1446, uti vides apud Raynaldum, Contin. Annal. Baron., ad annum 1446, III p. 474-5, Eugenius iterum sensum suum explicavit. Cum schismatici eum calumniarentur, ac si Conciliorum generalium legitimam auctoritatem sperneret, in epistula ad legatos in Germaniam missos declaravit: « sicut illi [antecessores nostri] generalia Concilia suis temporibus rite instituta atque canonice celebrata recipere, amplecti et venerari consueverunt, sic *generalia Concilia Constantiense ac Basileense ab eius initio usque ad translationem per nos factam, absque tamen praeiudicio iuris, dignitatis et praeeminentiae Sanctae Sedis Apostolicae* ac potestatis sibi in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessae, cum omni reverentia et devotione *suscipimus*, amplectimur et veneramur ».

De hac diff. e Conc. Basil. cf. v. g. Hefele, Konziliengeschichte I² p. 52-4; VII p. 565-8; p. 651; Turrecremata, Summa de Eccl. l. 2 c. 100 p. 358-62.

Ob. 8. — *Decretum Concilii Florentini « Exultate Deo »* pro Armenis 22 Nov. 1439, Hardouin 9, 433-42 docet, *materiam ordinis sacerdotii et diaconatus esse meram traditionem instrumentorum, formam vero sola verba quae traditionem comitentur.* Atqui materia est sola impositio manuum, forma vero oratio cum ea moraliter coniuncta. Ergo Concilium universale erravit.

R. — 1) *D. ma.: Haec doctrina est definita, n.; minore auctoritate proposita, c.* — Ratio pro hoc responso haec est:

a) *Intrinseca e contextu.* Decretum continet partes quinque. *Verba quibus quinta pars introducitur, in qua incisum nostrum continetur, nullam impositionem doctrinae prae se ferunt,* imo tantum « faciliorem doctrinam » Armenis propositam exprimunt. Verba magis generalia impositionem exprimentia, quae initio totius decreti inveniuntur, secundum restrictionem in parte 5 inventam explicanda sunt.

b) *Extrinseca.* « Quodsi ex his dubitatio aliqua remanet, per *causas externas* tollitur ». Straub, l. citando p. 457.

« *Primum argumentum* efficacissimum suppeditat *modus agendi Sanctae Sedis.* Quae de fide fuerunt definita S. Sedes tuetur, defendit ac propugnare non cessat. Ecclesia cum errore pacisci nullo modo potest. Unde si definitum fuisset, infallibili magisterio, essentiam sacramenti Ordinis sitam esse in porrectione instrumentorum ac formulis: « « Accipe potestatem » » etc., Ecclesia omnem quamcumque huius veritatis alterationem, negationem, contradictionem prohibuisset atque damnasset.

Iamvero licet non defuerint immo abundaverint theologi non solum qui dicerent, papam Eugenium circa sacramenti Ordinis materiam et formam nihil de fide definivisse; verum etiam, qui publice docerent, praeter instrumentorum traditionem aliquid aliud ad essentiam sacrae Ordinationis requiri; immo etiam assererent instrumentorum porrectionem ad essentiam minime pertinere, eamque in *sola* manus impositione ac oratione sitam esse; tamen *Sancta Sedes numquam huiusmodi theologos admonuit*, nunquam in eorum doctrinam animadvertit, sed plenam omnino tamquam in perfecte libera quaestione permisit libertatem. Quod profecto signum certissimum atque evidens est nihil revera a papa Eugenio fuisse ex cathedra definitum ». Ita Card. van Rossum o. citando p. 165. Pro explicatione remittit ad unum e criteriis positis a Palmieri, De Romano Pontifice th. 31.

Secundum argumentum constituit auctoritas plurimorum theologorum. Plurimis quos recenset Card. van Rossum addi debet v. g. etiam *Commissio illa theologorum Romanorum*, quae, instituta ab Urbano VIII inter annos 1636-40, de praeparanda editione nova Euchologii Graecorum egit. Haec enim iudicavit, « dicta instructione definitionem de fide non contineri », id quod v. in articulo Card. Gasquet in American Quartely Review 25 p. 625-36, Philadelphia 1900. Eam sententiam permittit *Bened. XIV*, De Synodo Dioecesana l. 8 c. 10 n. 8. Eam tenet *S. Alphonsus* l. 6 n. 12: « Censetur Eugenius, loquendo de sacramento Ordinis non omnia dogmatice asseruisse », id quod de nostra re affirmat. Eam recentissime proposuit v. g. *Card. Gasparri*, Tract. can. de S. Ordinat. v. II 1894 n. 1007; *Wilmers* p. 398-9; *Wernz* II² n. 48.

Theologi, qui definitionem e cathedra in decreti parte 5 non agnoscunt, in duas dispescuntur partes. Maior omnino pars tenet, eo decreto, quod utique infallibile non sit, niholominus *nonnisi vera* edici. In eius explicatione tamen plurimum inter se differunt. V. g. quidam docent, in ea esse sermonem de materia quidem essentiali, sed inadaequata; alii, de materia et forma mere integrante et accessoria. Quas diversas sententias enucleatius exponere ad tractatum de Ordine pertinet. Cf. v. g. *Bened. XIV*, De synod. l. 8 c. 10 n. 8. Quidam alii vero docent, id quod Eugenius de Sacramento presbyteratus et Diaconatus tradit, *falsum* esse. Argumenta pro hac assertione brevius proponit Straub. n. 1048-50 p. 458-63, plurimis Card. van Rossum o. citando p. 175-87.

R. 2. — C. adesse definitionem infallibilem. Qui hoc tenent, veritatem rei definitae similibus modis explicant atque theologi, de quibus mox egimus.

Recentius in valorem decreti pro Armenis inquisivit Straub, De Ecclesia n. 1046-50 p. 456-63 (1912). — Independenter ab eo, ut omnino videtur, Card. Guil. van Rossum, De Essentia Sacramenti Ordinis disquisitio historico-theologica, Friburgi Brisgoviae 1914 pp. 200, Pars tertia: Difficultates, inter quas prima ex decreto pro Armenis ample tractatur p. 157-87. — In sententiam eandem, decretum illud infallibile non esse, inclinare videtur A. D'Ales, art. Ordination III col. 1151-58. Dict. apol. de la foi catholique 1920, v. v. g. ultimam phrasim. — Iterum independenter a Card. van Rossum (cf. p. 82 nota in articulo mox citando) de Guibert, Bulletin de Littérature Ecclésiastique 1919: Le Decret du Concile de Florence pour les Arméniens, sa valeur dogmatique p. 81-95, 150-162, 195-215; in priore parte art. de theologis tractat, in secunda et tertia in ipsum decretum indagat.

Prop. 25. — Solus Romanus Pontifex et episcopi sunt successores apostolorum in munere docendi divinitus instituto.

Adv. — E *Protestantibus* quidam sive *populum integrum* sive praecipue *principes* illud subiectum habebant, cui potestas docendi divinitus tradita sit. De quibus cf. v. g. Bellarm., De verbo Dei l. 3 c. 3 versus finem; Stapleton, Controv. 2 q. 5 a. 1, Op. omn. t. 1 p. 643-57. Quidam *paucis spiritu donatis* talem functionem ascribunt, quam sententiam rationibus fere talibus defendebant, quas habes in Rep. p. 408-12; cf. Stapleton l. c. 9, 2 p. 605-9.

Secundum Bouix, De parocho, Parisiis 1855 pars I c. 3 p. 115-25 e Gallicanis praecipue Gerson curatos et alios quosdam curam animarum ex officio habentes, saeculo vero 18 quassantibus Galliam turbationibus politicis diversi parochi Galli seipsos iure divino *cum episcopis* iudices fidei esse statuebant. Quos secuti sunt decreta Pistoriensia. Quem errorem v. refutatum Bouix l. c.

Arg. 1. — E successione in munus regendi. — Potestas docendi a Christo data nonnisi in iis residet, *qui potestate regendi* ex eius voluntate praediti sunt. Atqui *soli episcopi* potestatem regendi ex institutione Christi habent. Ergo nemo alius, neque ipsi presbyteri vel parochi, in potestate docendi apostolis succedunt. Quoad maiorem cf. Rep. ass. 4 p. 424-7; quoad minorem Rep. prop. 12 bis p. 297-301.

Arg. 2. — Ex usu et doctrina Conciliorum. — *a*) Generatim *ad Concilia,* in quibus solemniore modo munus docendi exercetur, *presbyteri* ut subscriberent *non admittebantur.* Antoine, († 1743), Theol. univ., tract. de Fide s. 4 c. 3 a. 10 § 5 affirmat, vel « ab Apologista Parochorum Parisiensium hanc Presbyterianismi haeresim fuente » e 675 Conciliis, quae usque ad saeculum 18 celebrata fuerint, nonnisi 12 inveniri potuisse, in quibus presbyteri aliquot subscripserint, et nonnisi c. 20 quibus ex episcoporum licentia interfuerint. Subscribebant vero aut nomine episcoporum, quorum vices gerebant, aut e privilegio, aut ut haeresis suspicionem a se removerent, aut ut consensum suum manifestarent, ergo non nomine proprio ut iudices fidei vi muneris sibi divinitus traditi. — Atque ipse mos, quo scilicet *episcopi soli Conciliis quasi nomen imponebant,* v. g. Concilium 20, 60, 200 episcoporum, manifestat, eos solos ad Concilia per se pertinere. Quem modum loquendi Eusebius in sua Hist. eccl. l. 7 c. 5 n. 1 et 5 ; c. 29 n. 1 ad finem, iam papae Stephani tempore adhibitum fuisse refert et ipse v. g. l. 7 c. 29 n. 1 sequitur.

b) In Conc. Chalced. act. 1 Hardouin II, 82 Patres iusserunt : « ... clerici nunc quare clamant ? Synodus episcoporum est, non clericorum. *Superfluos foris mittite!* ». Conc. Constantinop. IV c. 17 refellit imperitos qui dicant, non posse Concilia sine praesentia imperatoris celebrari, « cum nusquam sacri canones convenire saeculares principes in Conciliis sanxerint, sed solos antistites ».

Iamvero haec in suppositione adversariorum capi nequeunt.

Arg. 3. — E doctrina Romani Pontificis. — Bulla « Auctorem fidei » n. 10 D. 1510 hoc habet : « Item doctrina, qua *parochi aliive sacerdotes* in Synodo [dioecesana] congregati pronuntiantur *una cum episcopis iudices fidei,* et simul innuitur, iudicium in causis fidei ipsis competere *iure proprio*, et quidem etiam per ordinationem accepto : « *falsa*, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea ».

Obiectio quae ex eo peti potest quod quidam chorepiscopi in Conciliis oecumenicis partem habebant, alio in loco tractabitur.

Sect. 3. — De inerrantia Ecclesiae discentis.

Propositio 26. — Consensus fidelium in rebus fidei et morum a vero aberrare nequit.

Lit. — Auctores veteres plurimi non distinctim agunt de inerrantia Ecclesiae docentis et discentis, sed utramque simul tractant. *M. Cano,* De locis theol., qui l. 4 de Ecclesia etiam docentis auctoritate agit, multa tamen ibi etiam de Ecclesia discente habet p. 107-44. — *Bannez*, 2.2 qu. 1 a. 10 dub. 3 ed. Venet. 1587 col. 391-409. — *Bellarmin.*, De Eccl. milit. l. 3 c. 14 col. 1276-9, c. 16 col. 1282-8. — *Suarez*, De Fide disp. 5 sect. 6 ed. Par. tom. 12 p. 1554-7. — *Gravina,* Catholicae praescriptiones l. 4 qu. 2 art. 3 tom. 3. Pars I p. 353-5, et generatim in tom. 3 multa de Ecclesiae sensu docet. — *Gonet*, Clypeus theol. thom., Tract. 10 de virt. theol., disp. 3 De Ecclesia, ed. 10 Antverp. 1744 tom. 4 p. 173-6. — *Billuart*, Summa de regula fidei, diss. 3 a. 5. — *Murray,* tom. II p. 169-79. — *Scheeben,* I n. 168-73 p. 21-3, n. 399 p. 178. — *Franzelin,** De Trad. et Script., th. 12 ed. 4 p. 96-106 ; ed. 2 p. 141 nota. — *Cl. Schrader* S. J., De theologico testium fonte, Parisiis 1878, th. 33 p. 322-6. — *Berthier*, n. 451-8 p. 420-8 [latiore sensu usque ad n. 476 p. 447]. — *Bainvel,* De Mag. et Trad. n. 92-4 p. 94-9.

Expl. term. — **Fideles** in hac thesi vocantur ii, qui *sub ductu Ecclesiae fidem suam profitentur.* Unde certe in genere Ecclesiae catholicae membra hic intelliguntur. At hoc non ita intellectum velim, ut excludantur v. g. catechumeni rite instructi atque sub disciplina Ecclesiae viventes.

Fideles porro *per se proxime* intelliguntur *ii qui in Ecclesia subditorum partes agunt*, non vero sive Romanus Pontifex sive episcopi. Etenim fideles in tantum argumentum praebent, in quantum Ecclesiae leges credendo observant. Hae autem leges credendi a Romano Pontifice et episcopis feruntur. — Nihilominus etiam ex episcopis et Romano Pontifice argumentum hic peti potest. Etenim ipsi quoque se conformare debent atque conformant legibus fidei ab ipsis latis ; Romanus Pontifex ille quidem

non ex obedientia erga legem ecclesiasticam, sed alia ratione (cf. Rep. p. 492 Ob.), episcopi vero obediendo Romano Pontifici et Concilio universali leges fidei ferentibus.

Tandem fideles hic *distinguuntur etiam ab iis subditis Rom. Pontificis atque episcoporum,* quas thesibus sequentibus Patres et theologos nominabimus. Videbimus enim, ex eorum doctrina etiam in quantum sumuntur vel soli, certum argumentum subministrari. Nihilominus ipsi, in quantum ea credunt in quibus proponendis Ecclesiae docenti ministerialiter inserviunt, ad eos pertinent, de quibus hac thesi agitur.

Subsumuntur ergo etiam episcopi cum Romano Pontifice atque Patres et theologi sub fidelibus de quibus hic agimus, in quantum scilicet omnes fideles sunt qui fidem Ecclesiae profitentur.

Consensus. Significatur hoc termino *a*) *non sentimentum quoddam* vel sensus quidam vagus atque indeterminatus, sed *b*) *persuasio rata*, *iudicium ratum* quo fideles explicite vel implicite asserant se hoc et hoc credere vel uti catholicos tenere. Neque sufficeret, si id putarent probabiliter esse credendum vel tenendum, vel si hanc vel illam assertionem probabilem vel probabilissimam haberent. Sed requiritur, eos aliquid fide *credere* vel uti *certissimum* tenere persuasione, quae e doctrina Ecclesiae ortum suum habet.

b) Necessarius est consensus *fidelium omnium*, i. e. necessarium est, moraliter omnes idem tenere.

In rebus fidei et morum. 1) *Etenim neque Ecclesiae docentis obiectum* infallibilitatis *ampliorem ambitum* habet, fidelium autem innerrantia in credendo se habet uti effectus inerrantiae in docendo.

2) *At non dicimus pro omnibus rebus fidei et morum* e fidelium consensu argumentum peti posse. Nam *neque omnia ab Ecclesia explicite praedicantur, neque omnia quae ab ea explicite praedicantur, fideles omnes aut scire tenentur aut sciunt.* Apposite M. Cano l. 4 c. postr. (i. e. 6) resp. ad 14 p. 141 : Duo sunt rerum genera ... quae ab Ecclesia creduntur [i. e. explicite]. Unum est earum, quae ad omnes aeque pertinent, ut Deum esse hominem, animam nostram esse immortalem. Et in hoc genere non est valde difficile omnium fidem sensumque cognoscere .... Al-

terum est genus earum rerum, quas cognoscere non rudium et imperitorum in Ecclesia, sed maiorum [superiorum] et sapientium interest. ... Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit ut si a coeco sensum colorum postularis. Caute igitur atque prudenter, cum huiusmodi fortasse res in sermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulo modestiores sunt, nihil omnino affirmate asseveranterque pronunciant; sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, quod Ecclesia credit, ac sentit. Quo profecto nomine sapientes Ecclesiae maioresque designant ... In fide... earum rerum, quae propriae sunt doctorum, atque sapientium, solam horum sententiam expetendam [dicimus], vulgi ne expectandam quidem ». Idem praeterea v. v. g. penes Gravina o. c. t. 3 Pars I p. 354 Conclusio; Franzelin l. c. p. 104.

3) *A fortiori per se non certum est, ex fidelium consensu aliquod punctum* sive ut revelatum sive ut connexum cum revelatis *demonstrari vel confirmari posse, de quo inter doctos controvertitur.* At ex alia parte hoc *neque a priori negandum est.* Potest enim fieri ut quidam docti, praeiudiciis quibusdam pseudo-scientificis detenti, revelationem cuiusdam veritatis vel eius connexionem cum revelatis minus bene videant quam ipsi rudes, quorum oculi praeiudiciis eiusmodi impediti non sunt.

Quod ergo dicimus, hoc est: *Id quod fidelis populus credit vel uti cum revelatis connexum firmiter tenet, hoc ipsum revera est revelatum vel cum revelatione connexum.*

A vero aberrare nequit. — Dicimus neque culpabiliter neque inculpabiliter populum christianum in rebus dictis errare posse. Quae *inerrantia* fidelium est *in credendo,* non vero in impositione legis credendi, quippe quae e parte auctoritatis procedat; quando Ecclesia docens aliquam doctrinam proponit, eam infallibilitatem dicimus *infallibilitatem in docendo.* Neque fideles in credendo se habent uti theologi, qui etsi non auctoritative, tamen magisterialiter docent.

Haec infallibilitas in credendo saepe dicitur *infallibilitas passiva* in quantum infallibilitati in docendo uti infallibilitati activae opponitur. Quia tamen expressio « infallibilitas passiva » incautis ideam ingerere potest, ac si esset mere passiva, cum tamen, ut exposuimus De Revel. in abstracto n. 17, 5 et n. 19 ob. 8 p. 11

et 14 et recte premit Murray disp. 11 sect. 1 n. 5 tom. 2 p. 176-8, quam maxime actuosa sit, ideo ei a Franzelin l. c. p. 97 nota, merito forte praefertur alia expressio quam adhibuimus, scilicet *infallibilitas in credende* vel *in fidei obedientia;* infallibilitas vero activa apte infallibilitas in docendo vel in fidei praedicatione ac definitione dicitur.

Qual. — Cum Murray II disp. 11 n. 4 multi ut dogma de fide catholica statuunt Ecclesiam esse infallibilem in credendo et in professione fidei . Muncunill, De Eccl. 1914 n. 289 p. 232 docet: « Catholici omnes ... aut aperte asserunt aut supponunt [id] esse dogma fidei ».

Con. mat. — Cum infallibilitas in credendo ab infallibilitate in docendo ut a causa sua efficiente dependeat, illam nonnisi post hanc consideramus.

Pars I. Ipsa thesis

Arg. 1. — **E Scriptura.** Io. 17, 20-21 *Iesus a Patre petit*, idque *efficaciter*, i. e. ita ut id obtinuerit, *unitatem fidelium omnis temporis in fide sub ductu Ecclesiae profitenda*, eamque ita, *ut* simul significet, eam esse *miraculum morale*, quod pro toto mundo sit motivum credibilitatis. (Cf. de unitate Ecclesiae; vel interim De San, De Ecclesia n. 118 p. 89-91; Tolet., In Io. ad l.). Ergo si omnes fideles profitentur se sub ductu Ecclesiae hoc et hoc credere, ea fidei professio miro Dei interventui debetur. Atqui *Deus nequit mirabili modo influere in professionem falsitatis.* Ergo quod omnes fideles, uti a se creditum profitentur, id ita est, uti illud profitentur, i. e. id ab Ecclesia eam fidem docente atque proinde uti infallibiliter verum acceperunt.

Arg. 2. — **E Patribus.** *a*) **Modus argumentandi Patrum.** — *S. Basilio* adv. Eunom. l. 3 c. 1 MG 29, 654 Eunomius proponit « ... iam de Paracleto quoque dicamus non vulgi opiniones temerarias secuti, sed sanctorum in omnibus doctrinam servantes ». Opponit scilicet Eunomius haereticus doctrinam Scripturae, i. e. Hagiographorum (uti ex modo argumentandi S. Basilii erui videtur) et Patrum (cf. adv. Eunom. l. 1 c. 4 M. 29, 510 D.; n. 3 ib. 506 C.; n. 5 ib. 514 D.) consensui populi

christiani. S. Basilius haeretico indignabundus probro vertit, quod «*multorum* [i. e. τῶν πολλῶν = vulgi] *opinione contempta*, qua Spiritum Sanctum [ut Deum] glorificant, simulat tenere se sanctorum doctrinam». Quam cogitationem S. Doctor iam l. 1 n. 3 ib. col. 597 latius evolverat.

S. Augustinus, Contra Crescon, l. 2 c. 32. ML 490, agens *contra doctrinam S. Cypriani, haereticos rebaptizandos* esse, hoc habet: «non accipiam, inquam, quod de baptizandis haereticis et schismaticis beatus Cyprianus sensit; quia *hoc Ecclesia non recipit pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit*». Intelligit autem S. Augustinus praecipue eam receptionem, quae in ipso usu rebaptizandi consistebat, uti videmus in scripto S. Doctoris De Baptismo contra Donatistas l. 2 c. 9 n. 14 ML. 43, 135: «Quapropter illud unum isti [qui cum Cypriano sentiunt] considerent, quod omnibus patet: si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in unitate servanda quam in *Ecclesiae consuetudine* commutanda».

In libro: De dono perseverantiae, ML t. 45 idem «Doctor gratiae», ut contra novos haereticos demonstret, *perseverantiam esse donum Dei* (c. 2 col. 995), porro spem nostram ponendam esse in Deo non autem in nobismetipsis (c. 22 n. 62 col. 1031), eos c. 23, n. 63 col.1031 ita perstringit: «De hac enim re numquam [Ecclesia] tacuit in precibus suis, etsi aliquando in semonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit. Quando enm non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, et ei non petivit a Domine mentem obedientem in christianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut qui sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, Da illis Domine, in te perseverare usque in finem; non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potius super eius talem benedictionem, et corde credente et ore confitente respondit, Amen; cum aliud in ipsa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud: Ne nos inferas in tentationem, nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo *in his orationibus, ita et in hac fide nata est, et crescit, et crevit Ecclesia*,

qua fide creditur gratiam Dei non secundum merita accipientium dari ». Quod argumentum, uti initio capitis ait, iis proponit « qui non possunt vel nondum possunt Scripturas vel eorum expositiones intelligere ».

Simile argumentum *pro necessitate gratiae ad opera salutaria* evolvit Romanus Pontifex *Caelestinus* in epistula ad Galliarum episcopos n. 12-4, ML. 45, 1759-60.

S. Hieronymus contra Vigilantium l. unus n. 5 ML. 23, 343 *licitum esse reliquiarum cultum* ita demonstrat: « Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimnr? Sacrilegus fuit Constantinus imperator I, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim...? Sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudaea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi sed et fatui iudicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? *Stulti omnium Ecclesiarum populi qui occurrerunt* sanctis reliquis: et tanta laetitia, quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt: unde *Palaestina usque Chalcedonem* iungerentur populorum examina: et in Christi laudes una voce resonarent? .

b) **Doctrina thetica Patrum.** — *A Vincentio Lirinensi* Commonitorium 1 c. 2 ML 50 col. 640 hic canon celeberrimus statuitur: « In ipsa item Ecclesia catholica magnopere curandum est ut *id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit ».

Quo in textu quaedam utique a doctissimis hominibus diverse explicantur; v. v. g. explicationes aliqua ratione inter se differentes Franzelin, De Traditione, Thesi 24 integra, p. 267-72; De San, De Traditione et Scriptura n. 211-18 p. 175-81. Illud tamen certum est, duas distinctas vias a Lirinensi proponi, unam consensionem praesentis Ecclesiae, eo scilicet tempore, quo quaestio quaedam oritur, aliam inquisitionem in doctrinam antiquitatis. V. de San p. 179, Franzelin p. 271-2.

Arg. 3. — **E theologis** iam habes argumentum, si eos considerabis quos in Lit. citavimus. Quibus e theologis Graecis adde laudatissimum *Georgium Scholarium* seu Patriarcham Gennadium II Constantinopolitanum, qui in orat. 2 habita in Conc. Flor. MG 160, 459 parti Ecclesiae Ecclesiam universalem opponens unam causam patefacit, cur thesis nostra admittenda sit, scilicet Ecclesiae docentis praedicationem et curam: « Universam vero simul errare Ecclesiam et veritatis lumine defici, impossibile est. Ut enim alia taceam, quis credat, omnes aeque Christianos aut *velle amplecti mendacium aut ignorare veritatem cum tam multi sint, qui ad illam se duces offerant et tantam curam in eam contulerint?* ». Aliam causam, scilicet Spiritus Sancti impulsum, audi ex beato Martyre *John Fisher*, in libro ut videtur, Assertionum regis Angliae de fide catholica adversus Lutheri babylonicam captivitatem defensio c. 3.: « Apud eum *populum* haec consuetudo (ministrandi laicis eucharistiam sub una specie) nata est, *qui Spiritu S. regitur.* Nemini enim dubium est Ecclesiam Spiritu S. regi, nisi quis forte Christi non crediderit evangelio ». V. textum Schrader l. c. p. 324 n. 6.

Argumenta e ratione intrinseca. — *Primum* est; *Ea professio ad quam Deus impellit necessario vera est.* Atqui, uti in argumento scripturistico vidimus, professio fidei universalis Ecclesiae ab impellente Deo oritur. Ergo.

Secundum: Ea professio fidei vera est quae praedicationem infallibilem Ecclesiae docentis sequitur. Atqui professio fidei Ecclesiae discentis praedicationem infallibilem Ecclesiae docentis sequitur. Ergo.

Prob. min. *a*) Ecclesia docens secundum Mt. 28, 20 sicut *accipit officium fidem veram praedicandi eiusque professionem publicam exigendi*, ita in hoc *semper felicem habebit exitum.* Atqui *hoc felici exitu* sane *careret, si omnes* qui eius magisterio se instituendos tradiderunt: *aut falso intelligerent*, qua Ecclesia recte docet, *aut* quod rite perceperunt *recte exprimere atque profiteri non possent*, *aut id*, *quod ea docente minime didicerunt*, *pro veritatibus ab ea acceptis quasi venditarent.* Ergo impossibile est, ea fideles non ab ipsa Ecclesia docente didicisse, quae ab ea uti credenda se recepisse re aut verbis profitentur.

b) Ipsi fideles pro sua fide ad Ecclesiam docentem remittere *solent*. Iamvero nulla ratio habetur, cur in hac re generatim aut errare aut fallere putentur.

c) *Confirmatio generalis peti posse videtur e statu catholicorum comparato cum statu acatholicorum*. Qui auctoritate externa in re religiosa non reguntur, ad *diversissima* dilabi solent idque quam maxime, si ii de quibus agitur, natione, cultura, statu diversissimi reperiuntur. Id quod et paganismi et haereticorum extra Ecclesiam catholicam historia abunde demonstrat. Iamvero qui Ecclesiae catholicae obedientiam profitentur, *quamvis natione, cultura*, *statu diversissimi sint*, *niholominus eadem dogmata profitentur*. Ergo ea unitas ad auctoritatem externam reducenda est. Iamvero eiusmodi auctoritas pro Catholicis non est nisi infallibiie Ecclesiae magisterium. Ergo quae ut Catholici firmissime tenent, vera sunt.

Pars II. — Signa, quibus eiusmodi consensus dignoscitur.

Tum singulorum sensus tum omnium consensus ut cognoscatur, non est necessarium ut adeantur singuli, id quod etiam impossibile est. Manifestatur v. g.

a) *Professionibus fidei*, sive eae sponte a tot singulis exhibentur, uti v. gr. toties in actis martyrum confessio de Deo uno Polytheismo opponitur, sive iubente Ecclesia ab omnibus emittuntur, v. g. cum baptisma recipitur, cum liturgia frequentatur.

Ritibus communiter adhibitis, quos praxim universalem vocat v. g. Stapleton, De contr. Contr. 6 l. 11 c. 4 Op. omn. I p. 372: « Praxim quoque hic sive observationem aut etiam traditionem Ecclesiae generalem appello ritum aliquem in usu religionis receptum, publice et generaliter, cultum quoque aut caeremoniam ubique in Ecclesia observatam ».

b) *Precibus*, quas sive singuli sponte proferunt sive multi in communi recitant v. g. in liturgia; v. g. fides in utilitatem invocationis Sanctorum ex eiusmodi invocationibus adhibitis elucet.

c) *Inscriptionibus* quoque, *picturis*, *monumentis* mens fidelium, a Pastoribus instructa, exprimitur. Haec archaeologia christiana nos docet. Quae quomodo recte e mente fidelium explicentur, v. v. gr. Wilpert, Die Malereien der Katakomben, Textband, c. 9 p. 131-41. Exempla quaedam exhibita et explicata v. v. g. Franzelin, De Trad.[4] th. 13 p. 148-51.

Quid ut absoluta certum atque a se qua catholicis assertum profiteantur, collige ex iis, quae de Patribus Rep. p. 573-5 dicemus.

Schol. 1. — Ratio quam in argumentis e ratione intrinseca sub n. 2 posuimus, etiam id evincit, consensum fidelium a vero aberrare non posse **in iis quae** etsi non ut revelata, tamen **ut certo cum veritatibus revelatis connexa tenent.** Eadem enim est argumentatio.

Schol. 2. — Qua ratione inter se, fidem quod attinet, agant Ecclesia docens et discens. — 1) Ecclesia *docens* omni tempore doctrinam ab Ecclesia discente credendam et infallibiliter proponit et simul auctoritative imponit, atque ita obedientiae fidei infallibilis aliqua est causa.

2) Ecclesia *docens posterioris cuiusdam temporis*, quando forte de definiendis veritatibus iam explicite a fidelibus creditis agitur, eiusmodi consensum fidelium anteriorem vel praesentem etiam ut normam, unde veritatem definiendam hauriat, sequi potest. Porro apte ante definitiones inquirere potest, num forte de eiusmodi veritate fides explicita fidelium vel aliqua eius indicia habeantur.

3) Ecclesia *discens* in tantum concurrit ad definitiones Ecclesiae, in quantum *precibus apud Deum* instat ut Ecclesiam docentem illuminet ne erret, utque tempus quam maxime opportunum pro definitionibus suis providentia sua ei suggerat. Idem ab *auctoritate ecclesiastica petere* potest, id quod saepius, praecipue quoad definitionem Immaculatae Conceptionis B. V. v. g. a regibus factum est.

4) Fides Ecclesiae discentis, quae sane includit fidem docentis in quantum etiam ipsa id quod docet credere debet, est *finis*, quem Deus eo intendit, quod donum infallibilitatis Ecclesiae docenti concedit; doctrina infallibilis Ecclesiae docentis est medium quo Deus finem suum consequitur.

5) Nullo autem modo Ecclesia discens Ecclesiae docenti auctoritatem eam communicat, vi cuius infallibiliter docet. Nullam enim habet. Cf. prop. 8 Rep. p. 247-50; prop. 9 p. 258-9; prop. 18-19 p. 383-404; Ass. 3 et 4 p. 417-27.

De hoc Scholio cf. Scheeben I n. 181-6 p. 95-8.

Difficultates ex historia haustae.

Ob. 1. — Harnack, Dogmengeschichte [editionem qua olim usus sum, conferre non potui, sexta vero in impaginatione valde differt] multis locis affirmat, *Catholicos primorum saeculorum fuisse Polytheistas atque Idololatras* utique subtilioris cuiusdam rationis; eos non coluisse Deum vere trinum sed *Patripassianos* fuisse, alia plurima id generis.

R. — Di. ant.: haec ab eo auctore *affirmantur*, c.; *probantur*, n. — Rationes allatae evidenter nullius sunt valoris. Auctor ille, in multis rebus sane eruditus, tamen saepissime maxima conceptum confusione laborat. V. g. asserit, etiam nunc orthodoxam, publicam Ecclesiae fidem esse eam, Filium Patri non aequalem esse, sed tantum similem, alia.

Ob. 2. — *S. Hieronymus*, Dial. adv. Luciferianos n. 19 ML 23 col. 172 ait: Tempore Concilii Ariminensis "*Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est*. Atqui si orbis miratus est se esse arianum, sane erat arianus. — Quo textu, ut verbis Thomassin in opere citando utar, "velut ariete novatores (Protestantes) Ecclesiae toto orbe diffusae universitatem solent impetere „. Etiam recenter Harnack inter alia id generis asserit, praecipue plebem arianam fuisse.

R. — Si verba Hieronymi ironica sunt, n.; si essent seria, tr. *Expl.* Textu contrarium continetur, scilicet: orbis *miratus est* de *apparentia* Arianismi, quae per imprudentiam tot episcoporum Arimini formulae fidei ambiguae subscribentium producta est. Cf. probationem ubi de catholicitate Ecclesiae catholicae agemus; vel Hergenröther, Katholische Kirche und Christlicher Staat II p. 997-8; praecipue vero Thomassin, Diss. 5 in Synodum Ariminensem § 1, cit. apud Hergenröther l. c.

Ob. 3. — *Sub annum millesimum omnes catholici "uti veritatem infallibilem „ crediderunt, mundum mox, novo millenario incipiente, periturum esse*, idque — adiungunt quidam — ob prophetias Scripturae, praecipue Apocalypsis, diabolum post mille annos solvendum esse. Hanc obiectionem protulerunt tum plurimi auctores catholici diversarum terrarum, tum praecipue Protestantes. Quorum catalogum v. apud Beissel l. citando p. 468-71. Eam v. optime solutam v. g. ab Orsi, L'anno mille, saggio di critica storica, Torino 1887; Stephan Beissel S. J., Die

Sage von der allgemeinen Furcht vor dem Untergang der Welt beim Ablanf des Jahres 1000 nach Christus, in: Stimmen aus Maria Laach 1895 t. 48 p. 469-84; F. Duval, Les terreurs de l'an mille 1908 in serie: Science et Religion, n. 467.

R. — N. ma. — ***Id omnino falsum esse ex argumento tum negativo tum positivo patet.***

Argumentum negativum l. c. p. 474-9 expositum Beissel p. 479 ita comprehendit: " Ergo de eo, quod... anno 1000 in Occidente uti " " veritatem infallibilem „ „ creditum esse dicitur, de terrore qui omnem activitatem oppresserit, nihil invenimus in Chronicis, in instrumentis publicis [Urkunden], nihil in Conciliis et scriptis saeculi 10. Id unum enarrant, Herbipoli [Würzburg in Germania] unum, Parisiis alium praedicatorem exaltatum finem mundi denuntiasse atque minatum esse; at id ita referunt, ut cognoscatur praedicationem illam influxu caruisse... Ne pro ea quidem assertione documentum ullum habetur, saltem in *una* terra in Europa pro anno millesimo *universaliter* atque *serio* finem omnium rerum mundanarum expectatum esse „.

Argumentum positivum. — Loco terroris panici atque desperationis, quae omnes inertia in rebus terrenis curandis infecisse dicuntur, ipso illo anno principes atque episcopi sive Romam accesserunt sive legatos suos miserunt ad res diversas pro proximis temporibus tractandas; anno 999 papa atque imperator in abbatia Farfa rebus publicis studia sua impenderunt; ex uno monasterio Cava prope Neapolim 23 contractus locationis supersunt qui, brevi ante annum 1000 facti, usque ad tempus quoddam post illum annum valituri erant; Concilia decreta reformationis ediderunt; in sola Gallia inter annos 980-1000 monasteria 48 stilo artistico restaurata vel aedificata sunt, inter quae 17 circa annum 1000. Verbo: omnia etiam in rebus terrenis curandis consuetum suum cursum habebant. Imo eo ipso tempore ita regnabant " fiducia sui, divitiae, vigor in agendo inter se,... ut in prima parte saeculi 11 prosperos eventus saeculi 10 etiam vicerint „ ib. p. 479-84.

Difficultates speculativae.

Ob. 1. — *Veritas paucorum sapientum est, non vero turbae non cultae.* Atqui secundum thesim contrarium obtinet: quod plurimis placet, hoc veritas esse dicitur. Simile quid iam Iulianus, Pelagianismi acerrimus defensor, catholicis sui temporis obiecit. Cf. S. Augustini opus: " Contra Iulianum, haeresis Pelagianae defensorem libri 6 „, ubi v. g. hanc Iuliani sententiam refert l. 2 c. 10 n. 35 ML. 44, 698, (uberiora 698-

701): " non numerandas sed ponderandas esse sententias „; n. 37 col. 700: esse spernendos eos qui sint de plebeia faece sellulariorum, milites, scholastici auditoriales, nautae, tabernarii, cetarii, coqui, lanii, adolescentes ex monachis dissoluti, de qualiumcumque clericorum turba. Rationem autem eo loco eam afferre " quia non possunt secundum categorias Aristotelis de dogmatibus iudicare „. Cf. quoque l. 5 n. 1, ib. col. 782. Item, contra secundum Iuliani responsum Opus imperf. v. g. l. 1 c. 41 ML 55, 1065; l. 2 c. 14 col. 1147. Quam Iuliani difficultatem etiam Harnack, Dogmengesch[4] III nota ad p. 188 quasi extollere videtur.

R. — Dist. ma.: *Si probatum est, Deum adiutorium quoddam dedisse plurimis*, quod paucis ex Ecclesia discente eum non dedisse probari potest, *n.*; si hoc non probatum fuerit, tr.

Scilicet turba ista est, uti probavimus, ea, quam mediante auctoritate Ecclesiae " unctio eius [Dei] docet... „, uti iam S. Ioannes 1 Io. 2, 27 de simplicibus fidelibus sui temporis scripsit. Unde l. c. n. 36 col. 699 ab Augustino contra Iulianum praeter Patrum auctoritatem in campum adducitur etiam " catholica multitudo „.

Ob. 2. — Id quod a fidelibus simplicibus disci posse dicunt ii, qui eos a vero aberrare non posse defendunt, inter alia sunt ipsa *mysteria christianae religionis*, i. e. ea quae quam maxime sunt difficilia atque abscondita. Atqui nemo sapiens talia a turba exspectat, sed ad summum res omnino faciles, uti v. g. in rebus naturalibus prima principia.

R. — Dist. ma.: ab ipsis volumus scire ipsa mysteria *quae a Deo revelata* sunt, v. g. Ecclesia docente Iesum esse Deum et hominem, *c.*; intimam *explicationem* mysteriorum, n., Contrad. min. — Cf. plura de hac diff. Gravina, o. c. t. 3 Pars I p. 354, Conclusio.

Art. 4. — De inerranti doctrina Patrum et theologorum.

Con. mat. — Probavimus charisma veritatis in docendo et corpori episcoporum cum papa et ipsi Romano Pontifici vel soli inhaerere. Item demonstravimus, consensum fidelium a vero in credendo aberrare non posse. Iamvero quod tum Patres tum theologi in docendo a vero aberrare non possunt, ad infallibilitatem Ecclesiae docentis et discentis reducitur, ad illam praecipue ut ad regulantem, ad hanc praecipue ut ad finem. Unde patet, cur auctoritatem illam Patrum et theologorum nonnisi post probatam infallibilitatem Ecclesiae docentis et discentis demonstrandam suscipiamus.

Prop. 27. — Patres, si in consensu rem ad fidem et mores pertinentem rata et firma sententia docent, a vero aberrare non possunt.

Lit. — *E catholicis* cf. v. g. *M. Cano*, De loc. theol. l. 7 c. 1-4. — *Dom. Gravina*, Catholicarum Praescriptionum tom. 3 pars I, Neapoli 1630. Quaestio principalis p. 1-221. Tractactus amplior, quem novi. — *Petavius*, Dogm. Theol. Prolegomena c. 2 n. 2-10. — *Petrus van Walenburch*, Tractatus generalis de controversiis fidei, Coloniae 1670 tom. 1 tract. 5 p. 729-78. — *Fessler*. Institutiones Patrologiae, tom. I[2] 1890 p. 1-119. Plurima methodice comprehendi. — *Schrader*, De theologico testium fonte p. 271-316. — *Franzelin*, De Traditione[3] th. 13-16 p. 164-205, praecipue th. 15. — *Scheeben* I n. 372-84 ; n. 280-84. — *Card. Mazzella*[5] n. 342-61 p. 276-95. — *De San*, De Div. Trad. et Script. (1903) p. 139-203. — *Pesch*, I[4] th. 53-54 p. 388-400. — *De Groot* qu. 18 a. 1-4 p. 783-803. — *Berthier*, De loc. theol. n. 404-27 p. 366-94. — *Bardenhewer*, Geschichte der Altkirchl. Lit. I[2] 1923 p. 1-74.

Ex adversariis haereticis cf. v. g. *Jean Daillé* (Dallaeus), Gallus, qui 1632 Genevae edidit : Traité de l'employ des Saints Pères pour le jugement des différends qui sont aujurd'huy en religion. Quod opus postea latine versum est. — *Iohannes Gerhard*, Loci theologici, 1609-22, locus 22 sectio 6 n. 203-4 ed. Preuss tom. 5 p. 453 et 455-6.

Expl. term. — **Patres.** — **A. Nomen** quod attinet, Patres in antiquitate christiana nominari solebant *omnes episcopi*, quippe qui vi muneris, potestate tum ordinis tum docendi tum regiminis, vitam christianorum supernaturalem efformarent atque nutrirent. At inde a saeculo fere quarto alia quoque significatione hoc nomen adhiberi coeptum est, qui novus usus loquendi ex illo quem mox diximus ortum suum habere videtur. Nempe quia tunc temporis orthodoxa fides tot procellis turbabatur, in munere episcoporum eam partem valde premebant, qua episcopi rectam fidem fidelibus exponebant. Unde primo *eos ex ordine*

episcoporum, qui in doctrina orthodoxa exponenda eminebant, Patrum nomine appellabant; deinde *etiam alios viros orthodoxae doctrinae laude insignes*, etsi dignitate episcopali non fruebantur, eodem Patrum nomine honorabant. Cf. Bardenhewer o. c. § 3 p. 34-46.

B. Rationem Patris sensu technico constituunt haec quatuor: Antiquitas, vitae sanctitas, doctrinae orthodoxae excellentia, Ecclesiae approbatio.

Antiquitas. — Etenim Patres concipiuntur instruxisse Ecclesiam non hanc vel illam sed universalem in sua adolescentia. Iamvero haec adolescentia toto *eo tempore* perdurasse censetur, *quo praecipue dogmata illustranda atque* contra haereses *defendenda* erant. Haec vero periodus fere per S. Gregorium Magnum apud Latinos, per S. Ioannem Damascenum apud Graecos claudi dicitur. Accedit quod ii merito quasi Patres fidei Ecclesiae dicuntur, qui utpote *apostolis propinquiores*, speciatim apti putantur, qui doctrinas eorum recte perciperent. — Sunt tamen qui tempus Patrum usque ad mortem S. Bernardi extendunt.

Sanctitas vitae. - Haec enim non una ratione in ea elementa influit, quibus auctoritas doctrinae conciliatur. *In scientiam.* Nam ad id impellit, ut doctrina salutaris attente addiscatur et sedulo omni ex parte indagetur. Simul quasi quandam congenialitatem cum multis veritatibus credendis in animis producit, quae ad ea intimius capienda disponit. Tandem speciale lumen a Deo meretur, quo ea, quae sunt fidei, melius intelligantur. In *veracitatem.* Vera enim sanctitas quam maxime impellit, ut res fidei pure, prouti conceptae erant, annuntientur; imo potius mortem eligit, quam ut vel minimam particulam e fidei thesauro voluntarie corrumpat. Ipse autem fervor in verace praedicatione fidei recte perceptae quantopere sanctitate promoveatur nemo non videt.

Doctrinae orthodoxae excellentia. Doctrina *orthodoxa* intelligitur ea, quae tunc temporis, quando Patres docebant, iam in explicita Ecclesiae praedicatione proponebatur. Eiusmodi autem doctrinam in Patre requiri ex eo patet, quia Ecclesia Patrum scripta uti fontem considerat, unde recta fides hauriri possit. *Excellentia* vero orthodoxae doctrinae ea intelligitur, ut Pater prae

multis aliis hanc doctrinam v. g. speciali *vigore* vel *claritate* vel *amplitudine proposuerit*, sive contra haereticos strenue *defenderit*, sive enucleatius profundiusve *explicaverit*. Quae excellentia utique intelligenda est secundum eum scientiae sacrae statum, qui tunc temporis in Ecclesia erat.

Ecclesiae approbatio. — Nempe cum ad Ecclesiam docentem eamque solam spectet officium revelatam doctrinam custodiendi et explicandi, ad eam solam quoque spectat iudicium, in quibus libris revelatio divina custodiatur atque legitime explicetur.

C. — Quidam e Patribus, *qui prae caeteris ipsis Patribus* excellentia doctrinae vere eminent, ab Ecclesia speciali titulo « **doctores Ecclesiae** » honorati sunt. Usque nunc hunc honorem consecuti sunt e Patribus latinis Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Petrus Chrysologus, Leo Magnus, Gregorius, Isidorus, Beda, Petrus Damianus, Anselmus, Bernardus ; e Patribus graecis Athanasius, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Ioannes Damascenus ; e syris Ephrem.

Si quis catholicus tempore Patrum scripta ad religionem catholicam spectantia haud parvi momenti composuit, at aliquando in haeresim lapsus vel de haeresi suspectus est, aut sanctitatis non satis probatae habetur, is « **scriptor ecclesiasticus** » sine addito dicitur. Aliquando eiusmodi scriptores etiam dicuntur Patres sensu quodam latiore. Sunt v. g. inter latinos Tertullianus, Arnobius, Lactantius ; inter graecos Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius Caesareensis ; inter syros Tatianus.

D. — Ulterior explicatio notionis Patris. — 1) Comparatio quaedam inter episcopos et Patres instituitur. — *a*) *Non omnis episcopi erant Patres*. Illorum millia solebant esse illis temporibus (cf. Rep. p. 514), hi multo pauciores erant. *Neque omnes Patres erant episcopi*. Quamvis utique maior eorum numerus esset ex ordine episcoporum eorum qui Ecclesias actu regebant, tamen inter Patres sane celeberrimos numerantur v. g. Hieronymus presbyter, Io. Damascenus monachus et presbyter, Ephrem diaconus, Iustinus et Prosper Aquitanus laici. — *b*) *Modus porro quo Patres ii docebant qui dioecesibus* aut universali Ecclesiae non praeerant, *non* sane erat is, ut *vi iurisdictionis* assensum in

doctrinam suam imponerent, quippe qui iurisdictione nulla fruerentur; sed is, ut citra iurisdictionem rata et firma sententia res fidei et morum fidelibus proponerent. Porro etsi maior pars Patrum dioeceses regebant, tamen quod in consensu a vero aberrare non possunt, id nullo modo ex eo est, quod forte coniuncti formarent illud corpus authentice in unione cum Pontifice docentium, cui a Christo donum infallibilitatis charismaticum promissum est — non enim illud formabant —, sed repetendum id est ex ea specialissima relatione Patrum ad corpus Ecclesiae universalis docentis, quam hac thesi exhibebimus.

2) **Formalitates diversae in Patribus qua docentibus.** - Pater aut idem docet, *quod docet Ecclesia* aut aliquid quod sibi est proprium. In primo casu dicitur a multis **doctor publicus,** in secundo doctor **privatus.** Primum aut ita fieri potest, ut Pater sequatur fideliter Ecclesiam regentem atque docentem, sive anteriorem sive coaevam, quae aliquid iam explicite proponebat, aut ita, ut Ecclesia regens atque docens posterioris temporis ea approbet, quae, ante eos nonnisi implicite ab Ecclesia proposita, hi vel illi Patres iamiam explicite docuerunt. Cf. textus Vinc. Lirin. mox citandus.

Item a multis in Patre distinguitur **formalitas testis** a formalitate **doctoris** sine addito. *Testes* ergo vocantur ab iis Patres in quantum testantur fidem *explicitam* Ecclesiae sive coaevae sive antecedentis; *doctores*, in quantum fidem Ecclesiae antecedentis et coaevae sive in Scripturis inspiratis sive in traditione divina contentam *interpretantur* atque *explicant*. Id quod diversimode fierit potest. Aut ea quae tantum implicite revelata erant, iamiam explicite cognita faciunt; aut ea, quae explicite quidem at obscurius revelata erant, inquisitione studiosa clariora reddunt; aut ea, quae magis praxi et consuetudine tenebantur, iamiam secundum eam ipsam formalem doctrinam quae iis supponebatur, proponunt, De quibus modis ampliora traduntur cum de profectu fidei agitur.

Consensus intelligitur moralis.

In rebus fidei et morum. Eas eo modo intelligimus, atque ubi de infallibilitate Ecclesiae sermo est. In caeteris rebus Patres infallibiles non sunt, etsi in consensu loquerentur.

Rata et firma sententia docent. I. e. non tantum ut plus vel minus probabile, sed ut omnino certum.

A vero aberrare non possunt. — Cf. quae mox diximus n. 1 b.

Adv. — **A. Exaggerasse** auctoritatem Patrum uti aliis quibusdam ita doctissimo Fessler videtur *Fredegisus*, abbas saeculi 8! Etenim Agobardus, Liber adv. Fredegisum n. 11 ML. 104, 166 (cf. item n. 9-13) ita cum eo agit, ac si « quibuscumque doctoribus aut interpretibus cum apostolis et evangelistis aequalem venerationem tribueret ». Eandem sententiam videtur sequi *Glossator* ad Decreti Gratiani distinctionem nonam.

B. Plane destruunt auctoritatem infallibilem Patrum hac thesi assertam **Protestantes, Modernistae, omnes ii qui auctoritatem infallibilem Ecclesiae negant.** — Atque *generatim* quidem hi:

1) Negare debent atque revera *negant*, *nos a Patribus infallibiliter discere posse*, *quae Deus revelaverit.* Secundum eos nos a Patribus ad summum ea (cf. n. 5 et 6) discere possumus, quae, plus vel minus vera vel falsa, Ecclesia eius aetatis docuerit vel Patres sibi excogitaverint.

2) *Nullum universale*, *facile*, *certum criterium habent*, *unde Patres a caeteris auctoribus distinguant.* Etenim Patrum tum sanctitas tum in omnibus orthodoxia nonnisi Ecclesiae agnitione constare omnibus potest.

3) *Carent norma recta ad explicandos Patres.* Ignorent enim necesse est normas interpretationis catholicae. Cf. pars II 2 A.

4) Etiam *id auctoritatis a Patribus uti singulis auferunt*, quod, uti in Assertione p... dicemus, *ex auctoritate Ecclesiae Patribus etiam extra consensum spectatis accrescit.*

5) *Nullam aliam auctoritatem Patribus attribuere possunt nisi mere humanam.* Quae est aut testium mere historicorum aut hominum doctorum eaque secundum personales fere uniuscuiusque dotes dimetienda.

6) In innumeris casibus *ne hanc quidem humanam auctoritatem Patribus relinquunt.* Nam cum plurimi ex iis adversariis maxima confusione idearum in rebus theologicis atque connexis laborent, saepissime et sanctitati et doctrinae multorum Patrum

plurimum detrahunt. V. praecipue sic doctas historias dogmatum ab acatholicis conscriptas.

Particularia quaedam. V. g. *Luther*, secundum quod in aliaaliqua particulari doctrina Patres aut sequitur aut non, eorum auctoritatem mox extollit mox deprimit. Mox ei sunt « carissimi Patres » ; mox eos carbonum sacco comparat, per quem, cum lac purae doctrinae certe transire debuerit, necessario foedatum inveniatur. Cf. locos indicatos in Grisar, Luther t. III in indice ad v. « Kirchenvater ».

Formula Concordiae anni 1526 c. 1 n. 2 (I. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche,[9] 1906 p. 517) docet : « [Praeter Scripturam] Reliquam vero Patrum sive neotericorum scripta, quocunque veniant nomine, sacris litteris nequaquam sunt aequiparanda, sed universa illis subicienda sunt, ut alia ratione non recipiantur nisi testium loco, qui doceant, quod etiam post apostolorum tempora, et in quibus partibus orbis doctrina illa prophetarum et apostolorum sincerior conservata sit ».

Despectus auctoritatis Patrum aliquod *Modernismi* et signum constitui et genus pugnae v. in Encycl. Pascendi post partem dogmaticam inter Cui propagando » usque « progressui infensam ».

C. Saepe etiam **viri quidam catholici,** qui in explicanda fide gravissime errarunt, de auctoritate Patrum **sinistre sentiebant.** Ita v. g. Pius IX in epistula ad Card. Geissel 1857 D. 1657 conqueritur, a Günther « nec ea sanctos Patres reverentia haberi, quam conciliorum canones praescribunt quamque splendidissima Ecclesiae lumina omnino promerentur ... .

Pars. I. Ipsa thesis.

1) Quae Patres in consensu docent, infallibiliter vera sint necesse est.

Arg. 1. E relatione Patrum ad corpus Ecclesiae docentis. Uti probavimus, infallibilitas in docendo vi charismatis ob promissionem divinam non inest nisi in Ecclesia regente atque

docente i. e. in Pontifice et episcopis. Patres autem uti tales Ecclesiam regentem et docentem non constituunt. Unde si tamen in doctrina proponenda non errant, huius inerrantiae vera et intima causa inveniri nequit nisi in relatione Ecclesiae docentis ad Patres. Quae, ut habet de San l. c. n. 183, haec est:

« Vi iugis assistentiae divinae depositum fidei usque ad finem mundi integre et incorrupte ab ecclesia custodietur. Non autem ab ecclesia antiqua depositum fidei integre et incorrupte custoditum esset, si fieri unquam potuisset ut unanimis et ratus patrum in materia fidei consensus in errorem abiret. Et hoc propterea quia doctrina quam in materia fidei patres unanimi et rato consensu tradebant, necesse erat ab ipsis transire in fidem cleri et a clero in fidem totius populi fidelis, et quia per consequens, si unquam contigisset doctrinam quam in materia fidei rata et concordi sententia tradebant patres, esse falsam, fides universae ecclesiae corrupta esset. *Vi ergo assistentiae divinae ecclesiae adpromissae, impossibile est ut ecclesia antiqua sua invigilantia et directione, si quando id opus fuit, non efficaciter impediverit quominus ratus e unanimis patrum consensus in materia fidei et morum in falsum abiret.* Et per consequens vi assistentiae divinae ipsis quasi mediate praestitae patres in consensu spectati, sunt infallibiles in materia fidei et morum, sive demum fungantur munere testium, sive fungantur munere doctorum ».

Arg. 2. — E doctrina Conciliorum et Pontificum. — *Conc. oecum. V*, commemoratis praecipue antea celebratis Conciliis universalibus, ita prosequitur: « Super haec sequimur per omnia et sanctos patres et doctores ecclesiae Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Const. Patriarch., Cyrillum, Leonem, Proclum, et suscipimus omnia quae de recta fide et condemnatione haereticorum exposuerunt. Suscipimus autem et alios sanctos et orthodoxos patres qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem suae vitae praedicaverunt ».

Agatho et Conc. Romanum a. 680 in ep. « Omnium » docet: « Hoc nos apostolica atque evangelica traditio, sanctorum

patrium magisterium, quos *sancta apostolica atque catholica Ecclesia* et *venerabiles synodi recipiunt*, instituisse monstratur ».

Conc. Trid. Denz. 786 decernit : « ... ut *nemo* suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens... *contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam interpretari audeat* ». Id quod e natura rei eodem modo pro omnibus rebus fidei et morum valet, non tantum pro iis quae in Scriptura inveniuntur.

Pii IX sententiam v. ubi de adversariis egimus.

Leo XIII in encycl. « Providentissimus » n. 19 editionis in Comp. Cornely, haec de auctoritate Patrum inculcat : « Iamvero SS. Patrum, quibus post Apostolos Ecclesia plantatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit, summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam *ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet* ».

Pius X in Motu proprio « Sacrorum antistitum » i. e. in iureiurando contra Modernistas praescripto, infallibilitatem Patrum diversis modis supponit aut edicit D. n. 2145-7. « *Fidei doctrinam* ab Apostolis *per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam*, sincere recipio... Sententiam praeterea illorum reicio qui tenent « « ...scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari » »... *fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae retinebo* » de charismate veritatis certo in episcopatus successione.

Arg. 3. — E persuasione scriptorum catholicorum. — Quodsi in hoc argumento etiam Patrem quendam citamus, tamen nondum eorum in consensu infallibilem auctoritatem supponimus.

Tempore Patrum. — *S. Augustinus*, contra Iulianum l. 2 c. 10 n. 37 ML. 44, 701 docet : « ... non tu iudices quaesiturus es ubi causam tuam purges, sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritatis accuses, Irenaeum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basi-

lium, Ambrosium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum caeterosque socios ac participes eorum, insuper et universam Christi Ecclesiam, *cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes,* ingenti in Domino gloria claruerunt ».

Vincent. Lirin. Com. 1 c. 28 ML. 50, 675: « Quibus tamen hac lege credendum est, ut *quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu* manifeste, frequenter perseveranter, veluti quodam sibi consentiente magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, *firmaverint*, id pro indubitato, certo ratoque habeatur. Quidquid vero, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis Confessor et Martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas a communis et publicae et generalis sententiae auctoritate secretum sit ».

Scriptores qui post Conc. Chalced. et praecipue Gregorium Magnum **usque ad aetatem scholasticorum** floruerunt, praecipue id agunt, ut fere verbis Patrum doctrinas catholicas proponant.

Aetate Scholasticorum sententia Patrum ita omni systematisationi et speculiationi supponebantur, ut ideo libri Petri Lombardi, quos per totum medium aevum in scholis theologicis explicabant, « libri sententiarum » dicti sint.

Orto Protestantismo, acerrimo auctoritatis Patrum inimico, eadem penes Catolicos persuasio de valore huius argumenti permansit, methodus autem illud adhibendi perfectior, evasit, quia maiore cum eruditione et acumine tum e Patribus argumentabantur tum eorum dicta inter se componere studebant. Cfr. v. g. de controversiis Bellarmino, de dogmate Suarez.

Arg. 4. — E dotibus Patrum. — 1) Non poterant ii unanimiter falsa referre ut *testes* fidei Ecclesiae. Nam *a*) *mendacium* in ea fide referenda *exclusum est* ob sanctitatem eorum; *b*) *erroris unanimitas* in ea percipienda *exclusa est*, quia erant multi; iique attenti ad has doctrinas, de quorum magno momento iis persuasum erat; sufficienter exculti, ut has res religiosas recte perciperent. Porro non erat nimia difficultas in fide Ecclesiae referenda, cum tantum inter singulas Ecclesias commercium intercederet. 2) Neque ut *doctores* unanimiter falsa referre poterant. Etenim *a*) Exclusum est ob sanctitatem eorum

mendacium, quo alia referre vellent, atque e Scriptura vel Traditione vel ratione theologica hausisse sibi videbantur ; *b*) *Unanimitati erroris* in his fontibus indagandis obstat diversitas indolis, regionis, formationis in re philosophica et suo modo theologica, ea attentio ad eas veritates percipiendas, quam pro natura rei habebant.

2) Haec inerrantia Patrum de omnibus et solis rebus fidei et morum asserenda est.

Arg. — Auctoritas Patrum non est aliud quam quidam modus, quo auctoritas Ecclesiae nobis applicatur. Cf. arg. 1 assertionis prioris. Atqui auctoritas Ecclesiae ad omnes et solas res fidei et morum extenditur. Ergo.

3) Patres ut in aliqua doctrina proponenda a vero aberrare non possint, eam rata et firma sententia proponant necesse est.

Arg. Auctoritas Patrum nonnisi applicat auctoritatem Ecclesiae. Cf. arg. 1 assertionis 1. Atqui Ecclesia ipsa infallibilis non est nisi quando aliquid ita proponit, ut hoc vel illo modo pateat, eam velle, ut id firmissimo assensu sive ut revelatum sive uti cum revelatis connexum teneatur. Ergo.

Pars II. — Indicantur signa, quibus cognoscatur, quid Patres inter se consentientes in rebus fidei et morum firma et rata sententia doceant.

1) Qua ratione cognoscatur, qui sint Patres.

1) Criterium *quam maxime universale, est approbatio Ecclesiae tacita*. Haec respectu alicuius scriptoris ecclesiastici per hoc habetur, quod, ecclesia nihil reclamante, scriptor is *illustri et constanti fama* tamquam pater ecclesiae celebratus est ». de San o. c. n. 142.

2) Inter signa specialia Fessler § 12 p. 35-8 haec enumerat :

a) Si *Concilia universalia* quosdam in decretis uti Patres celebrant, porro si quidam in Actis, Patribus Conc. plaudentibus, ut tales laudantur. Ita factum est v. g. in Eph. Act. 1 et 2 ; Chalced. Act. 1 et 2 ; Constantinop. II Coll. 3 et 5 ; Constantinop. III Act. 10 ; Nicaen. II Act. 1, 4, 5, 6 ; Florent. Dixi : si ut Patres celebrantur. Etenim non sufficit, si sub alia ratione celebrentur ; v. gr. Euseb. Caesareensis, Socrates, Rufinus a Nic. II Act. 1 uti historiographi laudantur.

b) Si *Romani Pontifices* ad quosdam uti Patres remittunt. Ita Leo I ep. 165 ML. 54, 1171-90 diversorum testimonia excerpens ; Martinus I in Conc. Later. a. 649 secret. 5, Mansi 10, 1066-1107 ; S. Agatho, ep. 1 ad imperatores, ib. 11, 233 sqq. ; Gregor. II ad Leonem Isauricum, ib. 12, 975 sqq. ; Hadr. I ep. ad imperatores, lecta in Conc. Nicaen. II, ib. 12, 1055 sqq. ; eiusdem Hadriani ep. ad Carolum M., ib. 13, 759 sqq. Etenim in his epistulis aliquando quidam sub alia ratione celebrantur, v. g. in ep. ad Carolum M.

c) Si qui in *Martyrologio Romano* [idem dicendum videtur de aliis Martyrologiis late receptis] non tantum ob sanctitatem, verum etiam ab insignem doctrinam laudantur.

d) Si qui, ut olim mos erat, in *sacris conventibus* post Scripturam sacram legebantur hodieve in *Breviario* leguntur.

e) Si *insignis quidam* Pater Ecclesiae in disquisitione dogmatica aliquos ut Patres salutat atque dogmata ex iis firmat.

f) Haud exigui momenti quoque est *Decreti sic dicti Gelasiani pars quarta*, quae in Patribus et scriptoribus ecclesiasticis enumerandis versatur (cf. v. g. Cavallera n. 133 p. 174-6). Quod quamvis (contradicente Fessler l. c. et ut videtur II 521) a plurimis non iam ipsi Gelasio attribuatur (cf. v. g. Dictionnaire de Théol. cath. IV 1179-80), nihilominus iam antiquitus late sparsum erat atque in ipsum Ius can. dist. 15 c. 3 receptum est.

2) Qua ratione cognoscatur, quid sit revera illud quod Patres tradunt.

A) Servandae sunt **regulae interpretationis catholicae** i. e. eius interpretationis, quae ex infallibilitate Ecclesiae in genere atque Patrum in specie fluit, quae posteriores in hac ipsa tota thesi exponuntur. In specie :

a) *Consensui Patrum*, sive unius aetatis solius sive omnium aetatum, *nulla falsitas* in rebus fidei et morum attribui potest. Ratio est : Infallibilitas Ecclesiae, uti demonstravimus, vadem se exhibet eiusmodi doctrinae, sive in una tantum aetate Patrum tradita est, sive in omnibus aetatibus simul.

b) Consensus Patrum *unius aetatis explicari nequit in sensum oppositum consensui Patrum alterius aetatis ;* neque consensus *totius aevi Patrum* in *sensum oppositum doctrinae temporum posteriorum*, sive ea doctrina manifestata fuerit consensu theologorum, sive magisterio ordinario Ecclesiae docentis, sive definitione Concilii oecumenici vel Pontificis. Ecclesia enim omni tempore infallibilis est, eiusque infallibilitas omnibus modis quos enumeravimus, exercetur. Iamvero unum quod est infallibiliter verum, alteri, quod est infallibiliter verum, opponi nequit.

c) Quae *consensu unius aetatis* sive *implicite*, sive *explicite quidem at obscurius* docentur, explicanda sunt secundum ea quae *consensu sequentis cuiusdam aetatis sive explicite sive clarius explicite* exhibentur. Etenim infallibilitas Ecclesiae nullo modo patitur eam evolutionem doctrinae iam explicite propositae, ut ab una ad oppositam transeatur, sed eam tantum, ut a re minus clare exhibita ad clarius exhibitam gressus fiat.

d) *Obscuritatis* huius vel illius doctrinae in antecedenti quadam aetate v. g. hae rationes esse possunt :

1) Tempore quo aliqua doctrina *vix oppugnabatur*, ea saepe *minus clare* exprimebatur, quippe quae a fidelibus nihilominus recte intelligeretur. Ita v. g. S. Chrysostomus docet quidem : Ut iustitiam accipiant, etiam infantes baptizamus, licet peccata (ἁμαρτήματα) non habeant. ». At iam S. Augustinus, Contra Julian. l. 1 n. 23,

ML. 44, 656 nos instruit, his verbis negari sola peccata personalia non vero originale: « At, inquies, cur non ipse addidit « « propria » »? Cur, putamus, nisi quia disputans in catholica ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius [nullus ?] pulsabatur, vobis [Pelagianis] nondum litigantibus securius loquebatur? ».

2) *Genus* quoque *literarium* attendendum est. V. g. in praedicationibus ad omnes habitis non tantus rigor terminorum adhiberi solet, quantus in operibus doctioribus dogmaticis exspectatur.

B. Servandae sunt **regulae interpretationis grammatico-historicae,** ita tamen ut regulae interpretationis catholicae, utpote plane infallibilis, semper ut norma saltem negativa ante oculos habeatur, a qua deviare nefas sit. Ad quasdam difficultates superandas attendantur v. g. haec:

a) *Idem conceptus* diversis temporibus vel in diversis regionibus vel in diversis scholis philosophicis non raro *diversis modis* exhibetur. V. g. tempore Patrum vox « sacramentum » omnem fere rem sacram significabat; hodie haec vox terminus technicus est pro solo signo sensibili, gratiae supernaturalis collativo.

b) Imo haud raro *singuli quidam auctores modum* se exprimendi *singulis omnino proprium* habent. V. g. notum est quod S. Bonaventura de aliqua proprietate stili S. Augustini observat: plus dicens minus dicere intelligi vult.

c) Non tantum ad ipsa verba verum etiam, ut patet, ad *contextum* attendendum est.

d) Quam maxime *finis totius operis* diligenter respiciendus est. V. g. eam veritatem, quam pro fine scripti totius prosequuntur, Patres uti etiam alii scriptores, saepe cum tali emphasi efferunt, ut aliam veritatem fere negligere videantur. Ita S. Augustinus in scriptis contra Manichaeos, inimicos libertatis, expressionibus fortissimis libertatem tantopere premere prima fronte videri potest, ut necessitatem gratiae quasi negare videatur, in scriptis vero contra Pelagianos, gratiae inimicos, gratiam ita extollere, ut fere ipsam libertatem laedere videatur.

e) Considerandum est, quid *in aliis locis* Pater doceat. Haec enim utpote saepe clariora obscuriorem doctrinam explicabunt. V. g. si quis Pater in uno loco docet Christum Mt. 16, 18 Ecclesiam super seipsum aedificasse, in alio, eam super Petrum construxisse, hi duo loci simul sumpti eum completum perfectumque sensum reddunt, Christum super seipsum uti petram principalem, super Petrum uti petram secundariam Ecclesiam aedificasse.

f) Super omnia autem ante oculos continuo habenda est *ipsa natura rei* i. e. natura religionis christianae explicandae. Haec enim ob suam sublimitatem nonnisi difficulter terminis *linguae nostrae,* correspondentis conceptibus nostris analogicis, exprimitur; porro ipsa lingua (id quod nullo modo oblivioni dandum est) iis primis temporibus, veritatibus, imo *mysteriis* christianae religionis exprimendis, *adaptanda erat.* Ita, cum a S. Hilario l. 2 de Trinitate uti propria personarum in Sanctissima Trinitate dicta essent « aeternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere », iam S. Augustinus de Trin. l. 6, c. 10, n. 11 ML. 42, 931, notavit « non eum secutum arbitror in aeternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem, de quo sit, Filius autem de Patre est ut sit, atque ut illi coaeternus sit », i. e. Patrem solum in ipsa aeterna Trinitate sine principio esse.

C. **Hae vel aliae viae ad solvendas antilogias aliquando necessario ineundae** sunt, si scilicet *alias* aliquis, qui ut *Pater* sensu stricto in Ecclesia laudatur, in aliquo puncto doctrinae *errasse dicendus esset,* quod iam tunc *in explicita fide Ecclesiae* continebatur. Error enim talis rationis cum notione Patris pugnare generatim statuitur. Hoc ergo si locum haberet, valet effatum S. Ambrosii, ep. 48 n. 4, M. 16, 1152: « ... verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato », et n. 6, ib. 1153 « Si verba alicubi movent, non praeiudicant fidei; etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, et defendit a lapsu ».

Longum catalogum eiusmodi locutionum difficilium, quae catholice explicandae sint v. Franzelin th. 15 III b.

3) Qua ratione cognoscatur, quid Patres rata et firma sententia proponant.

Sufficit omnis is modus quo veram certitudinem exprimunt. Qui non videtur amplius explicandus esse.

Potius aliquid innuendum videtur de diversis modis, aliquando indirectis, qui ad exprimendam certitudinem non sufficiunt :

1) *Non sufficit, si in singulis quibusdam occasionibus* data opera dicunt, se rem tantum *ut probabilem* vel probabilissimam proponere.

2) Si *in genere* principium ponunt, se in quibusdam rebus *potius theorias sequi*, ut hodie dicimus, *quam certam scientiam* proponere. Hoc autem facit v. g. S. Augustinus v. g. circa res tales in Scriptura contentas, quae ad scientias, quas naturales dicunt pertinent. Nam de Genesi ad litt. l. 1 c. 18 n. 37 et l. 2 c. 9-10, n. 20-24 ML 34, 260 et 270-2, docet, nihil quod ad has scientias pertineat tantopere esse premendum uti verum sensum Scripturae, ut, si postea scientia naturalis oppositum docuerit, ipsa veritas Scripturae destrui videatur.

3) Si v. g. in statuendo sensu textus Scripturae qui ad fidem et mores pertinet, vel in explicanda aliqua re fidei et morum, saepe non tam diversa *proferunt*, quae inter se ad unam explicationem integram et perfectam complent, sed talia, *quae vere inter se opponuntur*. Is enim modus agendi in genere potius indicat, diversas illas explicationes ab iis uti suas qua hominum doctorum opiniones poni, qui quid verius sit quaerunt, quam ut continuam mutationem doctrinae ratae et certae prodat.

4) *Aliquando vix distingui potest,* num quid ut opinionem an ut certam sententiam ponant. Id quod etiam in aliis scriptoribus obtinet.

4) Qua ratione cognoscatur, quid Patres rata et firma sententia ut rem fidei et morum proponant.

Id non a priori sed a posteriori decidendum est.

Patres id solum uti rem fidei et morum rata et firma sententia proponunt, quod aut uti revelatum aut uti cum revelatis con-

nexum tum certo cognoverunt tum qua ita cognitum expresserunt. Iamvero eiusmodi cognitio reique cognitae expressio sane est factum positivum, quod *a priori statui nequit*, sed e signis positivis, *e modo seu formis se exprimendis eruendum est.*

Unde merito auctores optimi recedunt a Cano, qui l. 7, c. 2, n. 2, 3 ; c. 3 n. 1, 4, 9 prius e rationibus plane insufficientibus concludit, v. g. doctrinam de Immaculata Conceptione B. M. V. non esse rem fidei et morum, deinde ob indolem rei fidei et morum huic sententiae denegatam, negat e Patribus argumentum pro ea formari posse. Debebat e contra positive procedere atque e modis loquendi Patrum eruere, num hanc sententiam pro re fidei et morum habuerint necne. Cf. Franzelin th. 15, I 2 b ed. 4 p. 163-5.

Patres nullis determinatis formulis astricti sunt.

Sufficiunt omnes modi, quibus Patres vere significant, se velle aut testari *fidem explicitam Ecclesiae* anterioris vel praesentis, aut eam *interpretationem explicationemve* tradere, *quae sola legitima sit,* idque sive agitur de re formaliter revelata enucleatius explicanda sive de statuendis rebus cum revelatione connexis. Iamvero hi modi sane diversissimi sunt.

Sufficiunt v. g. hi modi :

1) Si asserunt hanc illamve doctrinam esse *traditionem* apostolorum vel Ecclesiae vel Patrum orthodoxorum.

2) Si *factum fidei praesentis* vel persuasionis Ecclesiae coaevae referunt, v. g. dicendo : credimus, confitemur.

3) Si inculcant, *omnem catholicum obligatum esse* ut ita credat vel sentiat.

4) Si dicunt, ***rem esse revelatam,*** et simul, uti solet, e circumstantiis patet, agi de revelatione publica, quae Ecclesiae concredita est.

5) Si *oppositam* doctrinam vocant *haereticam*, impiam, a catholicis *arcendam* etc., vel eos qui eam tenent haereticos, arcendos, excommunicandos etc.

6) Si asserunt, *sine ea fidem catholicorum non posse stare*, sententiam oppositam (sive immediate sive mediate) opponi fidei catholicae etc.

7) Saepissime etiam sufficere potest, si doctrinam quandam

in catechesibus, praedicationibus, libris eundem finem habentibus inculcant. Iis enim catholicos formare volunt; catholicos autem formare nolunt nisi doctrinis, quae fidem et mores spectant.

5) Qua ratione cognoscatur, quid Patres doceant in consensu.

a) *Sufficit* consensus ratus Patrum *unius solius aetatis*, etsi posterioris cuiusdam, ut doctrina eorum infallibilis dicatur. Etenim eorum auctoritas infallibilis ab infallibili auctoritate Ecclesiae docentis derivatur. Iamvero Ecclesia omni tempore infallibilis est.

b) Ut consensus Patrum vere talis unius aetatis vel diversarum aetatum cognoscatur, *neque possibile saepe neque necessarium est, eos omnes et singulos adire.* Non possibile, quia multorum scripta interierunt. Non necessarium, quia saepe e complurium, imo aliquando e paucorum vel unius doctrina ad doctrinam omnium legitime concludi potest. Quando id legitime fieri possit, edicunt regulae sequentes, quae paucis demonstrandae sunt. Cf. de his Franzelin l. c. th. 14 II; praecipue De San n. 190-200 p. 158-66.

I. Sub quibusdam conditionibus sufficiunt complures.

Arg. 1. — **E natura rei.** — Si Patres loquuntur *ut testes fidei praesentis,* certe hae conditiones sufficiunt: Si doctrinae et sanctitatis laude insigniores, si e diversis omnino locis sunt, si fidem praesentem eius partis Ecclesiae ubi versantur, testantur, eaeque partes simul sumptae Ecclesiam moraliter universam exhibent. Etenim cum de re sane haud difficili agatur, quae ab hominibus veracissimis, in fide praesentis Ecclesiae discernenda plene versatis testanda sit, aut omnis fides historica perit, aut testimonium eiusmodi fide dignum est.

Si vero Patres loquuntur *uti doctores*, « nequit satis certa ratione concludi intentum, nisi *a*) diversa tempora ad quae pertinent patres illi, efficiant suo complexu *tractum temporis satis longum eumdemque continuum*, et nisi *b*) patres illi sint *eminen-*

tissimi quique in variis regionibus longo illo tractu temporis floruerint. Ratio primi est quod eo opus est ut constare possit consensum esse ratum, constantem et perseverantem. Ratio secundi est quod nonnumquam contigit ut in quaestione aliqua fidei plures patres ex insignioribus in eamdem assertionem convenirent atque nihilominus quaestio illa fidei maneret indecisa, quia alii patres insignes, licet numero pauciores, a prioribus dissidebant. Stantibus tamen duabus condicionibus praedictis, certo concludi propositum patet ex eo quod quaestiones fidei patres plerique diligenter discutiunt quodque idcirco, quando omnes Patres insigniores diversorum temporum longum aliquem tractum temporis efficientium in eadem assertione fidei conveniunt, *hic eorum consensus est signum quaestionis plene eliquatae:* ubi autem quaestio aliqua fidei est plene eliquata, dubitandum non est in ea quaestione omnes patres consensu saltem moraliter unanimi in unam eamdemque sententiam conspirare ».

Arg. 2. — E modo argumentandi in Ecclesia adhibito. — In *Concilio* Ephesino *contra Nestorium* allati sunt ex Oriente et Occidente *decem* iam vita functi, simili modo haud multi at e diversis terris in Concilio Chalced., Constantinopol. III et IV.

A *S. Augustino* contra Iulianium l. 2 per totum, ML 44, 672-701; item l. 3 c. 17 n. 32 ib. 719 recapitulando adducti sunt pro fide Ecclesiae in *peccatum originale 11 ex Oriente et Occidente,* idque ita ut data opera addat, eum numerum ob conditiones Patrum quas exponit, sufficere. A *Vincentio Lirin.* Com. 2 c. 30 ML 50, 680-2, modus procedendi synodi Ephesinae, quem mox commemoravimus, ita explicatur, ut Patrum eorum, quos Synodus adducit, praestantiam in sanctitate et doctrina extollat.

II. Sub quibusdam conditionibus sufficiunt paucissimi vel unus.

Arg. 1. — E natura rei. — Sufficiunt v. g. conditiones hae:

a) Si paucissimi illi vel unus *erant duces, qui tota Ecclesia plaudente, certum aliquod punctum doctrinae,* praecipue contra specialem quandam haeresim, uti absolute tenendum, defendebant. Etenim infallibilis est tum Ecclesia docens in docendo

tum Ecclesia credens in credendo. Iamvero aut illa aut haec aut utraque simul e supposito doctrinam istius coryphaei haeresi immediate oppositam approbavit atque laudavit. Ergo infallibiliter verum est illud, quod ille uti haeresi immediate oppositum docet.

Unde infallibiliter vera est v. g. doctrina Athanasii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni immediate opposita Arianismo ; Cyrilli Alex., Leonis M., Sophronii doctrina immediate opposita Nestorianismo et Monophysitismo ; Agustini, Prosperi doctrina immediate opposita Pelagianismo et Semipelagianismo, etc.

Attamen per se *non singula argumentu*, *illustrationes, profundiores explicationes* quae ab illo uno vel illis paucis afferuntur, hac approbatione doctrinae, quae immediate haeresi opposita est, approbata sunt. Neque tamen repugnat quominus ob circumstantias etiam v. g. aliquod argumentum scripturisticum tali ratione ab Ecclesia universali approbetur.

b) Si paucissimi illi vel unus 1) erant *celeberrimi* doctrina et fama sanctitatis ; 2) docebant, aliquod punctum doctrinae *absolute esse tenendum vel* ab universali Ecclesia *iam credi* ; 3) *haec eorum assertio* v. g. ob opera eorum ubique diffusa etiam ipsa *orbi nota erat*, atque proinde etiam iis qui in Ecclesia tunc vel postea docebant, 4) *neque* tamen *ullam* tunc vel postea *oppositionem* excitavit ; 5) sed *magna istorum virorum vel istius viri laus* et Patris nomen in Ecclesia continuo *permansit*. Nam quia 1) Ecclesia universa et omnem in doctrina novitatem semper abominata est, et 2) ob eximiam curam, qua omnes ubique partes Ecclesiae sollicitae esse solebant, ne ab haeresi inficerentur, sane contra eiusmodi doctrinam, si falsa fuisset, ubique atque mox conclamatum esset.

Arg. 2. — **E modo argumentandi Patrum.** — *S. Athanasius* in ep. ad Ascanium *pro fide unius personae in Christo* adducit *quinque* Patres *e solo Oriente ; S. Cyrillus Alex.* in ep. ad Acacium pro eadem doctrina eundem numerum item e solo Oriente ; *S. Augustinus* contra Iulianum l. 1 c. 1-4 n. 5-12 M. L. 44, 463-8 *pro dogmate peccati originalis sex e solo Occidente*, quos n. 13 col. 648 iam sufficere ait.

Imo *ad unum solum S. Augustinus* pro diversis dogmatibus provocat : ad unum Cyprianum pro peccato originali, De peccat.

meritis et remiss. l. 3 c. 5 n. 10-11 M. L. 44, 190-92; item ad unum Hilarium ex Occidente pro fide peccati originalis, contra Iulian. l. 1 c. 3 n. 9 M. L. 44, 645; pro eodem dogmate ad unum Gregorium Nazianzenum ex Oriente ib. c. 5 n. 16, 650-1: « Est quidem tanta persona ut neque ille hoc nisi ex fide omnibus christianis notissima diceret, nec illi (orientales) eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent ».

Arg. 3. — E speciali quodam actu approbativo Ecclesiae docentis. — V. g. infallibiliter veri sunt sic dicti *anathematismi Cyrilli*, quippe qui *a Conc. Ephes. definiti* sint (D. n. 113-25). Infallibiliter verae sunt *quaedam doctrinae de gratia* S. Augustini; has enim Arausicanum II e S. Augustino desumpsit, Arausicanum II vero a Bonifacio II in ep. « Per filium nostrum » a. 531 et ab universa deinceps Ecclesia, huic Concilio adhaerente, *specialissima approbatione donatum* est. Cf. Cavallera n. 856-8, Hefele II² p. 737.

Schol. — **Si de speciali approbatione infallibili alicuius S. Patris constat, accurate videndum est, quas doctrinas ea approbatio comprehendat, quas non.** V. g. Caelestinus I ep. 431 « Apostolici verba » a. 431 ad episcopos Galliarum de S. Augustino hoc habet D. 128: « Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur ». De quibus verbis v. Portalié, Dict. de Théol. Cath. I, 2463.

Nihilominus « Indiculus » seu « Praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates », quae « videntur esse Romae brevi post Caelestinum I collectae et circa a. 500 ut genuina Sedis Apostolicae doctrina universim agnitae » (ita D. ad n. 129), c. 13 habet haec: « *Profundiores vero difficilioresque partes* incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere* ... », id quod e contextu totius Indiculi omnino de doctrina circa gratiam intelligendum est. Item Alexander VIII a. 1690 D. 1320 contra Baianos et Iansenianos, qui auctoritate

S. Augustini de gratia abutebantur, *reiecit* hanc sententiam: « *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam* ».

Obiectiones contra thesim.

E ratione theologica.

Ob. — Patres homines sunt. Atqui *homines infallibiles non sunt*. Ita Protestantes obicere solent. — *R.* D. ma.: et uti demonstravimus, in iis quae in consensu docent, *aut sequuntur Ecclesiam infallibilem aut ab ea ipsa approbantur*, c.; et nulla eiusmodi relatio ad Ecclesiam infallibilem in Patribus invenitur, n. Contrad. mi.

E statu literaturae patristicae.

Ob. 1. — Inter scripta Patrum inveniuntur scripta *dubiae originis*, alia, quae videntur *interpolata, aliis modis corrupta*, atque quaestiones literariae eo spectantes nondum solutae sunt. Ergo argumenta e Patribus tunc tantum formari tuto possunt, quando ea literatura statum suum perfectum attigerit. — *R.* D. ma.: *in ea mensura, ut iudicium certum de plurimis dogmatibus per Patres vere tales in consensu propositis* aut omnino *non aut nonnisi cum difficultate fieri possit*, n.; in minore omnino mensura, c. — Caeterum quaecumque fiunt, ut scientia de scriptis Patrum etiam sub respectibus commemoratis ad omnimodam perfectionem adducatur, theologi cordati grato animo laudabunt.

Ob. 2. — Tot Patrum scripta praecipue ex aetate antenicaena saltem usque nunc deperdita sunt. Atqui sane *e scriptis deperditis argumentum pro consensu Patrum fieri nequit*. Ergo. — *R.* C. ma. Dist. mi.: Interim nequit fieri argumentum saltem *indirectum*, in quantum scilicet Patres postnicaeni fidem suae aetatis in multis rebus testantur ad se derivatam e fide explicita et consensu Patrum aetatis antenicaenae, n.; nequit fieri argumentum *directum* ex ipsa aetate antenicaena, subd.: non pro tot doctrinis, pro quot fieri posset, si omnia scripta servata essent, c.; non *pro vere multis*, spectata scilicet excellentia Patrum eorum quorum scripta habemus, diversitate locorum et ex parte etiam temporum, in quibus floruerunt, n. Cf. arg. — Caeterum nova scripta Patrum etiam antenicaena etiam recentissime inventa sunt.

Ob. 3. — *Ea scripta, quae supersunt, non exhibent imaginem prio-*

rum trium saeculorum. Nam Ecclesia posteriorum saeculorum iussit *destrui ea scripta, quae cum sic dictis dogmatibus postnicaenis non conveniebant.* Unde tantum sententiae eorum Patrum ad nos pervenerunt qui ea aetate habebantur pro orthodoxis, qua Patres i. e. postnicaeni doctrinas de facto plane oppositas doctrinis Patrum priorum trium saeculorum proponebant. — Haec est idea praecipue eius partis introductionis, quam Harnak conscripsit ad opus suum Geschichte der altchristlichen Literatur v. I, 1 (1893) p. XXI-LXI.

R. N. *assertum* eiusque probationem. 1) Is modus procedendi est *contra ipsam auctoritatem humanam* eorum qui in Ecclesia catholica temporum illorum posteriorum gubernabant, *a fortiori contra infallibilitatem supernaturalem* corporis episcoporum. — 2) Etiam ipse status literaturae, nobis e saeculis prioribus conservatae, ostendit, illam theoriam plane admitti non posse. Etenim *multa scripta* e prioribus saeculis nobis *servata sunt, quae posterioribus saeculis sane haeretica iudicabantur,* multa vero scripta non conservata sunt, quae secundum mentem posteriorum saeculorum orthodoxa dicenda erant. — 3) *Ratio vero, cur tot scripta trium priorum saeculorum deperdita sint,* ex his atque similibus rationibus petenda est: Aliae quaestiones, praecipue aliae haereses, saeculo quarto Ecclesiam movebant atque saeculis anterioribus, in quibus praecipue ethncismus in scriptis Patrum debellabatur. Porro in Occidente incursus populorum septentrionalium, in Oriente vero quidam ut ita dicam formalismus in causa fuisse videtur, cur multa scripta antenicaena aut perierint aut interim oblivioni data sint. Cf. Ehrhard, Die altchristliche Literatur ud ihre Erforschung von 1884-1900, Freiburg 1900 p. 598-600 n. 3.

Ex auctoritate S. Augustini et S. Thomae.

Ob. — *S. Augustinus* ep. 82, ad Hieronym. M. L. 33, 277 ait: " Alios (praeter Scripturam libros) ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, *non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt*; sed quia mihi, vel, per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreant, persuadere potuerunt „. Eadem re habentur aliis in locis. Et *S. Thomas* in 1 q. 1 a 8 ad 2 data opera de Patrum auctoritate agens statuit. " Utitur (theologus) auctoritatibus doctorum Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed *probabiliter tantummodo* „. - *R.* Sancti doctores hoc intellexerunt de Patribus in consensu rem ut certo a catholicis tenendam docentibus, n.; de Patribus sive singulis vel quibusdam, sive alio modo docentibus atque ad doctrinam infallibilem requiritur, c.

Expl. — S. Augustinus celeberrimus est ob invictam vim, quam ascribit argumentis ex auctoritate Patrum, quae pro multis dogmatibus non raro adducit, v. v. g. textus in thesi citatos. Praeterea data opera effert, singulos quidem errare posse, consensum vero eorum ab errore immunem esse, v. g. De peccat. merit. et remiss. l. 3 c. 7 n. 14 M. L. 44, 194: " Haec [de auctoritate Patrum] non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat, ab initio usque ad praesens tempus quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiae fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur „. — Simili modo debemus explicare S. Thomam, cum v. g. aliunde sciatur eum versatum fuisse in scriptis ecclesiasticis, quibus recta explicatio auctoritatis Patrum evidenter continetur.

E dissensu Patrum inter se.

Ob. — *Patres* in diversis quaestionibus in rebus fidei et morum *inter se dissentiunt.* Atqui ex iis qui inter se dissident sane argumentum peti nequit, quod auctoritate omnium innitatur. — *R.* C. ma., di. mi.: quamdiu perdurabat dissensus, c.; quando cessavit, n. Aut omnino nullum *argumentum* peremptorium pro aliquo puncto doctrinae e Patribus *formamus*, aut tantum *inde ab eo tempore, in quo dissensus, forte antea inventus, cessit consensui.*

Ex erroribus qui in Patribus inveniantur.

Ob. 1. — Patres in *diversis scientiis profanis tot errores* profitentur. — *R.* Et cum tales profitentur, eos a *catholicis ut talibus tenendos esse docent* idque in consensu, n., alio modo eos docent, et forte nunquam in consensu, c.

Ob. 2. et instantia ad 1am. — Patres errarunt etiam in eiusmodi rebus profanis, quas a catholicis ut talibus tenendas esse docuerunt. Etenim secundum tales ideas falsas v. g. physicas vel astronomicas Scripturam exponunt. — *R.* Nego eos eiusmodi explicationes uti *a catholicis tenendas docuisse.* Cf. p. 573-5 Plura de hac re dari solent, quando de sequendo consensu Patrum in interpretanda Scriptura agitur.

Ob. 3. — Patres regnum millenarium seu Chiliasmum admittebant. Atqui is falsus est. — *R.* D. ma: Patres sive in consensu sive saltem quidam admiserunt tale regnum millenarium, quo durante in urbe Ierusalem sancti resuscitati ita cum Christo regnaturi essent, *ut simul servirent voluptatibus carnis et ritibus Iudaicis, n.*, hic enim erat Chiliasmus haereticorum iudaizantium; Patres docuerunt tale regnum millenarium, in quo Christus per mille annos in Ierusalem regnaret cum resuscitatis iustis in regno etiam terreno, at *quin peccatis istis subditi essent vel ritibus istis deservirent*, subd.: id docuerunt omnes in consensu, n.; pauci extra consensum, iterum subd.: uti rem ab Ecclesia explicite creditam n., uti explicationem quandam ulteriorem fontium fidei, iterum subd.: quam utique quidem Patres praeferebant at nihilominus putabant esse sententiam liberam in Ecclesie, c.; quam Patres isti necessario in Ecclesia teneri putabant, n.

Expl. a) *Duodecim* certe *nobis noti* sunt qui talia proposuerunt: Papias, S. Irenaeus, S. Iustinus, Tertullianus, Methodius, Nepos, Victorinus Pataviensis, Commodianus, Lactantius, Hilarion, Sulpic. Severus. Imo Eusebius dicit, ita docuisse " perquam multos „, " plurimorum sequitur multitudo „. — *At non deerat multorum Patrum dissensus.* Ita Dionysius, celeberrimus Patriarcha Alexandr., contra Nepotem scripsit. Imo in diversis ecclesiis ideo Apocalypsis S. Ioannis suspecta facta est, quia hanc doctrinam chiliasticam proponere prima fronte quibusdam videbatur.

b) *Modus*, quo scriptores isti doctrinam suam proponunt, *non est is, qui ad auctoritatem infallibilem Patrum requiritur.* Provocant quidem pro ea ad Scripturam, symbolum, traditionem, rationem theologicam. At quidam ex ipsis data opera *concedunt, non agi de re, quae salva fide negari non possit.* Ita S. Iustinus, Dial. cum Tryphone n. 80, MG. 6, 663 ait: " multos vero etiam Christianorum, qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere tibi significavi „. Item S. Irenaeus, Adv. haer. l. 5 c. 31 MG. 7, 1208 confitetur: " ex his, qui putantur recte credidisse „ esse, qui talem doctrinam non assumant. Cf. quoque c. 33 n. 4, c. 35 n. 1. Unde apparet Patres in his locis non agere testes fidei communis Ecclesiae.

Cf. v. g. de San, o. c. n. 230-35 p. 186-94; Pesch, tom. IX th. 43 p. 343-52, tom. I n. 584; Franzelin[4], o. c. th. 16 p. 173-87; Werner-Geschichte der apol. u. polem. Lit. v. II p. 460-7; Murray, I p. 311-35.

Ob. 4. — E Patribus Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Bernardus *affirmant, visionem Dei iustis non concedi statim*

post mortem, sed ad tempus resurrectionis carnis differri. Atqui haec sententia falsa est.

R. D. ma: Patres docent hanc doctrinam 1) ut certo tenendam, 2) in consensu, n.; utrumque elementum deest, c.

Expl. 1) *Alia sive implicite sive explicite docent* Clemens Rom., ad Cor. 5, 6; S. Ignatius ad Rom. 4; S. Polycarpus, ad Phil. de S. Paulo et apostolis; epistola ecclesiae Smyrnensis de S. Polycarpo; S. Basilius, Hom. de gratiarum actione; S. Gregorius Naz., Orat. 10 in Caesarium fratrem; S. Hieronymus, ad Marcellam de obitu Laetae; S. Greg. Magnus, in psalm. 4 poenitentialium.

Aliis locis *iidem Patres, qui falsam sententiam tradunt, contrarium profitentur*, praecipue in orationibus ad celebrandos sanctos homines iam defunctos. Ita S. Ambrosius in ep. 15 (classis 1[a]) ad Thessal. de Acholio; S. Augustinus clare in Enarr. in psalm. 119 n. 6; S. Gregorius Nyss. in oratione de S. Pulcheria; S. Bernardus serm. 2 in S. Victorem n. 4, serm. 19 de diversis, n. 3, serm. 2 de S. Malachia n. 3, etc. — V. g. *S. Augustinus* l. c. ML. 37, 1602: « quod enim nobis per paginas scriptum est, *per faciem Dei illi cernunt* ». — Accedit quod S. Augustinus, Retract. l. 1 c. 14 ML 32, 606 data opera affirmat, quaestionem nullam esse de sanctis angelis, at de sanctis hominibus nondum resuscitatis merito quaeri. Ergo sententiam suam negantem non ut certam exhibet.

Cf. ampliora penes de San, o. c. n. 236–40 p. 194–203; Atzberger, Geschichte der christl. Eschatologie p. 80 sq., 136 sq., 242 sq., 307 sq., 476 sq., 599; Muratori, de paradiso, Verona 1738, quem librum le Bachelet, art. Benoit XII n. VI 2, D. Th. C. t. 2 col. 676–97 cum accurata lit., pro opere principali de hac quaestione habet. De S. Ambrosio et S. Bernardo cf. Stentrup, Soteriol. t. II, p. 878–86.

Ob. 5. — *Textum Is. 53, 8*: « Generationem eius quis enarrabit? » *Patres explicant de Christi mirabili « generatione »* sive aeterna ex Patre ratione divinitatis, sive temporali ex Virgine ratione humanitatis, *recentiores vero de malitia aequalium Christi*, quae maior sit, quam ut enarrari posse videatur, vel de *numerosissima atque mirabilissima sobole spirituali Christi.* Cf. Knabenbauer Com. in Is. tom. 2 ad l.

Locum Hebr. 6, 4-6: « Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, renovari ad poenitentiam », *Patres explicant de impossibilitate secundi baptismatis, recentiores vero exegetae generatim de magna difficultate ut quis post apostasiam* se iterum ad fidem convertat.

R. — Patres has et alias quasdam similes sententias de explicatione Scripturae *proponunt ut unice catholicas*, n.; ut eiusmodi sententias,

quae iis ob rationes quasdam sive *probabiles* sive *scientifice certae* videbantur, c.

Explico:

1) « Auctoritas ecclesiastica (observat Pesch l. citando) numquam hanc recentiorum interpretationem interdixit aut vituperavit. Ergo illa alia expositio SS. Patrum non potest censeri necessario sequenda ».

2) Sic dictum consensum Patrum quod spectat et modum quo rem proponunt:

a) *Quoad Is. 53, 8.* Secundum Patrizi in Act. Ap. 8, 33, Patres 39 locum de aeterna generatione explicant, 4 de nativitate e Virgine, 20 de utraque, 1 de resurrectione. *Consensum igitur non adesse* patet, quum duo dogmata plane sint diversa... ». Cornely, Introd. in U. T. libros sacros I, p. 592; item Pesch n. 587.

b) *Quoad Hebr. 6, 4-6.* Iosepho Corluy, S. I., Spicilegium, tom. I Gandavi 1884 p. 250-6, qui et veterum et recentiorum explicationem exponit, recentiorum vero praefert, tantum octo Patres pro ista veterum sententia noti erant. — Addendum videtur hoc: Iam S. Ambrosius, De poen. l. 2 c. 2 n. 12 ML 16, 499 explicationem recentiorum permittit. Eulogius, saeculo sexto episcopus Alexandrinus, in l. secundo e libris sex contra Novatianos nunc deperditis, locum hunc explicat de impossibilitate, ut quis post baptisma Christi ad legis (Mosaicae) baptismata revertatur. Ita exhibet in excerpto suo Photius, Bibl. Cod. 280 MG 104 col. 331-42 speciatim 335.

3) Sunt etiam inter recentiores adhuc qui Hebr. 6, 4-6 magis ad modum Patrum dictorum explicant. Ita v. g. Estius ad v. 4, qui tamen addit, Patres non tam de baptismi caerimonia, quam de eius effectu » esse intelligendos. Semel tantum possibilem esse viam illam faciliorem ad gratiam, scilicet per regenerationem, dum alia, per poenitentiae sacramentum, saepe utique pateat, at durior sit, quippe quae satisfactionem pro peccatis subeundam includat. — Porro recentiores quidam expressionem Is. 53, 8 « generationem eius » interpretantur impiissimos Iudaeos, quidam piissimam sobolem Christi. Cf. arg. Quae sane sat diversa sunt.

4) *Rationes* autem *speciales* aderant, cur dicti Patres minus perfectam explicationem illorum textuum proferrent:

Quoad Is. 53, 8: Vox graeca « γενεά » et latina « generatio » quam, linguae hebraicae ignari, in suis versionibus legebant, sensum quem ipsi statuunt permittit; at vox hebr. « dor », quamvis plus quam centies sexagies in sacris litteris inveniatur, numquam hunc sensum admitlit.

Quoad *Hebr. 4, 4-6*: « Ubicumque de illo textu loquuntur, statim quaestio incidit cum novatianis, qui ex verbis Pauli deducebant, gravia peccata post baptismum commissa remitti non posse. Unde *contra* hos *haereticos arguunt*, hunc *sensum* [*haereticum*] *verbis apostoli nullo modo subesse;* dein vero, quia apostolus utitur vocabulis φωτισθέντας et ἀνακαινίζειν, quibus posterioribus temporibus saepe significatur baptisma, textum interpretantur de non repetendo baptismo, et quidem nulla habita ratione contextus. Itaque cum ex altera parte sit veritas revelata, eum, qui est in statu peccati contra Spiritum Sanctum, difficulter converti, certe SS. Patres non contradixissent, si quis iis ostendisset ex contextu censendum esse apostolum loqui de hac veritate ». Ita e Pesch I n. 586.

Assertio. — Patres, extra consensum spectati, in rebus fidei et morum per se a vero aberrare possunt. Nihilominus venerandam quandam auctoritatem, etsi non omnes eandem, sibi vindicant.

Expl. term. — Intelliguntur Patres *tum singuli tum complures*, dummodo non forment consensum; non tamen sive singuli sive complures in iis circumstantiis, in quibus, uti mox 5, I. II. vidimus, eorum doctrina indicio est, quid doceant omnes in consensu. Unde dicimus, eos « per se » aberrare posse.

I. Extra consensum errare possunt.

Arg. 1. — Ex Ecclesia ut unico subiecto infallibilitatis in docendo. — Vi charismatis nonnisi Ecclesia docens, i. e. corpus episcoporum cum papa vel papa ex cathedra docens, infallibilis reddita est. Iamvero quamvis probaverimus, Ecclesiam docentem se vadem reddere infallibilis doctrinae Patrum, tamen ea argumenta id unice probant pro consensu Patrum. Ergo singuli extra consensum errare possunt.

Arg. 2. — Ex auctoritate ipsorum Patrum. — V. g. *S. Ambrosius* ep. 46 n. 2 ML 16, 1146: « Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primum quia et in iis quae scio, falli possum... » — *S. Augustinus*, ep. 3 ad Fortunianum n. 15 ML 33, 628-9 affirmat: « *Neque enim quorumlibet disputationes quamvis catholicorum et*

laudatorum hominum, veluti Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificientia quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum ». — *S. Hieronymus* ep. 82 ad Theophilum Alexandrinum n. 7 ML 22, 740: « Scio aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare ».

Arg. 3. — E claris exemplis erroris huius vel illius vel aliquorum Patrum. — V. g. *S. Fulgentius* errat ut testis, cum in l. de fide ad Petrum ML 65, 671-706, uti unum punctum e 40 in quibus « ratio catholicae fidei constet » (col. 673), exhibet, parvulos ante baptisma morientes « ignis aeterni sempiterno supplicio esse puniendos », c. 27 n. 68 col. 701. Alii errant ut doctores, quando Scripturam ita explicant ac si angelorum corporeitatem doceret. Cf. v. g. Palmieri, De Deo creante th. 18 n. V-IX p. 163-72. Etc. V. *plura exempla in difficultatibus mox afferendis.*

Arg. 4. — E causis quibusdam errorum. — Speciatim sunt hae: in re *positiva*: **Scriptura** in locis praecipue difficilioribus non recte explicabatur, v. g. de duplici tempore resurrectionis mortuorum atque regno Millenario inter unam et alteram interiacente. **Traditio** humana particularis, quae potest esse falsa, ob criteria traditionis divinae non recte applicata, cum divina universali confundebatur. Ita v. g. traditio rebaptizandi haereticos, ad quam S. Cyprianus provocabat, nequaquam antiqua atque universalis erat, sed recens atque particularis. In re *speculativa* v. g. e vero dogmate consequentia quaedam non recta trahebatur, v. g. *S. Augustinus* e peccato originali infantium ante baptismum decedentium cruciatus aliquos eorum infert.

II. At etiam singulorum auctoritas veneranda est.

Etenim adagium est, peritis in arte credendum esse. Iamvero Patres in re theologica versatos fuisse speciali ratione, sane ex iis constat, quae, uti antea exhibuimus, rationem Patris constituunt.

Haec singulorum auctoritas diversos gradus habere potest.

E natura rei ea auctoritas eo maior est, quo *a)* maior est *numerus* Patrum, qui alicui doctrinae extra consensum adhaerent; *b)* maior est *commendatio* alicuius Patris e parte Ecclesiae ob certa doctrinae capita, v. g. S. Augustini in quaestionibus de gratia, S. Cyrilli in quaestione Nestorianismi; *c)* excellentiores sunt ingenii, eruditionis, profunditatis theologicae *dotes*, quibus eum insignitum fuisse ipsa opera produnt atque posteritas agnovit; *d)* maior est *propinquitas ad aevum apostolorum*. — Crescit multum auctoritas, si plura simul e dictis elementis aliquem vel aliquos Patres commendant.

Corollaria de interpretatione Patrum si extra consensum spectantur.

1) Si regulis omnibus interpretationis tum catholicae tum grammatico-historicae servatis, doctrina alicuius Patris in rectum sensum explicari nequit, non ad violenta recurrendum est, v. g. ut scriptum spurium vel interpolatum declaretur, sed *error concedendus est.*

2) Si ex una parte amor veritatis postulat ut in hac vel illa re a Patribus extra consensum recedatur, ex alia parte auctoritas eorum veneranda postulat ut *cum reverentia et modestia* recedatur. Ita v. g. S. Augustinus egit relate ad S. Cyprianum, cuius doctrinam de invaliditate baptismatis ab haeretico dati multis refutavit. Cf. v. g. De bapt. l. 2, c. 4 ML 43, 129. Proponatur magna utilitas quam scriptis suis tantus vir, quantus in omni Patre a nobis conspicitur, Ecclesiae Dei attulit; deinde ratio pandatur ob quam qua homo fallibilis in hac re erraverit.

3) Si Patres extra consensum visis circumstantiis in sensum verum explicari possunt, auctoritas eorum meretur *ut interpretatio benignior eligatur.* Modi autem, quibus eiusmodi interpretatio stabiliri potest, iidem sunt, quos 2 A, B consideravimus, cum de consensu Patrum ab errore vindicando ageretur.

Scholia ad thesim et assertionem de auctoritate Patrum.

Schol. 1. — Ratio argumentandi e scriptoribus ecclesiasticis. — *In ipsa re dogmatica* saepe solidum argumentum ex ipsis desumitur pro fide explicita Ecclesiae eius temporis, dummodo auctoritas eorum humana antea probata fuerit. — *In rebus histo-*

ricis et criticis saepe maximam auctoritatem humanam habent, si scilicet iis studiis speciali modo fructuose se dederunt. Id valet v. g. de Eusebio Caesarensi quoad historiam ecclesiasticam, de Origine quod criticam textus S. Scripturae.

Schol. 2. — Regulae quaedam practicae pro studio SS. Patrum.

1) Opus de quo agitur, opus *genuinum* sit alicuius Patris. Si nomen auctoris prae se non fert, constet necesse est, Ecclesiam illud ut orthodoxum amplexam esse.

2) *Editiones* adhibeantur quantum fieri potest *accuratae.*

3) Mens formata sit solido studio *theologiae scholastiae.* Alias facile erratur in scriptis Patrum explicandis. Etenim theologia scholastica theologiam Patrum in systema redegit et methodo quadam clara atque faciliore explicat.

4) Mens exercita sit in adhibendis *regulis interpretationis tum catholicae tum grammatico-historicae.* Cf. 2 A, B.

Propositio 28. — Theologi, si in consensu rem fidei et morum rata et firma sententia docent, a vero aberrare nequeunt.

Lit. — *M. Cano*, 1. 8 complectens c. 1-7, in edit. Patav. p. 232-51. — *Jac. Lainez S. I.*, Disputationes Tridentinae: Disputatio de origine iurisdictionis episcoporum qu. 3, c. 2, n. 105-8 ed. Grisar, Oeniponte 1886, tom. I, p. 139-42. — *Dom. Gravina O. P.*, Catholicarum praescriptionum controvers., controv. 2, qu. 1 praecipue art. 6-9, tom. 3, pars I, p. 238-69. — *Perrone*, De locis theologicis, pars II, s. 2, c. 2, § 7, n. 456-9. — *Jos. Kleutgen S. I.*, Theologie der Vorzeit [2], tom. 1 Introd. p. 1-48; pars 1, c. 2, n. III, p. 115-25; tom. 4, pars 2, tract. 1, c. 6, p. 95-132. — *Clem. Schrader S. I.*, De theologico testium fonte, th. 32, p. 315-22. — *Card. Franzelin*, De Trad. et Script. [4] th. 17, p. 187-200. — *Card. Mazzella*, De relig. et Eccl. n. 362-7, 370-2, 375. — *Berthier O. P.*, De loc. theol. 1. 2, art. 2, p. 394-420. — *De Groot O. P.*, Summa apol. de Ecclesia [3], qu. 21, a. 1, p. 797-803. — *Pesch* [4], th. 55, p. 400-4. — *De San*, De Trad. et Script. c. 11, p. 203-7.

Con. mat. et ratio tractandi thesim. — Uti in Conc. Trid. evolvit Lainez l. c., theologi posterioribus temporibus loco Patrum Ecclesiae a Deo dati sunt. Unde 1) convenienter post eos tractantur; 2) cum plurima theologis et Patribus communia sint, thesim potius breviter tractabimus; 3) eundem ordinem sequemur atque in thesi praecedenti.

Expl. term. — *Theologos* intelligimus eos viros catholicos, qui disciplinas sacras sive ore in scholis sive scripto sub vigilantia et ductu ecclesiasticae auctoritatis inde post aevum Patrum docuerunt.

Disciplinas sacras intelligimus omnes, v. g. etiam ius canonicum.

Cum ergo hac thesi theologos sensu technico tales consideremus, 1) neque *ethnicos* eos consideramus, quibus haec vox saepissime tum ab ethnicis tum a Patribus applicabatur, v. g. quia mythos deorum canebant (cfr. van Laak, De theologia generatim n. 2-4, p. 1-3); neque eos *haereticos* vel *schismaticos* professores scriptoresve, qui disciplinas sacras tractant idque generatim secundum principia haeretica; neque eos inter theologos catholicos qui de rebus sacris utique disserunt, sed qui id *non fecerunt sub ductu vigilantiaque Ecclesia,* sed secundum principia ab Ecclesia reprobata, uti v. g. saeculo 19 Günther.

Non est tamen essentiale, eos, qui hac thesi comprehenduntur, fuisse ordinibus instructos. V. g. quidam haud ignobiles canonistae *laici* erant, de quibus cf. v. g. Wernz [2], I in sua « Historia litteraria scientiae iuris ecclesiastici a decreto Gratiani usque ad Conc. Trid. ». Ubi n. 299 tractantur laici e saeculo 14 v. g. Ioannes Andreae, n. 301 Ioannes Calderinus, Ioannes de Lignano, n. 302 Baldus de Ubaldis, Petrus de Ancharano, qui omnes celebres erant iuristae, imo Petrus « canonista et iurisconsultus celeberrimus totius Europae ». — Imo neque desunt *mulieres*, quae de quadam disciplina praeclare scribentes, laudes in Ecclesia meruerunt, uti S. Catharina Genuensis de purgatorio, S. Theresia de mystica.

Theologi qua tales *non docent authentice* vel auctoritative sed *magisterialiter*. I. e. non vi potestatis iurisdictionis assensum imponunt, sed asserunt haec et haec esse revelata vel cum revelatis

connexa, atque etiam rationes pro hac assertione proponunt, ea porro explicant, defendunt, etc. Etenim authentice docere solius Pontificis atque episcoporum, i. e. auctoritatis ecclesiasticae est; diximus autem, theologos esse eos, qui sub vigilantia auctoritatis ecclesiasticae i. e. Pontificis et episcoporum docent. Erant utique, qui simul et episcopi et theologi essent. At alia erat ratio qua docebant authentice qua episcopi, alia qua magisterialiter uti theologi. Porro de facto pauci e theologis dignitate episcopali praediti erant, dum maior numerus Patrum episcopatum gereret. Si porro id locum habebat, generatim scripta sua theologica potius ante episcopatum composuerant, uti v. g. S. Bonaventura, S. Alfonsus, B. Bellarmino. Cf. quae de relatione inter episcopos et Patres in thesi praecedenti p. 568-9 exposuimus.

Inter *doctores* (cf. in eadem thesi p. 568) e theologis usque nunc relati sunt S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, S. Franciscus Salesius, S. Alfonsus a Liguori.

Quae de *re fidei et morum*, de *consensu*, de *rata et firma sententia*, de *inerrantia* theologorum explicationis gratia dicenda sunt, huc e thesi de auctoritate Patrum p. 569-70 transferantur. Unde sequitur res magni momenti: Si quid theologi etiam moraliter omnes uti probabilius vel probabilissimum dant, id non esse signum infallibilis veritatis doctrinae, de qua agitur.

Adversarii. Postquam Wiclef iam praecesserat, praecipue *haeretici saeculi 16* uti Patribus, ita theologis ob rationes in thesi praecedenti expositas adversabantur. Imo speciali odio theologos praecipue ideo prosequebantur, quia ii, in multis quaestionibus magis *explicita* proponentes quam Patres, erroribus quoque haereticorum saepe etiam clarius opponebantur. Unde v. g. *Melanchton* theologiam scholasticam dixit « diabolicas nugas et monachorum somnium », Der Bapstesel, Wittenberg 1523, Auffs vierde; op. omn. ed. Bretschneider et Bindseil v. XX, Brunsvigae 1854, col. 668. Doctrinam *Lutheri* de theologia v. v. g. in Denifle, Luther u. Luthertum [2] v. I, pars 2, c. 4, p. 479-612; porro Grisar, Luther v. I-III in locis etiam extensis, citatis ad v. Scholastik in indice III 1088.

Inter catholicos tempore renascentiae multorum hominum animi contra scholasticam in diversis terris non ob unam ratio-

nem male affecti erant. Cf. v.g. Denifle o.c. v. II 1909, c.1, n. 29-46, p. 42-50. — Teste Lainez n. 105 *tempore Tridentini* non deerant, qui ob rationes e traditione haustas putarent, auctores post S. Bernardum in Concilio non esse citandos, cum eorum doctrinae desit antiquitas, consensus, universalitas. — *Procedente tempore* et Cartesiani et Iansenistae, illi ob rationes philosophicas hi ob theologicas, a scholasticis sat alienabantur. — *Ultimis decenniis saeculi 18 atque in parte 19* catholici quidam auctores, ut ecclesiam catholicam ea ratione defenderent quam temporibus magis accomodatam putarunt, derelicta philosophia et theologia scholasticorum, principia opposita amplexi sunt. Unde non poterant quin eorum auctoritatem spernerent. Inter quos nominandi sunt v. g. in Gallia de Lamennais (Traditionalismus) ; in Belgio Ubaghs, alii (Ontologismus) ; in Germania Hermes, Günther (de fide, Trinitate, etc.), alii. Cf. Kleutgen, de saeculo 16 o. c. IV [2] p. 71-83 ; de saeculo 18 et parte 19 I [2] p. 1-45.

Pars. I. Ipsa thesis.

Arg. 1. — E relatione theologorum ad corpus Ecclesiae docentis. — 1) Universitates medii aevi *a*) sive ab ecclesiastica auctoritate sive a principibus, qui Ecclesiae dediti esse solebant ; *b*) ad eum praecipue finem sive erigebantur sive erectae confirmabantur, ut doctrinam Ecclesiae exponerent atque defenderent ; *c*) qui finis ut efficacius obtineretur, a viris ad id munus ab *Ecclesiastica auctoritate* deputatis *regebantur*. Unde *a*) sane impossibile est, eos qui in iis docebant vel praelectionum fructus scripto tradebant, non *vere voluisse* id uti creditum vel uti ob connexionem cum creditis firmiter tenendum tradere, quod Ecclesia de facto credebat vel quod ipsi de facto uti cum creditis connexum putabant. Erant porro theologi in diversis terris plurimi, inter quos multi ingenii laude clari, opinionibus philosophicis sat diversis dediti. Quare exclusum est, eos aut doctrinam praesentis Ecclesiae explicitam *non recte percepisse*, aut eos in *conclusionibus* ducendis et similibus *ad errorem prorsus unanimem pervenisse*. *b*) « spectatis scholarum theologicarum tali origine, tali fine et praesertim tali perpetua ad ecclesiam ipsis invigilantem

easque dirigentem subordinatione, impossibile est, ut magistri scholae in suo complexu spectati non constanter innixi fuerint principio fundamentali ecclesiae, quod est obedientia praestanda magisterio ecclesiastico, et per consequens impossibile est ut ipsi rata et firma sententia aliquid unanimiter docuerint tamquam ad fidem pertinens quod tamquam tale non perhiberetur cotidiana praedicatione magisterii ecclesiastici ».

2) « Cum praecipui in clero ipsique imprimis episcopi maximam saltem partem in scholis theologicis instituerentur et ex ipsis prodirent, si a magistris scholae universali ac rato consensu fuisset traditum tamquam ad fidem pertinens aliquid quod revera esset falsum in fide vel saltem ad obiectum fidei non pertineret, *error ille ab ipsis transisset in clerum et a clero in populum fidelem, et sic depositum fidei corruptum fuisset.* Quia ergo Ecclesia strictissima obligatione tenetur ad integre et illibate conservandum depositum revelatum certumque est ex promissionibus divinis fore ut nunquam huic obligationi desit, certum est etiam, *semper ita efficaciter invigilasse doctrinae a magistris scholae traditae* ut nunquam inter hosce magistros perveniretur ad unanimen et ratum consensum in errorem doctrinae alicui fidei adversantem ». — Cf. Lainez, l. c. n. 107.

3) « Praeterea historice etiam patet, suum *ius invigilantiae* magisterium ecclesiasticum semper *sollicite exercuisse.* Si qui enim ex doctoribus scholae ad sententias in fide falsas vel periculosas declinabant, illico tum ipsa auctoritate academica tamquam subdelegata per propositionum harum proscriptionem et per scientificas censuras, tum, si opus esset, auctoritate episcoparum et ipsius pontificis supremo magisterio coercebantur ». De San n. 243 b, c.

4) Confirmatur res ex eo, quod usque nunc nulla doctrina, quam theologi omnes unanimiter docuerunt, ab Ecclesia posteriore damnata est, multae vero definitae sunt.

De erectione et regimine Universitatum medii aevi cf. H. Denifle, Geschichte der Universitäten im Mittelalter bis zum Jahre 1400 I 1885 praecipue c. V, p. 763-800; simul cum Chartulario Universitatis Parisiensis [vol. I-IV, 1889-97], eiusque Auctario

[v. I-IX, 1894-7]; de scriptoribus Hurter, Nomenclator, tomi 5, ed. 3, 1903-13.

Arg. 2. — E laudibus quas Ecclesia tum usu tum verbis theologis tribuit. — *a*) Verbis. — *Sixtus V* in bulla qua S. Bonaventuram doctorem Ecclesiae declaravit, theologiam « quae scholastica appellatur » edixit « *invictum fidei propugnaculum* », quod defendere, conservare, tueri suarum partium sit.

Pius VI falsam pronuntiavit sententiam Pistoriensium, qui ipsam scholasticam *novitatis* et *discordiarum in veritatibus maioris momenti accusaverant,* imo statuerant eam demum ad ipsum laxismum perducere. Nempe hac accusatione confundi vitia privatorum, qui scholastica abuti potuerint aut abusi sint, cum ipsa scholastica. Quo responso supponi videtur, ipsam scholasticam, unanimem scholasticorum sententiam, ab errore censeri immunem. D. 1576. — Cf. quoque D. 1579 ubi Pius VI sententias adhuc in schola libere agitatas contumeliis insectari vetat.

Gregorius XVI inter rationes, ob quas Cardinales Inquisitores libros Hermes damnandos iudicarunt, etiam hanc enumerat, quod contineant « propositiones in catholicas scholas iniuriosas ». D. 1620.

Sub *Pio IX* Congregatio Indicis iussit inter alias theses etiam huic a Benetty subscribi: Methodus scholasticorum « *non ad rationalismum* ducit neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in *naturalismum* et *pantheismum* impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel tacente Ecclesia, usurpaverint ». D. 1652.

Pius IX in Brevi « Eximiam » a. 1857 in doctrina Günther etiam hoc reprehendit, in ea « nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quae recolendae memoriae Pius VI decessor Noster sollemniter damnavit ». D. 1657.

In epistula « Tuas libenter » ad arch. Monaco-Frisingensem anni 1863 diversa de theologorum auctoritate docet: « Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opi-

nione *ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur,* quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem Doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus *theologicam eorum doctrinam extulit illamque veluti certissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit* ». D. 1680.

Praeterea Pontifex « de illa subiectione, quae fidei actu est praestanda », docet, eam non esse limitandam ad expressas Conciliorum oecumenicorum et Pontificum definitiones, sed eam esse ad ea quoque extendendam, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, *ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur* . Vides a Pontifice supponi, consensu theologorum sine errore ea ut credenda referri, quae ab Ecclesiae auctoritate ut talia traduntur. D. 1683.

b) **Usu.** — 1) *Concilia universalia et Romani Pontifices* :

α) In definitionibus praeparandis *consilio* theologorum quam plurimum uti solebant ; qui ob hanc causam ad Concilia universalia convocabantur, vel inter Consultores Congregationum Romanarum adhibentur.

β) *Secundum doctrinam* theologorum multa *definiverunt.* Ita Patres Concilii *Viennensis* (1311-12) inter duas theologorum sententias, quarum una negabat parvulis in baptismo conferri gratiam, alia vero affirmabat gratiam atque habitus virtutum infundi, hanc secundam « tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbando Concilio duximus eligendam ». Generatim docti tenere videntur, eis verbis sententiam secundo loco propositam tantum ut magis fundatam designari, non vero uti veram definiri ; Straub vero n. 967 nota tom. II, pag. 343-5 demonstrare nititur, eam ut veram definiri, caetera vero iis verbis contenta uti motiva definitionis adduci.

In Conciliis *Lugdunensi et Viennensi*, *Florentino*, *Vaticano*, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse *Thomam* et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et

rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem ». Etiam Conc. Tridentinum saepe ad S. Thomam, praecipue ad eius Summam theologicam, recurrit. V. Encycl. Leonis XIII « Aeterni Patris ». Act. Leonis XIII v. I p. 276-7. Die vero 7 Mart. 1916 S. Congr. de Semin. et de Stud. Univ., cum interrogatum esset, num. 24 illae theses philosophicae in decreto eiusdem Congr. d. 27 Iulii 1714 enumeratae « imponi debeant Scholis catholicis », statuit, ut « proponantur velut tutae normae directivae ». V. Act. Ap. Sed. 1916, p. 156-7. Quid vero sit doctrina tuta v. in thesi de auctoritate Ecclesiae in censuris ferendis. — Similem influxum in deliberationes et decreta Conciliorum esse attribuendum *Sancto Bonaventurae* v. Lud. a Castroplanio O. M., Seraphicus Doctor Bonaventura in oecumenicis catholicae Ecclesiae Conciliis cum Patribus dogmata definiens, Disquisitio historico-theologica, Romae 1874, pp. 384, 8°. — *Scotus* vero tantam « adeptus est nominis auctoritatem, ut s. congregatio [S. Officii] Pauli V iussu declaraverit, immunem esse a censuris doctrinam Scoti edixeritque, ne quis librorum censor prohibere typis auderet, quod certo constaret ex Scoto depromptum esse ». Hurter, Nomenclator[3] II, p. 460-1.

γ) Praeprimis vero *cotidianus usus* scholarum etc. per saecula continuatus testimonium Ecclesiae continet, quippe qui sub vigilantia Ecclesiae constitutus sit. Iamvero libri theologorum in scholis aut ut libri textus adhibebantur, aut ut commentarii ad quosdam celeberrimos auctores, uti Petrum Lombardum, S. Thomam, Scotum, alios; porro etiam extra scholas inserviebant tum ad instructionem fidelium tum ad lucem praeferendam ipsis profundioribus scientiae inquisitionibus.

Pars. II. — Indicantur signa, quibus cognoscatur, quid theologi in rebus fidei et morum firma et rata sententia in consensu doceant.

Suppositis iis, quae de Patribus p. 561-73 diximus, quaeque huc per singula puncta transferenda sunt, quaedam pauca speciatim de theologis notanda adicimus.

1) Qui inter theologos in sensu technico huius theseos enumerandi sint.

Non ideo quis ex eorum numero *excluditur*, quia de quibusdam rebus, quae ea aetate, qua theologus scripsit, nondum in explicita Ecclesiae confessione erant, aliter docuit atque Ecclesia postea decidit; vel eo quod eo vivente eiusmodi sententia ab eo proposita ab ecclesiastica auctoritate correcta est. — *Excluduntur* vero, qui secundum principia falsa, ab Ecclesia reprobata, theologiam excolunt, uti v. g. quibusdam videtur fecisse Abaelardus, quippe qui docuerit, omnia ratione naturali cognosci posse; vel uti seculo 19 Günther, qui omnia, etiam mysteria, ratione naturali demonstrari posse contendit atque proinde totam methodum theologiae excolendae mutat. Unde si tales a reliquis dissentiant, consensum non turbant.

2) Quid doceant singuli.

Cum doctrinae eorum haud raro ex integris eorum systematibus philosophico-theologicis hauriendae sint, sedulo haec duo attendenda sunt: 1) Ut singula in luce totius systematis scientifici considerentur. 2) Ut primo et principaliter ii loci attendantur, in quibus auctor data opera de aliqua quaestione agit, minus vero ii, in quibus quasi per accidens et quasi aliud agens eam tractat. Neque id omittendum est, ut attendatur, num auctor de facto, id quod in hominibus vere doctis atque sincerae mentis aliquando fit, sententiam anteriorem postea mutaverit.

3) Quid rata et firma sententia doceant.

Dum theologi recentiores insigniores in singulis fere assertionibus proponendis addere soleant, num eam ut certam an ut probabiliorem habeant, veteriores eam consuetudinem non habent. Unde si quid affirmant, saepe aliunde discernendum est, utrum id ut certum an ut probabile proponant. Ad rem hanc spectat quod nominatim de S. Thoma celeberrimi eius commentatores Salmanticenses adnotant in Cursu theol. de vitiis et peccatis tom. 8 disp. 17 n. 84 ed. Paris. 1877 p. 387: Neque

enim D. Thomas solis demonstrativis rationibus semper usus fuit: sed aliquas probabiles aut verisimiles saepe adhibet ». Id praecipue valere de Summa c. Gentiles.

4) Quid ut rem fidei et morum proponant.

Scholastici multo plus quam generatim Patres etiam in operibus principaliter theologicis quaestiones mere philosophicas tractant, vel etiam ex philosophia explicationes pro doctrinis fidei quaerunt. Unde sedulo attendendum est, eo ipso quod aliquid in suis studiis philosophicis proponunt ut verum, eos id non iam proponere uti cum theologia connexum; neque eo ipso quod aliquam speculationem adhibent ad doctrinam fidei explicandam, eos eam iam uti unice possibilem atque proinde necessario tenendam edicere. Idem valet de argumentis quae proponunt. Num ergo doctrinas vel argumenta ut certo connexa cum fide atque proinde necessario tenenda tradant, id aliunde discernendum est. Cf. quae p. 580-1 de Patribus diximus.

5) Quid in consensu proponant.

1) Cum maior pars auctorum non sit idem ac moraliter omnes, non repugnat quominus maior pars erret, minor recte sentiat. Imo, ut habet M. Cano l. c. c. 4 Concl. 1, etiam multo « plurium actoritas obruere theologum non debet; sed si paucos viros modo graves secum habeat, potest sane adversus plurimos stare ».

2) A fortiori, ut docet Cano l. c. « Alia sunt scholae [i. e. universae unanimia] placita..., alia sunt praecepta sectae [i. e. scholae cuiusdam theologicae, uti hodie loquimur]. Quae ab illis dissident, ea notam habent; quae ab his, non habent. Nec enim si quid aut Scoticis aut Thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illico est ».

3) Neque consensus habetur, si scholae quidem diversae generatim consentiant, at viri graves a sensu suae quisque scholae dissentiant. Cuius rei exempla afferentur, cum difficultates proponentur.

4) At curandum non est, « si unus aut alter obscurioris

nominis auctor absque efficacibus rationibus et responsis, contra torrentem nitatur... » Wirceburgenses I n. 237. Etenim eiusmodi viri impedire nequeunt illum consensum fidelium, e quo connaturaliter secuturo derivavimus, Ecclesiae infallibilem auctoritatem se vadem interponere pro iis, quae consensus theologorum docet. Idem valet si auctor est notae singularitatis, contra quem moraliter omnes insurgunt. Cuius rei ratio videtur esse eadem.

Difficultates e doctrinis particularibus theologorum.

Ob. 1. — Scholastici veteres cum S. Thoma in opusculo « De articulis fidei et Sacramentis Ecclesiae » *docebant, materiam totalem Ordinis sacerdotalis et diaconatus essentialiter requisitam esse traditionem instrumentorum.* Atqui hoc falsum est.

R. — Transmissa minore, dist. ma.: hoc docebant omnes, n.; auctores communius c.

Uti Card. Giul. van Rossum C. SS. R., De Essentia Sacramenti Ordinis disquisitio historico-theologica, Friburgi Brisgoviae 1914 p. 51 habet, negabant hanc doctrinam saeculo 13 *Guilelmus Antissiodorensis* († 1332) in lib. 4 Sent. tract. 8 art. 1; *Guilelmus Alvernus* Ep. Parisiensis († 1249) de sacramento Ordinis cap. 2; *S. Bonaventura* († 1275) in 4 dist. 24 p. 2 art. 2 [legendum est: art. 1; ed. Quaracchi tom. 4 p. 627–8]; *Petrus de Tarantasia* O. P. (Innoc. V) († 1276) in 4 dist. 24, qu. 5 [potius 3] art. 3; *Hugo Argentin.*, O. P. (floruit 1280), Brevis totius theol. verit. comp. in 7 libr. lib. 6, cap. 36 ». Saeculo 14 et 15: *Ioannes Bachon*, Carm. († 1346) in 4 lib. Sent. dist. 25 qu. 1 art. 2; *Thomas Waldensis*, Carm. († 1430) Doctrinale fidei tom. 3 (ed. Ven.) de sacr. Ord. cap. 123 ». Quibus pro saeculo 14 Commissio theologorum Romanorum, pro nova editione Euchologii Graecorum 1636–40 constituta, addidit *Innocentium IV* in opere quodam canonistico et in instructione sua pro legato ad Cyprum. Id quod refert Card. A. Gasquet O. S. B., American Quarterly Review 25, Philadelphia 1900.

De textu S. Thomae cf. van Rossum o. c. n. 89–93 p. 45–9. De sententia S. Bonaventurae et Petri de Tarantasia: I. de Guibert, Revue pratique d'Apologétique 1914 tom. 19 p. 221–3.

Minor transeat ad tractatum de Ordine. Certe ex distinctione maioris vides, etiam si quis minorum concederat, doctrinae de autoritate consensus theologorum nullum periculum imminere. Quamvis maior pars theologorum recentiorum solam impositionem manuum materiam essen-

tialem habeat, tamen etiam hodie sunt qui dissentiant. V. g. Card. Billot. De Eccles. sacram. t. 2 th. 30 ed. 6 p. 295-305 defendit, primam impositionem manuum simul cum sequenti porrectione instrumentorum esse materiam essentialem, formam vero in verbis « Accipe potestatem ».

Ob. 2. — Scholastici ante Tridentinum cum S. Thoma in 4 l. Sent. dist. 24 q. 3 art. 2 quaestiuncula 3 solutio 2; Suppl. qu. 40 a. 5; S. Bonaventura in eandem dist. qu. 3 ed. Quaracchi t. 4 p. 632-4, *docuerunt, episcopatum non esse sacramentum. Atqui est sacramentum*, uti posteriores docent, quam sententiam iam B. Bellarmino De Ord. c. 5, dixit certissimam, Petrus Soto l. 4 de Sacr. Ordinis certa fide tenendam, etc.

R. 1) *Transmissa ad tractatum de Ordine quaestione num id quod veteres docuerunt, vere sit contrarium doctrinae recentiorum, dist. ma.:* id quod docuerunt veteres *docuerunt moraliter omnes*, idque *ut rem ab omnibus absolute tenendam*, quam duplicem conditionem ad argumentum e consensu theologorum requisitam esse vidimus, n.; id docuerunt neque omnes neque uti rem absolute tenendum, c.

a) Utrumque ordinem, et presbyteratum et episcopatum *esse sacramentum tradiderunt* v. g. *Guilelmus Antissiodorensis*, Summa l. 4 tr. 8 qu. 1; *Durandus a S. Porciano* O. P. († 1334) in hac. dist. qu. 5; *Petrus Paludanus* († 1342) in hac dist. qu. 6, 7. Etiam *Scotum*, h. l. quaestio unica, in hunc sensum explicant. Cf. Com. Hiquaei ad l. Op. Scoti ed Lugd. Tom. 9. p. 518. E temporibus Tridentino vicinioribus v. v. g. *Almainus* († 1515), *Caietanus* († 1534), *Ioannes Maior* († 1540). Porro *canonistae* tum veteriores tum Tridentino viciniores.

b) Ii ipsi qui episcopatui sacramenti rationem *negasse videntur*, tamen *aliquando oppositam sententiam non omnino excludunt.* Ita v. g. *Guilelmus Parisiensis*, De Ord. c. 13 in fine, ait: « Si quis voluerit episcopatum esse ordinem alium a sacerdotis minoris, non opponimus nos ».

Ita fere, excepto n. b, difficultatem proponit et solvit Hallier, De sacris electionibus et ordinationibus Pars II sect. 2 § 2 ed. Rom. 1739 p. 38-9. Aliqua nomina addidi e Pesch. t. 7 th. 47. Octoginta nomina negantium episcopatum esse Sacramentum usque ad suum tempus exhibet Card. Capisucchi O. P., Controv. theol. select. Romae 1670 contr. 28 de Episcopatu § 2, distincte appositis eorum locis.

R. 2) Alia est sententia, v. g. Card. Billot, De Sacram. t. 2, th. 31 § 2, p. 312-4; id docere videtur, *non esse dissensum vere realem inter doctrinam S. Thomae et recentiores theologos.* S. Thomam locis supra citatis tantum affirmasse *episcopatum non esse ordinem adaequate di-*

stinctum a presbyteratu, eo sensu ut episcopatus et gratiam conferret et characterem imprimeret *novum*, eum vero non negare, imo potius videri affirmare, episcopatum esse ordinem inadaequate a simplicis sacerdotis distinctum, quatenus episcopatus gratiam quidem conferret, characterem vero non conferret novum, sed *tantum modificaret iam praeexistentem sacerdotii characterem.* Ita potius haberes doctrinam, episcopatum esse sacramentum. — Iam Hallier putat, veteres forte tantum defendisse, Episcopatum non esse distinctum ordinem diversumque sacramentum a presbyteratu.

Ob. 3. — Scholastici veteres cum ducibus eorum summis S. Thoma in 4 l. Sent. dist. 24 qu. 1 art. 2 quaestiuncula 1 et 2; *S. Bonaventura* in dist. 24 P. II art. 1 qu. 1 ed. Quaracchi p. 621-2; *Scoto* eodem l. quaestio unica n. 8 *docent, Ordines minores esse sacramenta.* Iamvero Card. Gasparri, De sacra ord. 1 n. 31 habet hoc: « Longe probabilius, ne dicamus certum et apud recentiores passim receptum est alias ordinationes infra diaconatum non esse verum sacramentum ».

Responsum duplex est, prout ad diff. 2m datum est.

1) *a*) ***Negarunt, uti quibusdam videtur, eos ordines esse sacramenta***, ante tempus D. Thomae saltem implicite *Gratianus* (scripsit c. 1140), Distinctio 21, quem plurimi Canonistae sequuntur, paucis contradicentibus; *Hugo a S. Victore* († 1141), De Sacr. christ. fidei l. 2 P. 3 c. 13 ML 176, 430; *Petrus Lombardus* († c. 1164) l. 4 Sent. dist. 24, in quantum scilicet docent, eos ordines ab ipsa Ecclesia institutos esse, e quo utique sequitur eos non esse sacramenta. Formaliter rationem sacramenti negavit *Durandus a S. Porciano*, in 4 Sent. dist. 24 qu. 1 n. 9 clarissime: « nec sunt sacramenta, sed potius quaedam sacramentalia », idem qu. 3.

b) Secundum Card. Franzelin, De Traditione[4] th. 17 n. II p. 197 *haec res penes scholasticos* « non in certa sententia sed *in opinione posita erat* »; secundum Bened. XIV mens S. Thomae in hac re « saltem dubia » fuit, cum in op. 37 (alias 17) P. 2 c. 4 concl. 6 affirmet eos ordines ab Ecclesia esse institutos. Porro in l. 4 Sent. dist. 24 qu. 1 a. 2 sol. 2 tantum dicit: « et haec tertia opinio [etiam ordinibus minoribus characterem imprimi utique sacramentalem] communior est ». Porro docti editores operum S. Bonaventurae in scholio post locum quem mox e S. Bonaventura citavimus, dicunt (p. 622): « *Antiqui* doctores excepto Durando (hic qu. 1 n. 9) hoc affirmarunt ... probabilius ». Etiam S. Bonaventura l. c. adiungit « « videtur » ».

2) Etiam hodie quidam, auctores rationem sacramenti his ordinibus ascribunt.

Ob. 4. — Scholastici veteres cum Petro Lombardo 4 dist. 18 docent, in sacramento poenitentiae solum Deum remittere culpam, per sacerdotem autem peccatores solum *ostendi* solutos. Iamvero hoc evidenter est falsum. Cf. Trid. Sess. 7 can. 6–8, sess. 14 c. 6, D. n. 848–51, 902.

R. 1) *Haec sententia nequaquam omnium* erat. *Richardo a S. Victore* († 1173) haec sententia est « tam frivola, ut ridenda potius videatur quam refellenda ». Ab ea recesserant iam *Alexander Halensis* († 1245) Summa P. 4 q. 14 membr. 2 a. 1 § 2; *S. Thomas*, Opusc. 22 c. 2; Summa 3 q. 34 n. 3 ad 5; *Henricus Gandavensis* († 1293), Quodl. 1 qu. 32. Praecipue vero data opera eam confutavit *Scotus* in h. l. q. 18 et 19, post quem sensim abolevit.

2) S. Thomas in h. l. dist. 18 q. 1 a. 3 sol. 1 ad 1 Lombardum benigne ita interpretatur, ac si doceret sacerdotem tamen ad remissionem culpae « aliquid dispositive et instrumentaliter » operari.

Ob. 5. — Theologi consultores S. Officii omnes qui sessioni 24 Feb. 1616 interfuerunt — erant 11 — *qualificarunt doctrinam Galilaei* eo modo quem Rep. p. 504 exhibuimus. Iamvero hoc theologorum consultorum iudicium sane tam unanime non fuisset, nisi eadem fuisset sententia caeterorum theologorum scholasticorum. Erant enim illi consultores non unius scholae, sed unus archiepiscopus, unus Benedictinus, unus Augustinianus, sex ex Ordine Praedicatorum, unus e Societate Iesu, unus Clericus regularis. Atqui doctrinae Galilaei a theologis reiectae sane *a*) secundum scientias naturales amplectendae sunt, atque *b*) Leo XIII in Encyclica " Providentissimus „ docuit, auctores inspiratos loqui " sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea proprieque efferantur, quae cadunt sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) ea secutus est, quae sensibiliter apparent ... „.

R. — Ita docuerunt *theologi moraliter omnes*, iique, qui id docebant, tenebant moraliter omnes *contrarium haereticum vel erroneum in theologia, n.;* ita docuerunt 11 illi theologi et sane multi cum illis, c. — *Expl.:*

S. Thomas in Arist. 1. 2 de coelo: " Suppositiones, quas adinvenerunt astrologi, non est necessarium esse veras ... quia forte secundum aliquem alium modum nondum ab hominibus comprehensum apparentia inter stellas salvatur „. Idem docet 1 qu. 32 a. 1 ad 2, cuius loci verba ex Simplicio transsumpsit.

In *Universitate Parisiensi* eam viam explicandi facta et locutiones

Scripturae, quae a Leone XIII in Encycl. " Providentissimus „ proposita est, iam in ipso medio aevo tradiderunt praecipue *Nominales* quidam. Etenim *ante 1322* Parisiis docebat " *quidam doctor*, quod si terra moveretur et coelum quiesceret, quod hic esset melior dispositio „. Id quod refert Franciscus Mayronis, Scriptum in II Sent., dist. 4 q. 5, 14ª difficultas fol. 150 ed. Venetiis 1520. Cf. Duhem, François de Meyronnes et la question de la rotation de la terre, in: Archiv. Franciscanum Historicum 1913 p. 23-5 (Ueberweg-Baumgartner, Grundriss der Geschichte der Philosophie II¹⁰, Berlin 1915 p. 571, 585). — Iterum *Albertus a Saxonia* † 1390 episcopus urbis Halberstadt in Germania, Quaestiones in libros de coelo et mundo l. 2 q. 26 ed. Venetiis 1492 II fol. post fol. G. 3 col. a. asserit: " *Unus e meis magistris* [Parisiensibus] videtur velle, quod non sit demonstrabile quin possit salvari terram moveri et coelum quiescere „. Cf. Duhem ib. p. 24, Uberweg-B. p. 624. — *Nicolaus ab Oresme*, qui 1356 erat magister in Collegio Navarra atque 1382 mortuus est uti episcopus Lisieux, in suo " Traité du Ciel et du Monde „ probat possibilitatem admittendi motum diurnum terrae " par des arguments dont la clarté et la précision surpassent de beaucoup ce que Copernic a écrit sur le même sujet „. Duhem, Études sur Léonard da Vinci, 3e série, Paris 1913 p. 350. Cf. quoque Arch. Franç. l. c. p. 23. " Quantum ad argumenta, quae iam tunc temporis e Scriptura pro motu coeli et quiete terrae afferebantur, Nicolaus observat, dicendum esse, S. Scripturam in hac re sequi modum loquendi communiter adhibitum „. Uberweg-B. ib.

Idem principum tenebant v. g. Cardinalis *Nicolaus a Cusa* (Cues) † 1564), *alii* quos adducit A. Müller S. J., Nicolaus Copernicus, Freiburg im Breisgau 1898 p. 118.

In Germania *Nicolaus Copernicus*, canonicus in Frauenburg, systema heliocentricum tradit. In dedicatione sui celeberrimi operis " De revolutionibus orbium coelestium „, Nürnberg 1543, ad Paulum III, doctrinam illam proposuit uti certam (non tantum uti hypothesim, cf. Ad. Müller S. J., Nikolaus Copernicus, der Altmeister der neueren Astronomie, Freiburg im Breisgau 1898 p. 100-105), atque uti nullo modo oppositam Scripturae, quae secundum modum loquendi communem explicanda sit. Et Tiedemann Giese, *episcopus Culmensis* (ib. p. 104) et *episcopus proprius* Iohannes Dantiscus Copernicum defendebant.

In Hungaria *Card. Pázmány* († 1637) idem clare edixit in praelectionibus, quas 1598-1601 in Graz habuit. Cf. Petri Card. Pázmány Opera omnia... Series latina, tom. 3 Budapestini 1897 p. 70.

Post decreta S. Officii et S. C. Indicis inter alios, qui doctrinam in

iis stabilitam non ut omnino certam proponebant, quosque videre poteris penes Ottiger p. 833-6, *Honoratus Fabri* S. J. 1661 scripsit: demonstratio opposita " si forte aliquando a vobis [Copernicanis] excogitetur (quod vix crediderim), in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare, loca illa in sensu figurato et improprio intelligenda esse, ut llud poetae 'terraeque urbesque recedunt'„.

Difficultates e rationibus internis.

Ob. 1. — *G. Tyrrell*, A much abused letter, London 1906 p. 87: " *Quis nos docuit, consensum theologorum errare non posse, nisi ipsi theologi?* Homines mortales fallibiles, ignorantes uti nos ipsi! Animo aequo simus, non excitato [Let us keap our heads cool], neve terreamur, quando ipsi Ecclesiae vestibus induuntur atque anathemata sua Ecclesiae nomine uti fulgura quaedam contra nos pronuntiant „. Aliis verbis dici videtur: argumento ex auctoritate theologorum committitur petitio principii. - *R. Dist. ma.: nisi antea ex aliis argumentis* atque est auctoritas dogmatica theologorum, v. g. ex habitudine theologorum ad magisterium Ecclesiae, *demonstravissemus, theologos*, si in consensu rem ut a catholicis tenendam proponunt, *errare non posse*, c.; si id fecimus, n..

Ob. 2. — *Tyrrell* ib. p. 51-2 tractans quaestionem, num ob certas quasdam ideas ad " Catholicismum „ spectantes necesse sit ex Ecclesia egredi, respondet: " Non, si Catholicismus primario est vita et Ecclesia est spiritualis organismus, de cuius vita participamus, et si *theologia non est nisi conatus quidam, ut hanc vitam formulis quibusdam exprimat* illamque intelligat — *conatus quidam, qui totaliter* vel partialiter *deficere potest*, quin ideo valor et realitas dictae vitae detrimentum patiatur „. — *R.* Si verba, quae sublineavi, eum sensum habent, theologiam integram posse falsa exhibere, i. e. omnes qui eam profitentur etiamsi unanimiter aliquam rem ut certam et uti cum fide connexam tradunt, n. Cf. arg.

Ad rationem additam: *Catholicismus* (sicut religio omnis) *principaliter vita est, dist.: si obiective respicitur*, n., ita enim spectatus est collectio veritatum et institutionum quae a Deo mediante Ecclesia proficiscuntur; *si subiective spectatur, c.*, ita enim est summa habituum et actuum vitalium quibus homo catholicus secundum doctrinas aliaque instituta Dei, sibi mediante Ecclesia applicata, cum Deo coniungitur. — Ergo Catholicismus nullum detrimentum patitur sive verae sunt explicationes theologorum sive non, dist. min.: hoc ullo modo valet *de Catholicismo obiective sumpto, n.;* hoc valet de *Catholicismo subiective sumpto, subd.:*

noc ullo modo valet *de eiusmodi vita religiosa, qualis in hac oeconomia habetur, cuius scilicet et habitus et actus a revelatione divina et veritatibus connexis naturalibus credendo et agendo normam accipere debent*, n.; hoc valeret in absurda suppositione, vitam religiosam nullas veritates ordinis sive supernaturalis sive naturalis supponere, c.

Loisy, L'Evangile et l'Eglise,[3] p. 214–5 similia habet: " Tout l'échafaudage des arguments théologiques et apologétiques n'est qu' une *tentative*, d'ailleurs necessaire, *pour se figurer le rapport du passé avec le présent*, ainsi que la continuité de la religion et du progrès religieux depuis le commencement ". — *R.* Transmisso errore gravissimo, theologiae obiectum non esse ipsas veritates revelatas, sed tantum relationem historicam cognitionis praesentis theologicae ad praeteritum, d.: *est conatus, cuius quidam effectus a vero aberrare non possunt*, c.; cuius omnes aberrare possunt, n.

Ob. 3. — *Tyrrell* o. c. p. 50–1 verba antea allata latius explicat: " Omnes (*theologi*) ad certum quoddam punctum cum perventum fuerit, *confitentur ignorantiam suam et fidem suam in fidem aliorum* ". — *R.* Si his verbis nihil aliud auctor intendit dicere, quam hoc, neque omnes theologos simul usque nunc solutionem omnium difficultatum invenisse, sane vera sunt; si autem eo tendunt, ut auctoritatem theologorum in genere sive destruant sive attenuent, nego id ex ignorantia dicta legitime inferri. Etenim hoc probavimus, si theologi omnes aliquid ut revelatum vel cum revelatione connexum certo tradunt, errare nequeunt. In omni fere scientia multa interim ignorantur, multa certissime sciuntur, *in multis progressus fit.*

Ob. 4. — Contra argumenta quae ut definitiva ex auctoribus scholasticis hauriuntur ita arguitur a quodam auctore recentiore catholico: " ... *usque nunc ut norma* et regula pro iudicio de aliqua doctrina *habebatur Scriptura et Traditio, abhinc* [agit contra Pesch qui scripsit 1901] *canon* [infallibilis] consistit *in parte* [Ausschnitt, sector] *huius* [*Traditionis*]) — *Scholastica* ". — *R.* Transmissa assertione non recta, hanc doctrinam de valore normativo scholasticorum novam esse, n. suppositum, partem traditionis si secundum tempus spectatur, non posse esse normam veritatis catholicae. Imo, cum traditio semper continuanda sit in Ecclesia usque ad ultimum iudicium, nisi admittitur, partem aliquam traditionis, historia conclusam, vere posse esse veritatis normam, numquam argumentum e Traditione fieri posset nisi in die ultimi iudicii. Toties autem v. g. Patres posteriores iam argumentabantur apodictice e parte Traditionis, i. e. ex Patribus ante eos docentibus, etc. Cuius rei ultima ratio haec est: Patrum vel theologorum consensus, etsi tan-

tum ii considerantur qui in certa quadam epocha vivebant, nobis certo referre potest, quid auctoritas Ecclesiae certo quodam tempore tenendum docuerit. Iamvero *auctoritas Ecclesiae nullo non tempore infallibilis est* (Mt. 28, 20).

Iis ante oculos habitis, quae usque nunc de infallibilitate activa Ecclesiae docuimus, aggredimur quaestionem de unico vel pluribus subiectis infallibilitatis activae in statu ordinario Ecclesiae.

Expl. term. — De *sola activa infallibilitate* agimus. Cum ergo Ecclesia credens seu audiens non sit subiectum infallibilitatis activae sed mere passivae, *Ecclesia universalis audiens seu credens in hac quaestione consideranda non est.*

Quamvis theologi aliique, qui sub vigilantia corporis episcoporum docent, in consensu spectati a vero aberrare non possint, uti in propositione 24 probavimus, tamen, uti ibidem vidimus, non sunt subiectum cui charisma infallibilitatis inhaeret, sed tantum iis ministerialiter inserviunt, in quibus illud inhaeret, i. e. episcopis et Romano Pontifici. Unde *soli episcopi et Romanus Pontifex considerandi sunt.*

Vidimus porro propositione 22, ipsos episcopos charismate infallibilitatis non gaudere, nisi in quantum corpus episcoporum cum Romano Pontifice in eandem doctrinam peremptorie imponendam sive in Concilio sive extra Concilium conspirant. Sequitur, cum de subiectis charismatis infallibilitatis inter se comparandis agitur, non esse inter se comparandos nisi *ex una parte Romanum Pontificem* iam per se solum, quippe quem iam per se solum eo charismate praeditum esse propositione 20 demonstravimus, *ex alia parte eundem Romanum Pontificem simul cum corpore episcoporum in eandem doctrinam peremptorio modo conspirantium,* quippe quos uti unitos vi charismatis divini infallibiles esse propositione 22 demonstratum sit.

Intelligimus nempe episcoporum corpus *tum in quantum in Concilio simul cum Romano Pontifice docent, tum in quantum in orbe dispersi in doctrina quadam peremptorie proponenda cum*

eo conspirant. Auctores qui nonnisi unicum subiectum immediatum infallibilitatis assumunt, utique sat communiter data opera solam primam rationem considerare solent, qua extraordinario modo in Concilio docetur; at eam sententiam etiam ad modum ordinarium docendi simul cum episcopatu per orbem disperso extendere videntur. Nam primo quidam data opera sententiam suam etiam ad hunc modum ordinarium extendunt, uti v. g. Straub locis citandis n. 1063, in articulo n. 25-7 p. 290-4. Secundo, rationes quas afferunt etiam pro magisterio ordinario Ecclesiae docentis valere videntur.

Solum *statum ordinarium Ecclesiae* consideramus. Videbimus thesi 29, in statu extraordinario Ecclesiae, seu in aevo apostolico singulos apostolos fuisse redditos infallibiles. De quo statu extraordinario in hac questione non agimus.

§ I. — Falsissimum esset, si quis duo subiecta infallibilitatis activae adaequate inter se distincta statueret, scilicet Romanum Pontificem iam solum et episcopos solos sine Romano Pontifice.

Ratio evidens ea est: quaecumque promissio infallibilitatis apostolis, in quantum in eorum successoribus in aeternum vivunt, facta est, ea iis non est facta nisi in quantum in eorum Collegio Petrum eiusque successorem includebant. Id quod saepe vidimus.

§ 2. Duo sunt subiecta charismatis infallibilitatis activae inadaequate inter se distincta, scilicet tum Romanus Pontifex iam solus, tum Romanus Pontifex simul cum corpore episcoporum cum eo consentientium.

Arg. 1. — E probatis. — Romanus Pontifex ipse iam solus realiter inadaequate distinguitur a Romano Pontifice simul cum corpore episcoporum consentientium, uti caput realiter inadaequate distinguitur a toto homine. Atqui iam vidimus propositionibus 20 et 22, utrumque hoc subiectum charismate infallibilitatis praeditum esse. Ergo sane duo statuenda sunt subiecta infallibilitatis charismaticae realiter inadaequate distincta.

Arg. 2. — Doctrina communis theologorum idem affirmat, cum ii ipsi hoc asserere soleant, qui assertionem sequentem de unico subiecto immediato huius infallibilitatis, scilicet solo Romano Pontifice, plane defendunt, uti v. g. Straub locis citandis, nedum ii, qui duo subiecta immediata statuunt, scilicet tum Romanum Pontificem iam solum, tum Pontificem cum corpore episcoporum consentientium.

Ob. — Votum corporis episcoporum in Concilio ante confirmationem Pontificis charisma infallibilitatis non habet. Atqui hoc *votum episcoporum eo quod cum confirmatione Pontificis coniungitur, sane non mutatur.* Ergo neque si respicitur uti coniunctum cum confirmatione Pontificis dici potest infallibile. Ergo *simpliciter unicum statuendum est subiectum charismatis infallibilitatis, Romanus Pontifex.* Unde assertio, quae hic probanda assumitur falsa est; praeterea sequens assertio de unico subiecto immediato charismatis infallibilitatis iam evidenter probata est; etenim si subiectum simpliciter unicum est, certe unicum immediatum est. — *R.* C. ma. D mi.: *votum episcoporum ex coniunctione non mutatur physice, c.; moraliter n.* Scilicet votum episcoporum ea confirmatione fit actus moraliter unus cum actu Romani Pontificis. Iamvero ille actus moraliter unus est infallibilis. Ergo non solum votum Romani Pontificis, verum etiam votum Pontificis simul cum episcoporum votis infallibile est.

§ 3. Proponitur quaestio, num e duobus subiectis infallibilitatis activae inadaequate distinctis, scilicet Romano Pontifice iam solo et Romano Pontifice simul cum episcopis docentibus, solus Romanus Pontifex sit subiectum Infallibilitatis activae immediatum, an etiam Romanus Pontifex simul cum episcopis docentibus subiectum immediatum infallibilitatis activae statuendum sit.

Expl. term. — *Subiectum infallibilitatis immediatum* illud intelligimus, in quod *ea non est derivata a subiecto quodam alio in Ecclesia, quod eam per prius haberet*; *subiectum* vero *infallibilitatis mediatum* illud dicimus, *in quod illa derivata est ab aliquo subiecto in Ecclesia, quod illam per prius haberet.*

Sententiae duae. — Quidam theologi docent, *unicum esse subiectum immediatum infallibilitatis activae, scilicet Romanum Pontificem*, cuius infallibilitas suo modo in episcopos cum eo docentibus derivetur. Quidam tradunt, *duplex esse subiectum infallibilitatis activae, scilicet et Romanum Pontificem iam solum, et Romanum Pantificem simul cum episcopis docentibus*, cui subiecto, quod utique inadaequate tantum a Romano Pontifice iam solo distinctum est, infallibilitas conferatur a Deo immediate, i. e. independenter a Romano Pontifice iam per se ipsum infallibiliter e cathedra loquente.

Theologi forte nonnisi saeculo 19 quaestionem sub his terminis tractarunt. Secundum Pohle, Kirchenlexikon[2] tom. 12 col. 246, theologorum pars omnino maior „duplex subiectum immediatum statuit; at etiam e parte adversa theologi magni nominis inveniuntur. Nomina haud pauca pro utraque sententia v. Spacil, l. citando p. 524-5, quibus alia quae vidi addere non huius loci est. Caeterum multi nonnisi pauca verba de quaestione habent, eamque sententiam, quam praeferunt, non uti certam proponunt. Addit Spacil l. c. p. 525-6: „Caeterum observandum est, haud paucos auctores non omnino determinate et clare loqui. Nonnulli qui sententiae ... [de duplici subiecto immediato] adhaerent, rem ita proponunt, ac si duo adaequate distincta subiecta infallibilitatis defenderent [quae doctrina certissime falsa est]. Forte inde est, quod qui adversam sententiam tuentur in haud paucis argumentis proprie tantum sententiam refellunt, episcopos sine papa infallibiles esse". A qua ratione procedendi utique cavendum est.

Vaticanum hanc quaestionem decidere noluit, uti videri potest penes Granderath, Const. dogm. Conc. Vat. p. 185, 188-91; Col. Lat. VII cot. 403, 472 sq.

Proponimus utrumque sententiam cum suis rationibus et difficultatibus, ut ea eligatur quae melior videbitur.

Sententia de unico subiecto immediato infallibilitatis activae.

Hanc sententiam v. excultam penes *Palmieri*[3] th. 26 n. III p. 644-51, th. 28 n. IX p. 678-9; nervose statutam penes *Card. Billot*[4] q. 16 § 3 p. 695 (coll. cum q. 13 th. 27 p. 561-5); la-

tius evolutam atque defensam quam ab ullo alio auctore quem nosco, a *Straub* n. 1060-3 t. 2 p. 470-5 et praecipue in art. in Zeitschrift für Kath. Theol. 1918 p. 254-301 : « Gibt es zwei unabhängige Träger der Kirchlichen Unfehlbarkeit? » ; breviter comprehensam penes Muncunill, De Eccclesia 1914 p. 517-8.

Accuratior explicatio sententiae, prout praecipue a Straub exponitur. — Infallibilitatis activae charisma est in impossibilitate falsa docendi, orta ex auxiliis efficacibus providentiae divinae, quae ipsa auxilia ortum suum habent e promissione divina. Haec autem promissio alligata est potestati docendi supremae, potestas autem docendi suprema alligata est muneri regendi supremo, quod in Ecclesia habetur. Iamvero neque infallibilitas formaliter sumpta, quae est in impossibilitate docendi falsa, neque infallibilitas causaliter spectata, quae componitur ex auxiliis divinis efficacibus atque promissione illa divina, ab uno subiecto ecclesiastico cum altero communicari possunt. Non prior, quia nulla potestas ecclesiastica immediata in animis hominum eam perfectionem producere potest ; non secunda, quia nulla potestas ecclesiastica ea moderari potest, quae directe a Deo dependent. Unde, si de derivatione infallibilitatis ab uno subiecto ecclesiastico in aliud sermo est, *non intelligitur infallibilitas illa sive in se sive in causa sua divina derivari, seu non ratione sui vel causae suae efficientis divinae, sed ratione alterius.* Id quod bene notat Granderath, Constitutiones dogmaticae ... oecumenici Concilii Vaticani ... illustratae, Friburgi 1892 p. 191-2. Quid vero secundum auctores illud « aliud » sit, in expositione videbimus.

Cum dicitur, Pontificem esse solum subiectum infallibilitatis immediatum, *non negatur, episcopos in ipsis suis animis a Deo recipere auxilia efficacia ut recte doceant.* Sed dicitur, auxilia illa, quae sane in ipsis animis suis recipiunt, a Spiritu Sancto ita conferri : Si Romanus Pontifex prius solemniter definivit, Spiritus Sanctus episcoporum corpus impellit, ut prius obedientia fidei illam decisionem sequantur ipsi, deinde fideles suos eadem cum Pontifice doceant. Si non solemniter, Spiritus Sanctus eos movet ut nihil fideles absolute doceant, nisi in quantum saltem implicite etiam Pontificis doctrinam ut normam respexerint. Si vero doctrina nondum a Romano Pontifice aut solemniter aut magisterio

ordinario approbata est, Spiritus S. eos impellit ut a doctrina peremptoria proponenda interim abstineant. — Simili modo fideles auxilia Spiritus Sancti in ipsis animis suis recipiunt, ut doctrinam corporis episcoporum sequantur.

Argumentum pro unico subiecto immediato.

Concilium universale solum eatenus est infallibile, quatenus actus corporis episcoporum coniungitur cum actu Pontificis, qui iam per se infallibiliter decidit. Atqui si res ita se habet, infallibilitas Concilii ab infallibilitate Romani Pontificis derivari dicenda est. Ergo solus Romanus Pontifex est subiectum immediatum infallibilitatis.

Prob. ma. - Concilium universale eatenus infallibile est, quatenus supremam et plenam auctoritatem regendi exercet. Atqui hanc non exercet, nisi in quantum actus Concilii coniungitur cum actu Romani Pontificis, qui iam per se supremam et plenam potestatem regendi exercet. Atqui iterum actus Romani Pontificis, qui circa aliquam doctrinam imponendam potestatem supremam et plenam regendi exercet, infallibilis est. Ergo Concilium universale aetenus infallibile est, quatenus actus corporis episcoporum coniungitur cum actu Pontificis, qui iam per se infallibiliter decidit.

Prob. nova ma. - In hoc ordine rerum potestas infallibiliter docendi cum omni et solo actu potestatis regendi, qui circa doctrinam versatur, coniungitur. Ergo neque Concilium universale infallibiliter docere potest, nisi in quantum actum supremae et plenae potestatis regendi exercet.

Minor prima iam probata est in Corollario Rep. p. 374-7. *Minor secunda* patet. cf. Straub, Zeitschrift für kath. Theologie 1918 p. 267-72.

Difficultates contra argumentum.

Ob. 1. — Alius est ordo infallibilitatis, alius iurisdictionis. Iamvero nos in argumento nostro ab hoc ordine ad illum conclusimus. Ergo argumentatio nulla est. — *R.* D. ma.: Poterat Deus aliquem ordinem instituere, in quo non esset nexus inter iurisdictionem et infallibilitatem, c. vel tr.; in hoc ordine rerum, Ecclesia catholica instituta, non est ne-

xus inter iurisdictionem et infallibilitatem, sd.: non is est nexus, ut a quocumque subiecto vera habeatur iurisdictio, ab eadem etiam habeatur infallibilitas, c.; *non is nexus, ut ibi et semper et tantum inveniatur charisma infallibilitatis, ubi residet suprema et plena iurisdictio ecclesiastica,* n. Contradist. mi.

Instantia : E concessis argumentum pro assertione supponit, infallibilitatem ecclesiasticam activam cum omni et solo actu supremae auctoritatis supremo modo exercitae coniunctam esse. Iamvero hoc falsum est. Nam a) *postestas infallibiliter testificandi potius est functio potestatis ordinis vel saltem ab eo dependens.* b) *Apostoli singuli erant infallibiles,* at singuli nequaquam habebant iurisdictionem supremam et plenam, cum v. g. omnes subditi essent Petro. — *R. Quoad a*). Nego ullam rationem esse pro hoc asserto. Plura de hac re alibi. *Quoad b*). Lex quam diximus de statu ordinario Ecclesiae valet, non vero de statu extraordinario tempore apostolorum.

Ob. 2. — Argumentum supponit, potestatem docendi esse partem potestatis regendi. Atqui hoc controvertitur. – *R. N. ma.* Sufficit pro nostra argumentatione, si potestas docendi suprema et peremptoria ratione in hoc ordine rerum cum potestate suprema regendi ita connexa est, ut ubicumque haec sit, etiam illa inveniatur, ubi autem haec non sit, neque illa inveniatur. — Idem video assertum a Straub in art. cit. n. 20 p. 280; a Billot, qui De Eccl. qu. 16 § 3 ed. 4 p. 695 idem argumentum tenet, non autem admittit potestatem docendi in Ecclesia esse veram partem potestatis regendi (ib. qu. 8 ed. 4 p. 324-34). — *Tr. min.*

Difficultas contra extensionem doctrinae propositae.

Ob. — Quae Romanus Pontifex simul cum certo quodam numero episcoporum docet, infallibilitate non gaudent; quod si tot episcopi accedant, ut corpus ipsum formare dici possint, etiam ea omnia, quae per papam simul cum episcopatu in orbe disperso docentem proponuntur, infallibilia sunt. Iamvero modus quo Romanus Pontifex eandem veritatem proponebat, toto illo tempore immutatus permanebat. Ergo infallibilitas papae docentis cum corpore episcoporum disperso non potest explicari nisi per auxilia divina immediate corpori unito communicata, non vero mediante Pontifice definiente. — *R.* Supponendo, quod utique supponendum est, agi de doctrina quam episcopi ut certo revelatam vel cum revelatis connexam proposuerunt, *n. mi.* Etenim si tot paulatim episcopi rem ita proponunt, ut corpus episcoporum formare dici possint, si papa non contradicit, consentit, cum vi officii contradicere teneatur

Consentit autem vi legis latae, cum fideles omnes eo in casu ad assensum fidei teneantur; lex autem fidei non potest esse, nisi actus supremae et plenae potestatis regendi praecesserit; hic vero a solo Romano Pontifice poni potest. Unde intercessit eo tempore lex Romani Pontificis, non utique solemnis, sed talis rationis, qualis habetur in legibus consuetudinis. Iamvero omnis lex supremae et plenae potestatis doctrinam praescribens, sive actus solemnis fuerit, sive non, infallibilis est. Ergo tempore medio intercessit actus infallibilis solius Romani Pontificis, quo doctrinam Patrum confirmavit. Cf. Straub n. 828 v. II p. 188-9; in art. c. latius evolvit rem n. 25-8 p. 290-4.

Instantia contra hanc solutionem. — Haec solutio supponit, eiusmodi legem, non solemniter per Romanum Pontificem latam, esse infallibilem. Iamvero hoc gratis supponitur. Nam ex Concilio Vaticano sola definitio ex cathedra infallibilis est; definitio autem ex cathedra a Concilio intelligitur actus solemnis. Ergo. — *R. N. mi.* Ad rationem additam: definitio Vaticana aut cadit immediate in actum solum solemnem, aut in omnem actum, quo Romanus Pontifex doctrinam aliquam universae Ecclesiae tenendam imponit. Si primum, solutio haec non valet directe vi definitionis Vaticanae, at indirecte, nempe ob paritatem rationis. Etenim non ideo actus definitur infallibilis, quia solemni modo peragitur, sed quia eius naturae est, ut toti Ecclesiae doctrinam tenendam peremptorie imponat. Iamvero haec natura etiam in lege fidei non solemni invenitur. Si secundum, patet solutionem directe valere. Cf. Straub ib. p. 292.

Sententia de duplici subiecto immediato infallibilitatis activae.

Hanc magis enucleate quam fere caeteri eius asseclae mihi olim *exposuisse* videtur *Raphael Cercia* S. I. De Ecclesia[3] vol. I Neapoli 1858 sect. 5 lect. 5 p. 417-20. Paullo post Vat. scripsit in eandem sententiam v. g. *Scheeben* I l. 1 n. 549-53 p. 244-6. Recentius praecipue *Theophilus Spacil* S. I., Zeitschrift für Kath. Theologie 1916 p. 524-52 in art.: Der Träger der kirchl. Unfehlbarkeit rem *latius proponit atque argumentis fulcit*, quin tamen omnia ea admittat, quae hic mox e mente diversorum auctorum afferuntur.

Cercia ergo l. c. rem ita exponit: Papa aut 1) ita se habet ut confirmet quod episcopi extra vel intra Concilium decreverunt; aut 2) ita ut una cum episcopis in concilio coadunatis

cuiuspiam rei examen suscipiat et ferat cum illis sententiam »; aut 3) ita « ut proponat articulum credendum cui coetus pastorum obsequatur ». In duobus prioribus casibus « Pontifex non dat Ecclesiae [docenti] infallibilitatem, quasi in se solo habeat eiusdem rationem, et eius possessio in Ecclesiam [docentem] refundatur; sed extrinsece et materialiter, quatenus complet conditionem coexistentiae [et conspirationis in doctrina, capitis scilicet et corporis, ut antea explicavit], cui fuit adnexa Christi promissio ». In tertio casu concedit, eum articulum utique iam esse irreformabilem, idque independenter a Concilio, quippe cum Pontifex iam per se solus infallibilis sit; attamen papa « cum suum decretum concilio proponit, non uti caeteris fidelibus ad simplicem obedientiam proponit, sed invitat corpus pastorum ad secum conspirandum in re illa, unde de facto (in Concilio) *veluti se constituit uti simplex, licet praecipuum, Ecclesiae elementum* ». Illum articulum iam irreformabilem, « tamen ad novam confirmationem *subiicit tali medio competenti per quod, etiamsi non esset, evaderet plenissime irreformabilis* ».

Argumenta pro duplici subiecto immediato.

Arg. 1. — *Alia est promissio de infallibilitate in solo Petro eiusque successoribus* (Lc. 22, 31), *alia de infallibilitate in Collegio apostolico*, i. e. in apostolis cum Petro in aeternum viventibus (Mt. 28, 20 coll. cum Mt. 16, 18-20). Ergo etiam de duplici infallibilitate agitur.

Respondent alii: D. antec.: est promissio de infallibilitate *in duobus subiectis inadaequate distinctis, c.*; *de duplici infallibilitate,* quarum una non dependet ab alia, *n.* hoc his verbis contineri. Verba Domini secundum ea intelligenda sunt, quae de ordine inter infallibilitatem in solo Pontifice et in toto corpore episcoporum cum Pontifice, sive e Scriptura sive e Traditione sive e ratione theologica deducuntur. Id evolvit Straub in art. c. n. 22 p. 282-3.

Arg. 2. — *In cotidiano magisterio episcopatus per orbem dispersi episcopi cum Romano Pontifice docentes infallibiles sunt.* Atqui *haec infallibilitas* Collegii episcopalis per orbem dispersi certo certius *non dependet ab infallibilitate definitionis Romani*

Pontificis de ea re, in qua Collegium istud infallibiliter docet. Nam is consensus episcoporum habere potest certum criterium Traditionis, quin sciatur doctrina papae in re de qua agitur ». Spacil l. c. n. 16 p. 537. Ergo falsum est, Romanum Pontificem esse unicum subiectum immediatum potestatis infallibiliter docendi. Cf. Spacil l. c. p. 545-6.

Respondetur ab aliis: C. ma.; n. mi. et d. rationem additam. Etiam quae episcopatus per orbem dispersus docet, ea ideo tantum omnes fideles peremptorie obligant, *quia Romanus Pontifex, sciens quae ab episcopis docentur, ea approbat approbatione ea quidem non solemni sed non minus vera,* cuius posso intima essentia eadem est atque essentia approbationis solemnis in Concilio. Ita hanc difficultatem solvit Straub n. 1063; ampliore ratione in art. c. n. 25-7 p. 290-4; n. 20 p. 298. Quoad rationem additam: non requiritur antecedens cognitio explicita doctrinae Romani Potificis, c.; non implicita, n.

Arg. 3. — Si solus Romanus Pontifex esset subiectum immediatum infallibilitatis, episcopi vero solum in tantum eius infallibilitatem participarent, in quantum cum eo definiente consentiunt, sane *episcopi non magis infallibiles essent, quam Congregationes Romanae, theologi etc.,* in quantum ipsi quoque in propositione doctrinae cum Romano Pontifice docente consentiant. Atqui hoc falsum est. Ergo.

Respondetur: Concessa minore n. ma. Differentiae hae sunt: *a*) Episcopi *vi muneris divinitus instituti* in Ecclesia docent; Congregationes Romanae, theologi, etc. vi muneris quod merae ecclesiasticae institutionis est, illi quidem auctoritative, hi magisterialiter. Quae antea probavimus. — *b*) Episcoporum actus in quantum per orbem dispersi docent, *partem necessariam* efficit istius doctrinae infallibilis, quam Ecclesia universa docens, i. e. Romanus Pontifex cum episcopis, proponit; *ita ut primo numquam possit fieri, ut solus Romanus Pontifex in Ecclesia doceat,* non vero episcopi; ut praeterea ab ipsis dependeat, num alios in auxilium suae sollicitudinis in docendo vocare velint. Item, si Concilium universale convocatur, papa ob naturam ecclesiae non potest non evocare ad Concilium, idque cum suffragio deliberativo (= decisivo) episcopatum; caeteri vero qui vocantur, cum suffragio deliberativo vocantur et vi solius legis ecclesiasticae vocantur. — *c*) *Vi promissionis divinae* Collegio episcoporum simul cum Romano Pontifice Mt. 28, 20 factae, *repugnat, quominus ipsum corpus episcoporum omnium in orbe disper-*

sorum a Romano Pontifice in doctrina proponenda dissentiat. Quod ne fiat, ipsis a Deo auxilia efficacia dantur. Non vero vi alicuius promissionis divinae ipsis datae repugnat, quominus Congregatio quaedam Romana integra, vel universi theologi a vera doctrina aberrent. Episcoporum vero corpus infallibile est vi promissionis, i. e. a priori non potest deviare a doctrina Pontificis, ideoque infallibile est ; caeteros qui recte docent in Ecclesia, id praestare in tantum demonstratum erit, in quantum a posteriori demonstratum fuerit, eos de facto vocem Pontificis et episcoporum sequi. Cf. argumenta in thesi 25 de consensu thelogorum.

Arg. 4. — Si totum Concilium est subiectum immediatum infallibilitatis, *melius capitur*, *quomodo episcopi in Concilio sint veri iudices fidei*.

Respondetur: Essent alia ratione iudices fidei, c.; melius explicatur ea ratio iudicum fidei, quam in hoc ordine rerum habent, n.

Expl. — In sententia adversariorum episcopi infillibiliter iudicium proferrent, in quantum sunt vera pars totius moralis, quod tantum ut totum potestate infallibiliter docendi gaudet; in sententia aliorum vero episcopi in tantum iudices fidei infallibiles sunt, in quantum ab eo qui est iam per se supremus et independens et infallibilis iudex, ad actum suum iudicialem assumuntur. Iamvero etiam in hac sententia episcopi vere sunt iudices fidei. Id quod probavimus ass. 9 de Conciliis p. 347-50, quam recole.

Arg. 5. — *Simplex « Placet » Romani Pontificis*, *post Patrum vota in Concilio prolatum, non est definitio ex cathedra.* Iamvero eo prolato habetur definitio ex cathedra. Ergo falsum est Concilium non esse infallibile nisi dependenter a definitione ipsius Pontificis.

Respondetur ab aliis: *D. ma.:* Simplex " Placet „ *prolatum ea intentione*, *ut eo conferatur Conciliis*, *quod e constitutione Ecclesiae divinitus accepta Concilio deest ad id ut eius decretum sit supremae et plenae auctoritatis*, *n.*; si preferretur alia intentione, v. g. si quis a Concilio beatificaretur, c.

Expl. — " Placet „ prolatum ea intentione, quam primo loco diximus, non potest non habere nisi eam vim, ut per illud decisio, de qua agitur, fiat supremae et plenae potestatis. Iamvero decreta Conciliorum non eo supremam et plenam potestatem obtinent, quod forte pars huius supremae potestatis resideat in Patribus, pars in Pontifice, sed eo tantum, quod vota Patrum accedunt ad actum Pontificis, quo ipse iam

solus supremam et plenam potestatem ecclesiasticam exerit. Cf. Ass. 17 de Concil. p. 355-8. Ergo " Placet „ dicta intentione prolatum non potest aliam vim habere, quam ut sit actus qui iam per se solus decreto supremam et peremptoriam vim tribuat. Iamvero eiusmodi actus versans circa declarationem doctrinae est definitio ex cathedra, ergo infallibilis. Ergo omni eiusmodi " Placet „ continetur definitio ex cathedra.

Urgetur argumentum : Omnis Superior liber est, ut auctoritatem suum modo magis vel minus intenso exerat. Ergo etiam Romanus Pontifex in Concilio ita agere potest.

Respondetur : D. antec. : si vult effectum, qui e natura sua existere nequit, nisi auctoritas suprema et plena, modo quam maxime intenso exercita fuerit, n. ; si eiusmodi effectum non vult, c. Iamvero lex conciliaris, uti mox diximus, eius rationis est, ut sit lex plene peremptoria, ea vero ferri non potest nisi a potestate suprema, haec autem in Ecclesia non est partim in Pontifice et partim in Patribus, sed in solo Pontifice, atque tantum ideo in Concilio invenitur, quia Patrum actus cum actu Pontificis supremae et plenae potestatis in actum unum componitur.

Arg. 6. — *Ante Concilium Vaticanum magis nota erat infallibilitas Concilii, quam Romani Pontificis iam solius*, quippe cum negatio illius iam tunc haeresim constitueret, huius vero negatio nequaquam. Atqui si infallibilitas Concilii ab infallibitate Pontificis penderet, illa hac notior esse non potuisset. Ergo.

Respondet alia sententia : — C. ma. Dist. mi. : si habebatur cognitio intimam ontologicam causam referens, c. ; si cognitio, quae eam non referebat, n. — *Expl.* : Infallibilitas Concilii a Pontifice approbati clarissime iam ideo tenebatur, quia Traditio eam clarissime docebat ; quae Traditio non eadem claritate intimam rationem nobis aperit, qua Pontifex et Patres inter se habent, ut sententia infallibilis promatur. — Tum in cognitione e testimonio tum in cogitione ex effectu ad causam cotidianum est, nobis magis notum esse effectum, minus notam causam intimam effectus.

Arg. 7. — Concilium Vaticanum D. 1839 definivit, Romanum Pontificem « *ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit* » ; ex quo patet, infallibilitatem Pontificis solius illustrari infallibilitate Pontificis et Patrum, sive in Concilio collecti aut in orbe dispersi sunt. Atqui si in ipso quoque

Concilio solus Pontifex per se esset infallibilis, idem per idem illustraretur, quod absonum esse videtur. Ergo Romanus Pontifex non est unicum subiectum immediatum infallibilitatis activae.

Repondet alia sententia: Dist. mi.: unum declaratur per aliud, quod ex parte idem est, ex parte diversum, et secundum quod diversum est, magis notum supponitur, c.; idem per simpliciter idem declaratur, n.

Expl. — Infallibilitas Pontificis declaratur per infallibilitatem Pontificis cum Concilio. Haec autem non est secundum omnia simpliciter eadem atque prior. Haec enim est in pluribus definientibus, illa in uno. Porro haec magis nota erat quoad obiecta eius, de quibus statuendis in eo inciso agitur, cf. Granderath, Const. Conc. Vat. p. 207; illa minus nota erat quoad obiecta eius. Unde definitur, eundem esse ambitum infallibilitatis Pontificis iam solius, qui sit ambitus infallibilitatis totius Concilii. Qua doctrina non negatur, intimiore scrutatione posse forte detegi, ultimam causam ontologicam infallibilitatis totius Concilii sitam esse in eius coniunctione cum infallibilitate Pontificis iam solius. — Est ut si quis, nesciens naturam animae humanae atque ambitum obiectorum quae ea cognoscit, diceret, eam eadem obiecta spiritualia cognoscere quae homo cognoscit. Qua phrasi non negaretur, subiectum unicum immediatum cognitionis spiritualium in homine esse solam animam.

Arg. 8. — Certo certius *non repugnat, quominus papa extra Concilium subiectum immediatum infallibilitatis existat, Concilio vero coadunato tantum ipsum Concilium cum papa.*

Respondetur: Non repugnaret in alio ordine infallibilitatis, c.; in nostro ordine, in quo scilicet ea 1° est alligata ad potestatem supremae iurisdictionis supremo modo exercitae, 2° haec suprema potestas est iam in solo Pontifice, non vero pars eius in Pontifice, pars in Concilio, cuius caput est, n.

AUDITORIBUS SALUTEM

In his foliis, quae soli privato vestro usui destinata sunt, maior pars materiae exponitur uti Repetitorium Institutionum Theologiae fundamentalis, quas ampliore ratione item pro usu vestro privato conscripseram. Exinde nomen *Repetitorii*. Quaedam vero pars materiae paulo enucleatius declaratur. Haec autem inaequalitas rationibus externis debetur, v. g. quod partes quaedam earum Institutionum in manibus vestris adhuc versarentur, quaedam vero exhaustae essent. Ultimo vero tempore cum ab omni labore abstinere penitus debuissem, haec prior pars quae vobis offertur abrumpenda mihi fuit eo in loco, quo ei finem imponere mens non erat. Valete.

INDEX

PAG.

TRACTATUS I. — DE THEOLOGIA GENERATIM.

Praeambulum. — De significatione vocis theologiae . . . 1

Pars I. — De essentia theologiae tum fundamentalis tum dogmaticae.

Caput I. — De theologia fundamentali.

PROPOSITIO 1. — PARS I. — Theologiae fundamentalis subiectum est impertitio revelationis publicae per prophetas, Christum, apostolos, eiusque infallibilis custodia per ecclesiam catholicam . . .

PARS II. — Obiectum formale eius partis theologiae fundamentalis qua factum locutionis divinae primo probatur, est cognoscibilitas huius facti e principiis creatis eaque historico-philosophica; eius vero partis, qua factum custodiae revelationis probatur, est aut cognoscibilitas huius facti e principiis naturalibus eaque historico-philosophica, aut, id quod perfectius est, revelatio divina . . . .

Scholion. — De nominibus theologiae fundamentalis . . .

Caput II. — De theologia dogmatica.

PROPOSITIO 2. — PARS. I. — Subiectum theologiae dogmaticae est Deus sub ratione deitatis 4

PARS II. — Obiectum formale theologiae dogmaticae est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, uti ab ecclesia catholica infallibiliter proponitur et declaratur, sive directe in eo invenitur sive mediantibus conclusionibus ex eo deducitur 5

Scholion. — De nomine theologiae dogmaticae 6

PAG.

Caput III. — Uberiores determinationes doctrinae de essentia theologiae fundamentalis et dogmaticae, quae e proposita doctrina sequuntur.

Assertio 1. — Tum dogmati tum theologiae fundamentali ratio verae scientiae convenit 7
Assertio 2. — Dogmatica est scientia perfecte una, id quod de theologia fundamentali dici nequit . . . 8
Assertio 3. — Dogmatica et theologia fundamentalis principaliter speculativa est, secundario practica . . . 8
Assertio 4. — Dogmatica est scientia omnium suprema, theologia fundamentalis prima post eam . . . 9
Assertio 5. — Habitus dogmaticae et theologiae fundamentalis entitative naturalis est, supponit tamen actus fidei supernaturalis 10

Pars. II. — De theologiae divisionibus, scientiis auxiliariis.

Articulus 1. — De subdivisionibus theologiae theoreticae et practicae 10
Articulus 2. — De divisione theologiae in positivam, speculativam 11
Articulus 3. — De theologiae positivae partibus et scientiis subsidiariis 13
Articulus 4. — Theologiae speculativae scientiae auxiliares . 16
Articulus 5. — De theologia scholastica 16
Articulus 6. — Qui ordo in tractatibus theologiae fundamentalis et dogmaticae sequendus sit 18

Pars. III. — Methodologia theologica.

Articulus 1. — De dispositionibus voluntatis 19
Articulus 2. — De dispositionibus intellectus 20
Articulus 3. — De methodo, quam tempore curriculi ordinarii teneri decet 21
Articulus 4. — De studio theologico post ordinarium theologiae curriculum completum 22

TRACTATUS II. — DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA.

Liber I. — De revelatione religionis in se sumpta.

Caput. I. — De revelationis possibilitate.

Articulus 1. — De revelatione immediata.

PROPOSITIO 1. — Revelatio immediata possibilis est . . . 23
PROPOSITIO 2. — Revelatio religionis possibilis est . . . 25

PAG.

PROPOSITIO 3. — Demonstrari nequit, mysteriorum existentiam aut revelationem repugnare 27

Articulus II. — De revelatione mediata.

PROPOSITIO 4. — Revelatio mediata possibilis est 31

Caput II. — De religionis revelatae maxima convenientia et utilitate.

PROPOSITIO 5. — Existunt fines Deo dignissimi atque bona hominibus maxime appetenda, quibus revelatio quaedam prae cognitione naturali commendetur, haud raro mediata prae sola immediata, praecipue si ea religionem atque mysteria continet 32

Caput III. — De revelationis necessitate

PROPOSITIO 6. — Si Deus voluit, ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti generis humani conditione, ab omnibus sufficienti amplitudine, expedite, firma certitudine, nullo admixto errore, cognosci posse; si porro nullum aliud extraordinariae suae providentiae auxilium concedere voluit, ipsa revelatio ad eum effectum moraliter necessaria esse dicenda est. 36

Liber II. — De motivis credibilitatis revelationis.

Pars I. — Vera motiva credibilitatis astruuntur.

Quaestio I. — De motivis credibilitatis primariis seu de effectibus miraculosis 38

Caput I. — De effectibus miraculosis generatim sumptis. 39

Lemma e philosophia. — Actiones miraculosae fieri possunt . 41

PROPOSITIO 7. — Effectus miraculosi non tantum sunt argumentum aptum pro revelatione, verum etiam unicum primarium 43

Caput II — De effectibus miraculosis in specie.

SECTIO I. — DE EFFECTIBUS PER SE SENSIBILIBUS SEU MIRACULIS.

§ 1. — *De natura miraculorum.*

Lemma e philosophia. — Miracula fieri possunt 47

Assertio. — Miracula in signum revelationis elevari possunt; imo, spectata natura hominis, convenientissime id fieri dicendum est 48

PAG.

§ 2. — *De cognoscibilitate miraculorum.*

PROPOSITIO 8. — Certo cognosci potest veritas historica miraculi 48
PROPOSITIO 9. — Certo cognosci potest veritas philosophica miraculi 50
PROPOSITIO 9 bis. — Certo cognosci potest veritas theologica miraculi 50
PROPOSITIO 10. — Certo constare potest de veritate relativa miraculi 52
PROPOSITIO 11. — Quae de miraculis hucusque probavimus, humani generis atque praecipue sapientum auctoritate comprobantur 54

SECTIO II. — DE EFFECTIBUS MIRACULOSIS PER SE SPIRITUALIBUS, QUI TAMEN IN IPSA RATIONE MIRACULI CONNATURALITER SENSIBILES FIUNT 56

Articulus I. — De effectibus miraculosis in intellectu.

PROPOSITIO 12. — Effectus hi miraculosi in intellectu : sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia revelationem probare possunt. (Doctrina sectionis I de miraculis eodem ordine ad hos effectus applicatur.) 57

Articulus II. — De effectibus miraculosis in voluntate.

PROPOSITIO 13. — Revelatio divina probari potest miraculis moralibus. (Item ordo sectionis I) 69

SECTIO III. — DE EIUSMODI EFFECTIBUS MIRACULOSIS SPIRITUALIBUS, QUI CONNATURALITER EXTERNE MANIFESTARI NON POSSUNT.

PROPOSITIO 14. — Etiam eiusmodi effectus miraculosi spirituales, qui connaturaliter externe manifestari non possunt, aliquando revelationem probare valent. (Item ordo sectionis I.) 70

Quaestio II. — De motivis credibilitatis secundariis.

Articulus I. — De argumento ex auctoritate humana . 72

PROPOSITIO 15. — Auctoritas humana testis etiam unius certum revelationis argumentum esse potest 73
PROPOSITIO 16. — Auctoritas humana plurimorum fidelium certum argumentum revelationis esse potest . . 74
Scholion. — Huc reducitur argumentum e mendaciis et contradictionibus, quibus revelationis adversarii suam resistentiam erga motiva credibilitatis defendunt 75

PAG.

Articulus II. — De argumento ex effectibus.

PROPOSITIO 17. — Fructus simpliciter et in universum boni, qui e religione qua revelata per se oriuntur, eam revelatam esse certo demonstrant. 76

Asserta. — De partibus, quas pax interna animi, e religionis cognitione vel exercitio orta, in formando iudicio credibilitatis habere possit. 78

Asserta. — De partibus, quas consideratio bonorum externorum, quae saepe civilisationis dicuntur, in formando iudicio credibilitatis habere possint 79

Pars II. — Reiciuntur motiva credibilitatis falsa.

PROPOSITIO 18. — 1) Realitatis divinae intuitus atque experientia, postulata rationis practicae, sentimenta, alia similia, quae omnia ne rationabilem quidem assensum fundare possunt; 2) intrinseca rei veritas ex eius causa vel effectu perspecta pro legitimis motivis credibilitatis haberi nullo modo possunt. 81

PROPOSITIO 19. — Quod eae partes religionis revelatae, quae mores spectant, vitam moralem hominis iuvare possunt, id, si solum per se sumitur, non probat, eam religionem esse revelatam . . . 84

PROPOSITIO 20. — Falsum est, religionem qua revelatam (christianam) ab explicatione vitae perfecta postulari, hancque exigentiam esse aliquod motivum credibilitatis revelationis 86

PROPOSITIO 21. — Gratia qua elevans non est motivum credibilitatis 89

Nota de habitu voluntatis ad revelationem. 90

Appendix de arte agendi apologetam. 90

TRACTATUS III. — DE REVELATIONE CHRISTIANA.

Pars I. — Quale testimonium Iesus Christus de se ipso reddiderit.

PROPOSITIO 1. — Iesus professus est, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri 92

PROPOSITIO 2. — Iesus inde ab initio vitae publicae professus est, se esse Messiam 95

PROPOSITIO 3. — Iesus de praedicatione sua ad ethnicos extendenda non tantum durante ministerio suo cogitavit, verum etiam eam post resurrectionem suam fieri supposuit, imo mandavit . . . 102

PAG.

PROPOSITIO 4. — Iesus professus est, se esse filium naturalem Dei. 105

Pars II. — De motivis credibilitatis, quibus testimonium Iesu Christi de sua dignitate probatur.

Sectio I. — De argumento ex auctoritate humana.

PROPOSITIO 5. — Testimonium Iesu Christi de seipso probatur auctoritate eius humana.

Sectio II. — De argumento e miraculis.

CAPUT I. — DE ARGUMENTO E MIRACULIS, QUAE CHRISTUS ANTE MORTEM SUAM PATRAVIT. 120

PROPOSITIO 6. — Constat de veritate historica miraculorum Christi 121

PROPOSITIO 7. — Constat de veritate philosophica miraculorum Christi 128

PROPOSITIO 8. — Constat de veritate theologica miraculorum Christi 132

PROPOSITIO 9. — Constat de veritate relativa miraculorum Christi 134

CAPUT II. — IESUS CHRISTUS E MORTUIS RESURREXIT. QUO MIRACULO TESTIMONIUM EIUS DE SE IPSO PROBATUR.

PROPOSITIO 10. — Constat de veritate historica resurrectionis Christi 137

PROPOSITIO 11. — Constat de veritate philosophica resurrectionis Christi 146

PROPOSITIO 12. — Constat de veritate theologica resurrectionis Christi 147

PROPOSITIO 13. — Constat de veritate relativa resurrectionis Christi 148

Sectio III. — Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur plurimis eius vaticiniis. 150

PROPOSITIO 14. — Constat de veritate historica vaticiniorum Christi et eventuum qui iis correspondere dicuntur

PROPOSITIO 15. — Constat de veritate philosophica vaticiniorum Christi 171

PROPOSITIO 16. — Constat de veritate theologica vaticiniorum Christi 173

PROPOSITIO 17. — Constat de veritate relativa vaticiniorum Christi 176

PAG.

Sectio IV. — De argumento e miraculis moralibus. — Divina religionis christianae origo demonstratur mira morum immutatione, quae in regno Romanorum usque ad initia regni Constantini Magni locum habuit. 177

PROPOSITIO 18. — Constat de veritate historica maximae mutationis morum 178

PROPOSITIO 19. — Constat de veritate philosophica huius mutationis. 186

PROPOSITIO 20. — Constat de veritate relativa huius mutationis. 192

TRACTATUS IV. — DE ECCLESIA UT INFALLIBILI RELIGIONIS REVELATAE MAGISTRA.

INTRODUCTIO. — Connexio materiae; duplex tractatus de ecclesia, unus qui ad theologiam fundamentalem pertinet, alius qui ad dogma; prior hic proponitur; duplex methodus demonstrationis in tractatu qui ad theologiam fundamentalem pertinet; de significationibus vocis ecclesiae . . 195

Liber I. — Ecclesia infallibilis revelationis magistra probatur e revelatione christiana iam agnita.

Divisio demonstrationis 200

Pars I. — De constitutione iuridica ecclesiae. 201

Sectio I. — De ecclesia in forma verae societatis perenniter instituta. 202

PROPOSITIO 1. — Regnum coelorum quod Christus annuntiavit, non est mere eschatologicum, neque mere internum, sed coetus externus, qui his in terris Iudaeos atque Ethnicos complectetur atque usque ad finem saeculorum durabit 203

PROPOSITIO 2. — Iesus Christus coetum religiosum, quem ex hominibus colligendum esse praecepit, in ratione verae societatis instituit 206

PROPOSITIO 3. — Ecclesia in ratione verae societatis usque ad ultimum iudicium durabit 210

Sectio II. — De primatu S. Petri eiusque successorum.

CAPUT I. — DE PRIMATU IPSIUS S. PETRI.

PROPOSITIO 4. — Tum verbis Scripturae tum testimoniis ecclesiarum totius orbis e prioribus saeculis probatur, Iesum Christum Petro promisisse atque contulisse primatum iurisdictionis in gubernanda ecclesia 217

PAG.

CAPUT II. — DE SUCCESSIONE IN PRIMATU.

Art. 1. — De aeternitate primatus.

PROPOSITIO 5. — E Christi ipsius institutione Petrus successores habebit in primatu usque ad finem saeculorum. 225

Art. 2. — De Romano Pontifice ut successore S. Petri in primatu.

PROPOSITIO 6. — Romanus Pontifex est Petri in primatu successor 229

PROPOSITIO 7. — Cum Romanus Pontifex sit successor S. Petri in primatu, primatum in universam Ecclesiam obtinet iure divino 243

PROPOSITIO 8. — Potestas regendi data est immediate Petro eiusque successoribus, non vero mediante Ecclesia in ratione subiecti inhaesionis . . 247

Sectio III. — De munere regendi episcoporum divinitus instituto. 250

CAPUT I. — DE APOSTOLIS EPISCOPORUM ANTECESSORIBUS

PROPOSITIO 9. — Iesus Christus munus regendi in Ecclesia sub Petro instituit illudque apostolis eorumque successoribus in aeternum immediate et directe in ratione subiecti inhaesionis inesse voluit . . 251

CAPUT II. — DE IPSIS EPISCOPIS.

PROPOSITIO 10. — Inde ab aevo apostolico erant in Ecclesia episcopi qui dicuntur monarchici . . . 265

Scholion. — Sententiae de nomine episcopi proponuntur . . 268

PROPOSITIO 11. — Munus regendi episcoporum institutionis divinae est 273

PROPOSITIO 12. — Episcopi apostolis in munere regendi succedunt 288

Scholion. — De theoriis recentioribus quoad originem postapostolicam eamque naturalem episcopatus . . 296

Sectio IV. De caeteris muneribus ordinariis regendi.

PROPOSITIO 12-*bis*, — Praeter primatum et episcopatum nullum aliud munus regendi ordinarium divinitus in Ecclesia institutum est 297

Sectio V. — De ulteriore determinatione primatus Romani Pontificis.

CAPUT I. — DE AMPLITUDINE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

PROPOSITIO 13. — Potestas regendi Ecclesiam Petro eiusque successoribus tradita est plena 301

PAG.

PROPOSITIO 14. — Potestas regendi Petro eiusque successoribus collata extenditur in universam Ecclesiam, etiam in superiores immediatos, sive subditi considerantur singuli sive quomodocumque, etiam in Concilio universali collecti 303

PROPOSITIO 15. — Potestas tradita Petro eiusque successoribus est immediata in omnes fideles 309

PROPOSITIO 16. — Potestas in universam Ecclesiam tradita Petro eiusque successoribus est episcopalis atque convenienter ita vocatur 311

Scholion. — Ex iis quae de primatu Romani Pontificis docuimus, deducitur, quae sit distinctio inter sedem et sedentem. 313

CAPUT II. — DE ROMANO PONTIFICE
UT FONTE PROXIMO IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE

PROPOSITIO 17. — Omnis iurisdictio in Ecclesia a Romano Pontifice confertur 314

Scholion. — De origine iurisdictionis apostolorum 319

Sectio VI. — Ex iis quae de Romano Pontifice atque episcopis docuimus, deducitur, quae sit e iure divino relatio inter eum atque episcopos 321

(*Assertiones huius sectionis generatim tantum breviter quoad sensum indicantur*).

CAPUT. I. — DE RELATIONE CAPITIS ECCLESIE AD EPISCOPOS,
PROUTI SUIS SEDIBUS PRAESIDENT.

§ 1. — *Quoad munus episcopatus.*

Asserio 1-6. — Romanus Pontifex illud abolere vel essentialiter mutare nequit. Potest vero, salva eius essentia, potestates episcoporum ampliare vel restringere, leges pro dioecesium administratione ferre, locorum vel personarum exemptiones statuere, caus s maiores, quae non iam ex ipsa natura rei Romano Pontifici reservatae sunt, lege positiva sibi reservare. Atque in genere episcopi in suis dioecesibus illam tantum partem iurisdictionis ecclesiasticae obtinent, ad quam, pro necessaria et conveniente administratione muneris episcopalis, secundum sanctiones canonicas a Romano Pontifice vocati sunt . . . 323

PAG.

§ 2. — *Quoad gradus intermedios inter Romanum Pontificem et episcopos.*

Assertio 7. — Solus Romanus Pontifex nativo iure eiusmodi gradus instituere potest 327

§ 3. — *Quoad dioeceses.*

Assertio 8. — Solus Romanus Pontifex nativo iure dioeceses erigere, existentes abolere, dividere, cum aliis unire etc. potest. 328

§ 4. — *Quoad muneris episcopalis consecutionem vel amissionem.*

Assertio 9. — Solus Romanus Pontifex nativo iure ad munus episcopale assumere vel ab hoc onere suscepto liberare potest. Quod ius comprehendit personae designationem, collationem potestatis personae designatae, confirmationem personae e Pontificis concessione ab aliis designatae, translationem ab una sede ad aliam, acceptationem renuntiationis, ablationem officii sive in poenam sive ob aliud motivum 330

CAPUT. II. — CAPITA DOCTRINAE DE CONCILIIS UNIVERSALIBAS ERUUNTUR E DOCTRINA QUAM TRADIDIMUS DE ROMANO PONTIFICE, DE EPISCOPIS, DE ORIGINE OMNIS IURISDICTIONIS IN ECCLESIA 337

Art. 1. — De convocatione concilii.

Assertio 1-2. — *Quis habeat ius convocandi.* — Solus Romanus Pontifex iure nativo illud convocare atque Patribus ius conferre potest, ut de rebus totam Ecclesiam obligantibus decernant 339

Assertio 3-7. — *Qui convocandi sint.* — Cum suffragio deliberativo e natura rei convocandi sunt episcopi qui dioeceses regunt, convenienter vero vocantur cardinales, vicarii apostolici, ordinum generales etc., atque certis sub circumstantiis etiam episcopi solum consecrati. Ad consilium vero dandum convenienter vocantur theologi insignes. Ob diversos fines aliquando etiam principes saeculares, imo ipsi haeretici atque schismatici utiliter vocari possunt 340

Assertio 8. — *Ad quid convocentur.* — Ad decernendum simul cum Romano Pontifice de rebus ecclesiasticis sive omnibus sive quibusdam tantum . . . 345

PAG.

Art. 2. — De celebratione concilii.

Assertio 9-14. — *Quoad naturam suffragii deliberativi singulorum Patrum.* — Sunt veri iudices relate ad omnes fideles 347
Quoad actum eorum synodalem. — Solus Romanus Pontifex iure nativo concilio praesidet. Ad legem conciliarem non requiritur unanimitas suffragiorum, imo aliquando sufficere videtur, ut a minore parte Patrum cum papa procedat. Pro cognitione causae absolute sufficere quidem videtur omnis modus quo scientia necessaria acquiri possit, generatim vero aptior est nova quaedam atque amplior inquisitio synodalis. Lex Patrum in unum conspirantium, abstractione facta a consensu Pontificis, non est supremae auctoritatis 350

Art. 3. — De confirmatione concilii.

Assertio 15-7. — Ad hoc ut decretum aliquod sit lex conciliaris, requiritur ut a papa non solo sed cum corpore episcoporum procedat. Ut lex conciliaris sit supremae auctoritatis, approbatio Romani Pontificis ad eam accedat necesse est; quae si accesserit, lex est actus moraliter unus, peremptorius, in quo ratio peremptorii ideo invenitur, quia actus Patrum coniungitur cum actu Pontificis, qui iam per se ipsum rationem peremptorii habet 354

Art. 4. — De necessitate concilii.

Assertio 18-22. — Celebratio concilii neque necessaria est ad hoc ut habeatur auctoritas ecclesiastica plena, neque lege divina positiva praescribitur, neque ordinarie a circumstantiis Ecclesiae postulatur. Est autem per se utilissima, quamvis per accidens nociva esse possit 359

Art. 5. — Corollaria ex assertis de concilio.

Corollarium 1-7. — Lex concilii approbati non habet maiorem auctoritatem quam lex solius papae. Unde differentia inter utramque non est nisi accidentalis, a papa ad concilium appellari nequit, aboleri lex concilii, nisi de materia immutabili agitur, sive a concilio sive a solo papa potest. Uti concilia illegitime convocata atque congre-

PAG.

gata possunt incipere esse legitima, ita concilia legitime convocata atque celebrata possunt quaedam illegitime agere vel etiam universim illegitima fieri. Decreta conciliornm particularium, item ea decreta, quae sive per illegitima concilia sive per legitima concilia, sed illegitime facta sunt, a Romano Pontifice auctoritatem accipere possunt obligandi universam Ecclesiam . . 364

Art. 6. — Facta quaedam historica quoad concilia ante annum 1000 solutis difficultatibus elucidantur.

De partibus imperatorum in convocatione, praesidio, confirmatione conciliorum 367

EX IIS QUAE DE CONSTITUTIONE IURIDICA ECCLESIAE DOCUIMUS, SOLVITUR DUBIUM, QUIS SIT SUBIECTUM IMMEDIATUM POTESTATIS SUPREMAE ET PLENAE.

Corollarium. — Unicum videtur esse subiectum immediatum potestatis supremae et plenae iurisdictionis in Ecclesia, scilicet Romanus Pontifex, non vero duplex, licet tantum inadaequate distinctum, scilicet tum Romanus Pontifex iam solus, tum corpus episcoporum quando in concilio vel extra illud actum supremae et plenae potestatis simul cum Pontifice ponit 374

Pars II. — De infallibilitate Ecclesiae.

INTRODUCTIO. — De infallibilitate tum generice sumpta tum in specie ecclesiastica 377

Sectio I. — De subiecto infallibilitatis ecclesiae . . 381

Pars I. — De statu ordinario infallibilitatis ecclesiasticae.

CAPUT. I. — DE SUBIECTO INFALLIBILITATIS ECCLESIASTICAE IN GENERE.

Art. 1. — De institutione magisterii infallibilis generice sumpti.

PROPOSITIO 18. — Iesus Christus apostolos eorumque in aeternum successores evangelium praedicare, populos vero omnes illud credere iussit . . 383

PROPOSITIO 19. — Iesus Christus apostolis eorumque successoribus donum infallibilitatis contulit . . . 385

Art. 2. — De natura magisterii ecclesiastici infallibilis.

Assertio 1. — Magisterium ecclesiasticum externum est atque humanum 404

PAG.

Assertio 2. — Magisterium ecclesiasticum e Christi institutione semper erit vivum 412

Assertio 3. — Magisterio ecclesiastico a Deo munus publicum impositum est ut omnes omnino homines doceat; hi vero omnes obligati sunt, ut tum illud magisterium audiant tum quaecumque illud nomine Christi docet irrevocabili assensu ob eius auctoritatem divinitus datam amplectantur . 417

Scholion I. — De terminologia relate ad eiusmodi magisterium, quale hac assertione exhibuimus 423

Scholion II. — Quae sit relatio inter notionem magistri infallibilis, et magistri vi muneris docentis et imponentis assensum . . . 424

Assertio 4. — Magisterium ecclesiasticum subditis vi iurisdictionis credenda omnia imponit 424

Assertio 5. — Magisterium ecclesiasticum infallibile redditur assistentia divina, non vero aut revelatione aut inspiratione aut scientia infusa 427

Assertio 6. — Assistentia Ecclesiae docenti promissa est directio extraordinaria charismatica providentiae divinae, activitati Ecclesiae docentis impertita, quin tamen habitus physicus mentibus docentium indatur 430

INDEX

Assertio 7. — Omnia quae sub assistentia Ecclesiae promissa asseruntur, necessario 1) vera sunt; 2) intra ambitum earum veritatum continentur, quae Ecclesiae concreditae sunt; 3) recte expressa sunt . . 435

Assertio 8. — Assistentia divina, uti 1) magisterium Ecclesiae non eximit ab obligatione utendi mediis, quae ad veritatem cognoscendam apta sint, ita 2) saltem generatim hunc mediorum usum ita dirigit, ut ad finem intentum sufficiat. 3) Quae media qualia sint summatim indicatur 437

Assertio 9. — Magisterium ecclesiasticum doctrinam suam connaturaliter non tantum ore verum etiam scripto proponit 440

Assertio 10. — 1) Magisterium supremum ecclesiasticum etiam minore auctoritate docere potest quam assensum irrevocabilem imponendo. 2) Quod cum facit, vi ipsius actus dono infallibilitatis non gaudet . 442

Assertio 11. — Auctoritas regendi ecclesiastica, quae aut non est suprema aut, si suprema est, tamen potestate sua suprema modo supremo non utitur, nihilominus subditos suos iubere potest, ut assensum fidei (sive divinae sive ecclesiasticae) in eas res sive revelatas sive cum revelatis connexas ponant, quas Ecclesia per magisterium sive solemne sive ordinarium revelatas aut cum revelatis connexas esse iam antea infallibiliter docuit . . . 444

Assertio 12. — Ad id ut certi simus adesse omnia quae ad propositionem infallibilem doctrinae requiruntur, sufficit nos scire 1) haberi actum eius auctoritatis ecclesiasticae, quae infallibiliter docere potest, 2) eumque consistere in assensu irrevocabili, toti Ecclesiae imposito 446

Assertio 13. — Indicantur modi, quibus cognoscatur 1) actum quendam procedere ab auctoritate quae infallibilitate gaudet; 2) eum actum consistere in assensu irrevocabili toti Ecclesiae imposito . . . 448

Art. 3. — De permanentia magisterii infallibilis.

Sectio 1. — De infallibilitate Romani Pontificis.

Propositio 20. — Romanus Pontifex, cum e cathedra loquitur, infallibilis est 457

Scholion. — De quaestione num Papa possit fieri haereticus . 506

Propositio 21. — Pars I. - Congregationum Romanarum decreta ea doctrinalia, quae a Romano Pontifice in forma communi approbata sunt, vi auctoritatis ipsis propriae infallibilia non sunt atque proinde assensum irrevocabilem imponere non possunt.

Pars II. - Merito tamen ea decreta sibi postulant per se assensum internum, religiosum, sacrae Congregationum auctoritati proportionatum.

Pars III. - Ea porro harum Congregationum decreta doctrinalia, quae in forma specifica approbata sunt, vi auctoritatis ipsis propriae tunc tantum infallibilitate pollent, si Romanus Pontifex in iis assensum irrevocabilem toti Ecclesiae imponit 509

Sectio 2. — De infallibilitate corporis episcoporum.

Propositio 22. — Episcopi singuli in suis dioecesibus eorumque synodi particulares in suis regionibus authentice quidem, at non infallibiliter docent. Nihilominus aliquando e doctrinis sive partis episcoporum sive synodorum infra oecumenicam argumentum infallibile hauriri potest 522

Propositio 23. — Magisterium Ecclesiae docentis per orbem sparsae, cum tradit ea quae a Catholicis tenenda sint, infallibile est 530

Propositio 24. — Concilium universale a Romano pontifice approbatum infallibile est 538

Propositio 25. — Solus Romanus Pontifex et episcopi sunt successores apostolorum in munere docendi divinitus instituto 552

Sectio 3. — De inerrantia Ecclesiae discentis.

Propositio 26. — Consensus fidelium in rebus fidei et morum a vero aberrare nequit 554

Sectio 4. — De inerranti doctrina Patrum et theologorum.

Propositio 27. — Patres, si in consensu rem ad fidem et mores pertinentem rata et firma sententia docent, a vero aberrare non possunt 566

Assertio. — Patres, extra consensum spectati, in rebus fidei et morum per se a vero aberrare possunt. Nihilominus venerandam quandam auctoritatem, etsi non omnes eandem, sibi vindicant . . . 592

Propositio 28. — Theologi, si in consensu rem fidei et morum rata et firma sententia docent, a vero aberrare non possunt 595

Corollarium. — Iis ante oculos habitis, quae usque nunc de infallibilitate activa Ecclesiae docuimus, aggredimur quaestionem de unico vel pluribus subiectis infallibilitatis activae in statu ordinario Ecclesiae 612

ERRATA-CORRIGE

Ita v. g. Ambr. I. c.: „ maior numerus Arimini *fidem Nicaeni Concilii probavit, ariana decreta damnavit* ". Hieronym., l. c. n. 19: „ Non erat curae episcopis de verbo, cum sensus [ut ipsi eum intellexerunt] esset in tuto ".

c) *Agitur de Concilio a Romano Pontifice non approbato.* Liberius papa formulam non approbavit, imo damnavit. Cf. ep. Liberii ad episcopos Italiae ML. 8, 1373; item ep. ad Orientis episcopos l. mox c. Imo Concilium Ariminense neque celebratum est collaborante Pontifice. Cf. De San p. 198–200.

Ob. 4. — *Canones 102 Concilii Trullani* seu quinisexti anni 691, quos Graeci atque Latini multi Concilio oecumenico VI anni 680–1 ascribere et ut tales citare solebant, quosque enumeratos v. v. g. apud Hefele, Konziliengeschichte III² p. 330–43, certe *quaedam erronea continent.* V. g. inter libros canonicos etiam recensent l. 3. Machabaeorum, 2 epistulas Clementis; canon 46 vero omne baptisma haereticornm invalidum habet. Atqui canones Concilii Trullani *tum a Concilio Nicaeno II* canone I (Hefele III² p. 475) *approbati sunt* et ita mediate a Romano Pontifice, *tum immediate a diversis Romanis Pontificibus*, tum verbis tum usu. Ergo tum Concil. Trullanum, tum Concil. Nicaenum II falsa docent, atque speciatim decreto Concilii Tridentini de libris canonicis D. 784 opponuntur.

R. — *Concedo errores quosdam a Concilio Trull. proponi, item eos canones universos a can. 1 Concilii Nicaeni II approbatos videri.* At

1) *N. canones Trullanos, qui errores continent, a S. Sede approbatos esse.* Quod Hefele III² p, 345, cuius demonstrationi quasdam citationes et quedam de Hadriano addo, ita probat:

Sergius I (687–701) declaravit se potius mori vele quam iis " novitatum erroribus consentire „. *Iohannes VII* (705–8) rogatus a Iustiniano, ut reiectis iis canonibus qui Sedis Romanae non placerent, caeteros confirmaret, neque hoc praestare voluit, neque concilium confirmavit. *Constantinus* (708–15) quosdam canones reiecisse quosdam probasse videtur. Qui vero probati sint, directo testimonio non constat. *Gregorius II* (715–31) canonis 82 partem approbasse partem correxisse videtur (cf. de Gregorio Pitra, Iur. eccl. Graecorum hist. et mon. t. II, p. 82). *Hadrianus I* (772–95) in ep. ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum 785, utique ait: " omnes sanctas sex synodos suscipio cum omnibus regulis quae iure ac divinitus ab ipsis probatae sunt, inter quas „

unum canonem Trullanum, scilicet 82, de veneratione imaginis humanae figurae Christi numerat.

At *a*) quidam, v. g. Bellarmino l. c. c. 8 dif. 13., Hardouin. IV col. 98-9 verba citata Hadriani habent uti verba Tarasii quae a Pontifice mere historice referantur. Alii v. g. Hefele l. c., quem sequitur Hergenroether, Kirchengeschichte II[4] 1904 p. 45 putant, ea esse verba Hadriani eaque certam quandam canonum approbationem continere.

b) Certe si iis approbatio continetur, ca restricta est. Nam

α) Textus haud clarus est; *principaliter de sola doctrina de veneratione imaginum* agitur; caetera per incidens dicuntur. Iamvero tali ratione non deciditur a S. Sede quaestio maximi momenti ad fidem pertinens atque per longum tempus quam maxime agitata, perque diversos Pontifices eousque longe aliter iudicata.

β) *Illimitatam approbationem his verbis contineri Hadriani successores nequaquam admiserunt.* V. g. Iohannes VIII (872-82) approbationem quidem horum canonum pronuntiat, ita tamen, ut disertis verbis eos canones seu eas regulas reiciat „quae prioribus canonibus vel

Alia minoris momenti errata benignus lector ipse corrigat.

210.2
L11 6054

VAN LAAK, H.

AUTHOR

Institutionum Theologiae
TITLE Fundamentalis Repititorium
Pars I & II.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	P. O'Brien FEB 22	
NOV 21 1986	Schmidt APR 8	
	Martin MAY 1	
	Marie 229 N	
	Kennedy	
	Carl	
	Custer	
	M	

6054